Dogm 895-1



Domus S.S. Adelhaidis et Caietani.

<36611069850017

<36611069850017

Bayer. Staatsbibliothek

12. Tom. const.

Dogm. 895-1

P. HERMANNI SCHOLLINER,
Benedictini Oberaltacensis, SS. Theol. Doctor.
& Dogmatico-Speculativæ in Alma & Archiepiscopali
Universitate Salisburgensi Professoris publ. ord. Celsissimi & Reverendissimi Archiepiscopi & S. R. I. Principis Salisburgensis &c. &c. Consiliarii
Ecclesiastici,

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ,

in XII. Tomos divisæ,

I. de Deo uno & trino.

II. de Deo Creatore Angelorum & Hominum.

III. de Deo ultimo fine, Actibus humanis & Conscientia.

IV. de Deo Legum auctore, & Peccatorum Vindice.

V. de Deo incarnato.

VI. de Deo auctore Gratiæ actualis.

VII. de Deo justificante, Merito & Virtutibus Theologicis.

VIII. de Virtutibus moralibus.

IX. de Deo auctore Sacramentorum.

X. de Sacramentis Baptismi, Confirmationis & Eucharistiæ.

XI. de Sacramento Pœnitentiæ.

XII. de Sacramentis extremæ Unctionis, Ordinis & Matrimonii.

CUM INDICE UNIVERSALI.

SUPERIORUM PERMISSU & APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDEL. & OENIPONTI,
SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF, MDCCLXIX.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Approbatio Cenſoris.

Cum Prælectiones Theologicæ R. P. Hermanni Scholliner in XII. Tomis comprehenſæ non ſolum fidei orthodoxæ, ac religionis principiis, morumque regulis non adverſentur, verum etiam magno ſtudio, limato judicio, ac ſolida alias eruditione ab Authore ſuo elaboratæ ſint; illas proin digniſſimas cenſeo, quæ ad reipublicæ litterariæ incrementum luci publicæ tradantur. Auguſtæ Vindelicorum die 29. Julii 1768.

Henricus Sigismundus de Fercher,
SS. Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus Capitularis, Sereniſſimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Epiſc. Auguſtani, Landgravii Haſſiæ &c. Conſiliarius Eccleſiaſticus & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimenſis & Parochus Civitatis Wembdinganæ.

Joſephus Herz,
SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniſſ. Princ. & Epiſc. Auguſt. Conſil. Eccl. actual. Caſſæ ſtipend. Direct. & Viſitat. gener. nec non Librorum Cenſor.

Adprobatio
S. Facultatis Theologicæ.

Perlegi duodecim tomulos *Prælectionum Theologicarum* pro universo Studio Speculativo - Dogmatico per Virum Clarissimum *P. Hermannum Schollmer*, Benedictinum Oberaltacensem, jam quidem antehac tum in communi Studio Congregationis Benedictino - Bavaricæ, tum in Archiepiscopali Universitate Salisburgensi non sine maxima tyronum utilitate ad calamum dictatos, nunc autem, ad singulare Docentium æque ac Discentium emolumentum, usui ac Luci publicæ destinatos; in quibus tantum abest, me quidquam corrigendum reperisse, ut potius genuinam ubique Fidei Romano - Catholicæ, Morumque vere Christianorum Doctrinam, præter insignem S. Eruditionis copiam, Sententiarum soliditatem, & Methodi perspicuitatem invenerim; cumque adeo duodecim hisce Prælectionum tomulis reliquarum Scientiarum caput, SS. Theologiam, veluti totidem Stellarum corona exornet

Clariss.

Clariss. Author, Eidem quidem immortale Laboris tam fructuosi præmium, hisce vero Prælectionibus adprecor, ut in Firmamento Theologico publici Juris factæ ad Justitiam erudiant multos, & fulgeant quasi Stellæ in perpetuas æternitates. Ita Censeo, Salisburgi die 12. Febr. anno 1769.

P. RUPERTUS GUTRATH,
Benedictinus San-Petrensis, SS. Theol. Doctor, in Scripturistico-Dogmaticis, & Polemicis Professor P. Ord. Celsiss. ac Reverendiss. Archiep. & S. R. I. Principis Salisburg. Consiliar. Almæ Universitatis Pro-Cancellarius & Vice-Rector. Loco Spectab. D. Decani.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE DEO UNO ET TRINO,

QUAS
CUM IN ALMA ET ARCHIEPISCOPALI UNIVERSITATE SALISBURGENSI, TUM IN INCLYTO STUDIO EXEMTÆ CONGREGATIONIS BENEDICTINO - BAVARICÆ
AUDITORIBUS SUIS
EXPOSUIT

P. HERMANN. SCHOLLINER,
BENEDICTINUS OBERALTACENSIS,
SS. Theol. Doctor & Dogmatico - Speculativæ in eadem Universitate Professor Publ. Ord. Celsissimi & Reverendissimi Archiepiscopi & S. R. I. Principis Salisburgensis &c. &c. Consiliarius Ecclesiasticus,

TOMUS I.

SUPERIORUM PERMISSU & APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDEL. & OENIPONTI,
SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF.

Approbatio Cenſoris.

TRactatus hic Theologicus de Deo Uno & Trino, non ſolum nec fidei, nec bonis moribus repugnat, ſed varias difficultates perſpicua claritate doctrinæque ſoliditate accurate pertractat, publico conſpectu, uſu, & plauſu dignus. Auguſtæ Vindel. die 21. Novemb. 1765.

Henricus Sigismundus de Fercher,
SS. Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus Capitularis, Sereniſſimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Epiſc. Auguſtani, Landgravii Haſſiæ &c. Conſiliarius Eccleſiaſticus & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimenſis & Parochus Civitatis Wembdinganæ.

Franciſcus Joſephus de Handl,
SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniſſ. Princ. & Epiſc. Auguſtan. Conſil. Eccleſ. Maj. Pœnit. & Libr. Cenſ. nec non Inſign. Eccleſ. Colleg. ad S. Maur. Canon. & Paroch.

Approbatio
Sacræ Facultatis Theologicæ.

PRæſentes *Prælectiones Theologicas de Deo Uno & Trino* ea ſolertia, & eruditione clariſſimo Auctori propria, reperi concinnatas eſſe, ut, cum ubique genuinam Eccleſiæ Catholicæ, ſanamque morum doctrinam ſpirent, digniſſimas eſſe cenſeam, ut in perpetuam Clariſſimi Auctoris memoriam, & maximam Studii Theologici utilitatem publici juris evadant.

Dabam Salisburgi die 13. *Februarii Anno* 1767.

P. RUPERTUS GUTRATH
Benedictinus San. Petrens. SS. Theologiæ Doctor, & Ejusdem in Speculativo-Dogmaticis Prof. Ordinarius, Celſiſſ. ac Reverendiſſ. Archiep. & S. R. I. Principis Salisb. &c. &c. Conſiliar. Eccleſiaſt. loco Spectabilis D. Decani.

Licen-

Licentia

Reverendissimi Domini D. Abbatis Oberaltacensis.

NOs Joannes Evangelista D. G. Exemti Monasterii S. Petri ad Quercum Superiorem Ordinis SS. P. Benedicti in Bavaria inferiore Abbas, p. t. Almæ & Archi-Episcopalis Universitatis Salisburgensis Assistens, & Exemtæ Congregationis Benedictino-Bavaricæ Visitator Primarius, Clarissimo Viro, ac perdilecto Capitulari nostro A. R. P. Hermanno Scholliner SS. Theologiæ Doctori, ejusdemque in præfata celeberrima Universitate Professori ordinario Publico, ac p. t. S. Facultatis Decano, nec non Reverendissimi & Celsissimi S. R. I. Principis Salisburgensis Consiliario Ecclesiastico, hisce facultatem impertimur, ut opus suum, cui titulus *Prælectiones Theologicæ*, servatis cæteroquin servandis, pro communi bono Reipublicæ litterariæ, præcipue ad usum studii nostri Generalis, typis evulgare valeat. Actum in Monasterio Oberaltacensi die 5. Julii. 1755.

(L. S.)

JOANNES EVANGELISTA.
ABBAS.

AD LECTOREM.

L Noli frontem in rugas contrahere, Lector optime, quisquis in hæc opuſcula incidis, & primo forte intuitu cauſaris, poſt tot edita Theologici curſus ſyſtemata Prælectionibus iſtis litterarium orbem carere potuiſſe, ſat aliis ejusdem generis onuſtum. Cum enim omnes, quotquot in dies prodeunt, non niſi aliis verbis idem fere dicant, & quisquis alterius vitula arare ſoleat, quid niſi plagii crimen repetitur, & centonum, quorum tanta eſt hodie raritas, augetur pretium.

Parum abeſt, quin conſentientem me habeas. Imo tanti apud me rationes

iſtæ

iſtæ dudum valebant, ut poſt repetitas plurium ſerias, neſcio, preces, an vanas adulariones, poſt gravium etiam Virorum conſilia, in animum inducere nequiverim, ut publici, quod illi volebant, juris Prælectiones iſtas facerem, privatis antehac ſcholæ uſibus deſtinatas, quæ perpetuis, meo ex voto, in tenebris ſecure deliteſcerent, niſi ſuperius quoddam Numen eas prope reluctantes in dias luminis auras prodire juſſiſſet.

Accidit enim anno primum elapſo, ut ſyſtema de perficiendo, quod in alma Congregatione noſtra floret, communi ſtudio Theologico, a ſapientibus quibusdam Viris conceptum, ubi abolita, quæ hactenus obtinebat, ſcriptitatione, Auctoris alicujus opuſcula prælegenda commendabantur, quo majus utiliſſimo SS. litterarum, linguarumque ſtudio otium fieret, in generalibus comitiis in diſceptationem veniret, & potioribus Patrum conſcriptorum calculis probaretur.

Cum autem de opere, quod prælectionibus ſerviret, ſeligendo diſquiſitio fie-

fieret, neſcio qua ratione factum eſt, ut ſepoſitis tot aliorum virorum egregiis laboribus, qui vel typis excuſi jam proſtabant, vel ad primum nutum foras proſilire promti erant, digitum in me nonnulli intenderent, illosque tractatus, quos ſive in eodem communi ſtudio, ſive in alma Univerſitate Salisburgenſi ad calamum dictaveram, prelo committi poſtularent: Quorum etiam vota in tantum obtinuerunt, ut Reverendiſſimus DD. Præſes Generalis, ſuo & ampliſſimi Concilii nomine hanc mihi provinciam demandaret, & opuſculorum meorum editionem gratioſa ſollicitatione urgeret.

Quid facerem hiſce in anguſtiis deprehenſus? Hinc quidem meæ vires, quas probe ſentio, quam ſint exiguæ, delatum onus detrectare nitebantur: illinc vero & privatorum, non dicam preces, ſed monita urgebant, Majorum etiam vota inſtabant, quibus tenaciter refragari piaculum ratus, cedere tandem oportuit, & ſubmittere humeros, laboribus hiſce ferendis haud ita recens aſſuetos.

Ha-

Habes hinc rationem, quæ operi isti manum admovere prope renitentem impulit. Quamquam eodem jure libertatis, quod alii ante me sibi vendicarunt, & porro attribuent, me facile tueri potuissem.

Nunc vero, quoniam semel jacta est alea, superest, ut sua libelli fata exspectent; & de re ipsa duobus saltem verbis moneam.

Et plagii quidem crimen in limine oppositum quod attinet, si in ejus suspicionem ideo adduci quis debeat, quod eadem post alios dicat, vereor, ut paucos in hac arena reperire sit eodem immunes: nisi quis forte novis erroribus Nominis gloriam aucupari voluerit.

Sapientiam antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit. Fidei nostræ dogmata, in quibus propugnandis præcipuus hic labor meus desudat, invariabili antiquitate nituntur, & semper præ oculis habendum existimo illud VINCENTII Lirinensis monitum, *ut dum dicunt nove, non dicant nova.* An autem vel in ipsis fidei quæstionibus pertractandis

alieno ſolum oculo viderim, nullamque meam ſymbolam contulerim, nec fontes ipſos adierim, illi rectius judicabunt, qui hæc opuſcula cum aliis, neque de trivio, libellis componere voluerint. Poteram frequenter multo plura ſuperaddere, ſi, quæ e primorum ſæculorum Patribus haud perfunctorie evolutis in adverſaria mea congeſſi, plena manu voluiſſem effundere. At nolui volumina ſcribere, neque orali expoſitioni cuncta præripere.

Nolim tamen integrum hic Theologiæ opus exſpectes; Nec enim iſtud a me petebatur, ſed illos ſaltem Tractatus, qui in Theologia, *dogmatico*-ut ajunt, *ſpeculativa* quatuor annorum curriculo in ſcholis noſtris a multo tempore tradi conſueverunt, pro modulo meo elaboratos invenies. Alios, quos moralis diſciplina ſibi vendicat, hic exeſſe oportuit, a ſingulari Profeſſore ex alio auctore prælegendos. Cur autem virtutibus moralibus, aliiſque non nullis quæſtionibus ex lege *ſyſtematis* a Profeſſore Canonum tractandis, locum tribuerim, ex ea ratione factum eſt; quod

quod & plerisque in locis in *ſpeculativa* tradantur, & earum notitia nemini, ut ſpero, moleſta futura ſit.

In illis controverſiis, quæ extra fidei cancellos libere vagantur, & ſcholaſticum quoddam ſyſtema conſtituunt, SS. AUGUSTINUM & THOMAM, quippe ab Eccleſia ubertim commendatos, duces ſecutus ſum: quamvis in materiis adiaphoris non a Thomiſtis ſolum, ſed ab ipſis etiam ſigniferis cum bona eorum venia aliquando recedere nullo mihi piaculo duxerim, eclecticum ſentiendi genus ſectatus. Ego enim, ut cum S. AUGUSTINO loquar, epiſt. 19. ad Hieronym. apud *Gratian.* cap. 5. Diſt. 9.: „Ego ſolis eis Scriptorum, „qui jam Canonici appellantur, di„dici hunc timorem, honoremque „deferre, ut nullum eorum ſcriben„do erraſſe audeam credere . . . Ali„os autem ita lego, ut quantalibet „ſanctitate, doctrinaque polleant, non „ideo verum putem, quia ipſi ita ſen„ſerunt, ſed quia mihi per alios au„ctores, vel canonicas (Canones) „vel probabiles rationes, quod a vero

„ ro non abhorreat, persuadere po-
„ tuerunt. Neque enim, ut ait ali-
„ bi cit. Dist. Can. 10. quorumlibet di-
„ sputationes, quamvis Catholicorum
„ & laudatorum hominum, velut scri-
„ pturas canonicas habere debemus,
„ ut nobis non liceat, salva honorifi-
„ centia, quæ illis debetur hominibus,
„ aliquid in eorum scriptis improbare
„ atque respuere, si forte invenerimus,
„ quod aliter senserint, quam veritas
„ habet, divino adjutorio vel ab aliis
„ intellecta, vel a nobis. Talis ego sum
„ in scriptis aliorum, tales volo esse in-
„ tellectores meorum.„

Quare has ipsas sententias, verius opiniones meas, nemini obtrudere unquam somniavi, & qua in alios libertate utor, eamdem in me unicuique libens permitto. Procul enim hinc absit arrogans ille solipsorum dictatus, & litterarium veluti monopolium, quod in aliis horreo: & qui in nullius, præterquam Magistræ Ecclesiæ, verba juravi, ita & neminem mihi mancipare ambio. Refellat, per me, quisque meos, quos forte offenderit, nævos, modo

do ne in ipſam Perſonam obtrectatorias manus mittat ; Neque enim pugnis aut convitiis, ſed ratione pugnandum eſt, & errores, non errantes, inſectari decet.

Quoniam vero nonnullæ & in ipſa Theologia quæſtiones occurrunt, quæ ex præconceptis in Philoſophia axiomatis reſolvi ſolent ; hinc noſſe forſan cupis, curioſe Lector, cujusnam ſectæ fundamentis reſolutiones illas ſuperſtruxerim, & quod philoſophandi genus fuerim ſectatus?

Quid ? ſi cum TERTULLIANO reponerem de præſcript. cap. 7. „ Quid „ Athenis, & Hieroſolymis ? quid A„ cademiæ, & Eccleſiæ ? . . . Noſtra „ inſtitutio de porticu Salomonis, (non „ de Stoa Zenonis) eſt, qui & ipſe tra„ diderat Dominum in ſimplicitate quæ„ rendum. Viderint, qui Stoicum, & „ Platonicum, & Dialecticum Chri„ ſtianiſmum protulerunt. „ Ne tamen anxium te teneam, ſcias, me in ejusmodi quæſtionibus ita fuiſſe verſatum, ut partis utriusque, Peripateticorum juxta ac Recentiorum, præcipua momenta

ta in medium proferre, & Lectoris arbitrio decisionem permittere maluerim, quam animi mei sensa edicere. Quo quidem medio tutus mihi ire videbar, & utrorumque declinare invidiam, vix alioqui evitandam.

Utinam vero in hujusmodi rebus, quas disputationibus hominum Deus reliquit, ab intempestivis censuris omnes abstineant, donec alterutram hypothesin suo suffragio Ecclesia adoptaverit, cujus auctoritati Catholicus quisque reverenter assurget. Ego certe illius judicio me, meaque omnia humillime submitto, errata revocare, & intellectum quoque in fidei obsequium captivare paratus.

Jam vale, Lector optime! & si meo conatu tantisper profeceris, Deum omnis boni auctorem mecum collauda: ubi autem cespitasse me videris, fragilitati meæ indulge, & te quoque hominem esse memento.

Con-

CONSPECTUS.

Numerus designat paginam.

CAPUT. I.

De essentia, attributis Dei, eorumque distinctione.

§. I.

De essentia Dei physica & metaphysica.

Resolutio. I. Essentia Dei physica consistit in cumulo omnium perfectionum : seu, Deus est ens infinite perfectum : quamvis hæc ipsa Dei essentia a nobis hic plene cognosci nequeat, quod vane sibi arrogabat *Eunomius*, & Socii. 5

Resolutio II. Perfectiones creaturarum *simpliciter simplices*, continentur in Deo *formaliter* eminenter : perfectiones autem *secundum quid*, solum *virtualiter* & eminenter. 7

Resolu-

Resolutio. III. Essentia Dei metaphysica optime constituta videtur in conceptu entis *a se*, positive accepto. 9

§. II.

De distinctione inter essentiam & attributa absoluta.

Resolutio I. In Deo admittenda est aliqua distinctio, saltem mentalis, inter essentiam & attributa, & inter ipsa. *contra Eunomium.* 18

Resolutio. II. Inter essentiam & attributa, vel inter ipsa attributa absoluta non potest admitti distinctio *realis*, sive *major*, sive *minor. Contra Valentinianos, Gualterum, Palamitas, & Gilbertum.* 21

Resolutio III. Gilbertus docuit, non solum Personas, sed etiam attributa realiter ab essentia distingui: an vero etiam attributa ab invicem realiter separaverit, dubium videtur. 26

Resolutio IV. Tam inter essentiam & attributa, quam inter hæc invicem, admittenda est sola distinctio *virtualis*, seu, rationis ratiocinatæ cum fundamento in re. 28

CAPUT. II.

De attributis negativis.

§ I.

De Unitate Dei.

Reſolutio. Deus natura ita neceſſario unus eſt, ut pluralitas repugnet. 35

§. II.

De ſpiritualitate & ſimplicitate Dei.

Reſolutio I. Deus non eſt hoc totum univerſum. 42

Reſolutio II. Nulla eſt in Deo compoſitio phyſica, ex materia & forma: neque ex ſubſtantia & qualitatibus: ſed Deus eſt ens ſimpliciſſimum. 44

Reſolutio III. Nec Melito, nec Tertullianus, nec Epiphanius Antropomorphitarum erroris argui debent. 45

§. III.

De immenſitate & æternitate Dei.

Reſolutio I. Deus eſt immenſus & ubique præſens, non ſolum quoad ſcientiam & potentiam, ſed etiam quoad ſubſtantiam. 52

Resolutio II. Deus formaliter conſtituitur in loco per operationem ad extra; ita ut operatio ſit ratio demonſtrans a priori, Deum eſſe præſentem in loco, ſic inferendo: Deus operatur: ergo præſens eſt quoad ſubſtantiam, non autem viciſſim. 54

Resolutio III. Deo competit æternitas proprie dicta, quæ nulli creaturæ communicari poteſt. 58

Resolutio IV. Res omnes creatæ, præteritæ, præſentes, & futuræ, Deo in æternitate phyſice præſentes ſunt. Eſt communis Thomiſt. 59

§. IV.

De immutabilitate Dei.

Resolutio I. Deus eſt omni modo immutabilis tam quoad eſſe, quam quoad formam, & operationem. 70

Resolutio II. Deus ita immutabilis eſt, ut neque in tempore incipiat, vel deſinat terminare actum intellectus & voluntatis ad objectum: ſive, ut non mutet ſuum cognoſcere & velle terminativum. 73

CAPUT III.

De attributis poſitivis.

§. UNI-

§. UNICUS.

De Vita Dei.

Resolutio. Deus essentialiter & ab æterno vivit, & tam ab in- quam extrinseco immortalis est. 79

CAPUT IV.

De Intellectu divino.

§. I.

!De scientia Dei & ejus objecto.

Resolutio I. Deus seipsum cognoscit, & quidem comprehensive. 84

Resolutio. II. Deus omnia a se distincta clare cognoscit. 85

§. II.

De medio scientiæ Dei.

Resolutio I. Deus cognoscit suam essentiam sine ullo alio medio immediate in seipsa, & in illa, ut prius cognita, suas perfectiones & attributa. 89

Resolutio II. Omnia possibilia Deus videt in sua essentia, ut imitabili, & in omnipotentia, tanquam medio prius cognito. 90

Resolutio III. Futura necessaria, & a solo Deo dependentia, videt Deus in suis decretis absolute prædeterminantibus. 90

Resolutio IV. Futura libera absoluta ordinis *naturalis* pro utroque statu, & ordinis *supernaturalis* pro statu naturæ *innocentis* non videt Deus in decretis physice prædeterminantibus, sed in determinatione voluntatis creatæ, quæ Deo in æternitate physice præsens est. 91

Resolutio V. Futura libera ordinis supernaturalis pro statu naturæ lapsæ videt Deus in sua voluntate decernente gratiam ab intrinseco efficacem, quæ non quidem *necessarium*, sed tamen *infallibilem* semper consequitur effectum. 93

Resolutio VI. Futura libera *conditionata*, quorum conditio a solo Deo dependet & nunquam implenda supponitur, non videt Deus in decretis *subjective absolutis & objective conditionatis*: sed tanquam res mere possibiles, in sua essentia per scientiam *simplicis intelligentiæ.* Si conditio aliquando implenda est, tunc erit res determinate futura, & patet ex dictis, in quo medio videatur. 96

§. III.

De scientia media. 108

Resolutio. Non adest ratio sufficiens admittendi scientiam mediam. 111

§. IV.

§. IV.

De Sapientia & providentia Dei.

Resolutio I. Eſt in Deo providentia. 116

Resolutio II. Providentiæ Dei ſubſunt omnia, non ſolum neceſſaria & libera, ſed ipſa etiam peccata. 117

Resolutio III. Providentia Dei ſemper conſequitur ſuum finem *generalem*, *ultimum*, ſeu *operantis*, qui eſt manifeſtatio ſuarum perfectionum, quamvis non ſemper conſequatur finem *ſpecialem* ipſius rei, ſeu *operis*. 119

Resolutio. IV. Providentia Dei rebus neceſſariis, non autem liberis, neceſſitatem imponit. 120

CAPUT V.

De Voluntate Dei.

§. I.

De voluntate Dei ſalvandi omnes homines.

Resolutio I. Deus habet voluntatem omnes homines, etiam poſt Adæ lapſum, ſalvandi. 124

Resolutio II. Hæc *antecedens* Dei voluntas non est solum metaphorica, sed propria & seria. 127

§. II.

De efficacia voluntatis divinæ.

Resolutio. Voluntas Dei *consequens* semper impletur, seu habet effectum intentum. 130

CAPUT VI.

De voluntatis divinæ perfectionibus.

§. I.

De libertate Dei.

Resolutio I. Deus est liber a necessitate. 135

Resolutio II. Libertas est Deo intrinseca, & consistit in ipso actu æterno voluntatis, prout tamen connotat effectus creatos, contingenter existentes. 137

§. II.

De Omnipotentia Dei.

Resolutio I. Deus ita est omnipotens, ut præter ea, quæ actu fecit, alia, & his *materialiter* meliora facere possit. 141

Reso-

Resolutio II. Etiamsi Deus cuncta, quæ facit, modo fini intento convenientissimo, & sic *formaliter* optima faciat, potest tamen, etiam in hypothesi intenti finis & modernæ Providentiæ meliora facere. 145

§. III.

De Veracitate, Bonitate, & amore Dei.

Resolutio I. Deus necessario amat seipsum; ita ut bonitas increata sit motivum formale divini amoris. 154

Resolutio II. Deus omnes res *existentes* amat amore benevolentiæ: res autem *possibiles*, secundum esse quod habent in essentia divina amore simplicis complacentiæ: secundum esse autem proprium, nullo modo amat. 157

§. IV.

De misericordia Dei prædestinantis. 158

Resolutio I. Prædestinatio ad gloriam est prorsus gratuita, & a prævisis meritis independens. 166

Resolutio II. Gratia & gloria sunt *adæquatus* prædestinationis effectus: *inadæquatus* autem, quodlibet seorsim beneficium, ad salutem prædestinati per se conducens. 178

Resolutio III. Effectus supernaturales inadæ-

quati prædeſtinationis ſunt, vocatio, juſtificatio, glorificatio. 179

Reſolutio IV. Bona naturalia non quidem *per ſe* ſed *per accidens* ſunt effectus prædeſtinationis. 181

Reſolutio V. Mala, ſive naturæ, ſive pœnæ temporalis, per accidens *effectus ſunt prædeſtinationis.* 181

Reſolutio VI. Malum culpæ, ſeu peccatum, nec per ſe, nec per accidens: permiſſio autem peccati effectus eſt prædeſtinationis. 182

Reſolutio VII. Decretum prædeſtinationis *neceſſarium* eſt; ita ut ſine illo nullus ſalvetur. 185

Reſolutio VIII. Certa & immutabilis eſt prædeſtinatio; ita ut omnes, & ſoli prædeſtinati ſalventur. 186

Reſolutio IX. Determinatus eſt prædeſtinatorum numerus, ſoli Deo cognitus, exiguus comparate ad reprobos, & probabiliter æqualis numero Angelorum lapſorum. 189

Series decretorum Dei, ſecundum noſtrum concipiendi modum.

§. V.

De juſtitia Dei reprobantis. 193

Reſolutio I. Cauſa reprobationis *poſitivæ*, ad pœnam damni & ſenſus eſt peccatum mortale, in adultis actuale. 195

Resolutio II. Causa reprobationis *negativæ* hominum non est sola voluntas Dei omne peccatum antecedens: 2. nec sunt peccata hominis *actualia*: sed 3. solum peccatum *originale.* 198

Resolutio III. Permissio peccati actualis nunquam remittendi, excæcatio & induratio, denegatio doni perseverantiæ, pœna damni & sensus, effectus sunt reprobationis. 207

PRÆLECTIONES. DE DEO TRINO.

CAPUT I.

De Trinitate Personarum in una Natura divina.

§. I.

Synopsis errorum circa dogma SS. Trinitatis. 221

§. II.

Vindicatur dogma Trinitatis Personarum.

Resolutio. Tres sunt in Deo Personæ, non nomine solum aut operatione, sed re ipsa distinctæ. 222

§. III.

De Filii cum Patre consubstantialitate, seu naturæ unitate.

Recensentur hæreticorum errores. 241

Resolutio. Verbum, seu Filius Patris, est verus ab æterno Deus, ejusdem cum Patre súbstantiæ. 244

§. IV.

De Spiritus S. divinitate & consubstantialitate.

Resolutio. Spiritus sanctus est vera, propria & distincta persona, Patri, Filioque consubstantialis. 258

§. V.

An SS. Trinitatis mysterium naturali ratione demonstrari valeat?

Resolutio. Mysterium SS. Trinitatis, etiam præsupposita fide, sola ratione naturali, *positive* demonstrari non potest, sed solum *negative.* 265

CAPUT II.

De divinis Processionibus.

§. I.

§. I.

De numero, & proprietatibus divinarum Processionum.

Resolutio I. Duæ solum sunt in Deo processiones *activæ*, virtualiter inter se distinctæ. 275

Resolutio II. Duæ sunt processiones *passivæ*. 276

Resolutio III. Processiones divinæ sunt immanentes, substantiales, necessariæ, æternæ, metaphysicæ, & omnis imperfectionis expertes. 278

§. II.

De Processione Filii.

Resolutio I. Filius procedit a Patre, & quidem a *solo*. 282

Resolutio II. Processio verbi *proprie*, & quidem *sola*, est generatio. 283

Resolutio III. Ideo processio Filii, non autem Spiritus sancti, est *generatio*; quia Filius procedit per *intellectum*, vi sua assimilantem in natura: Spiritus S. autem per voluntatem. 286

Resolutio IV. Verbum divinum procedit ex cognitione 1. divinæ essentiæ & attributorum. 2. Personarum. 3. creaturarum possibilium. 4. non vero futurarum. 292

§. III.

§. III.

De Processione Spiritus sancti.

Resolutio I. Spiritus S. procedit a Patre & Filio, tanquam unico principio. 299

Resolutio II. Particula, *Filioque*, optimo jure ab Ecclesia Latina symbolo fidei addita fuit. 307

Resolutio. III. Hæc additio ad symbolum in Ecclesia Latina universa facta fuit ad finem Sæc. IX. In Ecclesiis particularibus Germaniæ & Galliæ ad finem Sæculi VIII. & initium IX. In Hispania autem jam sæculo V. 311

§. IV.

De principiis divinarum processionum.

Resolutio. I. Essentia, seu natura divina, præciso intellectu & voluntate, non est principium *quo proximum* divinarum processionum, sed *remotum.* 314

Resolutio II. Principium *proximum* non sunt solæ relationes. 316

Resolutio III. Principia proxima divinarum processionum sunt solum intellectus & voluntas *notionales*, seu, quatenus modificati relationibus paternitatis & spirationis activæ. 319.

CA-

CAPUT III.

De divinis Relationibus & Notionibus.

§. I.

De existentia, essentia, distinctione, & numero divinarum relationum.

Resolutio I. Relationes divinæ sunt reales, tam secundum esse *in* - quam secundum esse *ad* consideratæ. 323

Resolutio II. Quatuor sunt relationes, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & passiva. 325

Resolutio III. Relationes Originis *oppositæ* distinguuntur realiter, non autem relationes *disparatæ.* 326

§. II.

De divinarum relationum perfectione.

Resolutio. Relationes, etiam secundum esse *ad* consideratæ, sunt perfectiones. 329

§. III.

De divinarum Personarum Notionibus.

Resolutio. Notiones in Deo existunt, sed non nisi quinque enumeratæ. 334

CAPUT IV.

De eſſentia & proprietatibus Perſonarum in communi, & de Miſſione.

§. I.

De eſſentia conſtitutiva & diſtinctiva divinarum Perſonarum.

Reſolutio I. Perſonæ divinæ non conſtituuntur per aliquid *abſolutum*, neque per *origines*, ſed per relationes. 341

Reſolutio II. Perſonæ divinæ nec conſtituuntur, nec diſtinguuntur per relationes ſecundum eſſe *ad*, ſed ſecundum eſſe *in*, conſideratæ. 344

§. II.

De divinarum Perſonarum exiſtentia & ſubſiſtentia, tam abſoluta, quam relativa.

Reſolutio. I. In Deo eſt exiſtentia quædam *abſoluta* & communis: non autem tres *relativæ.* 347

Reſolutio II. Triplex eſt in Deo ſubſiſtentia *relativa*, nulla vero *abſoluta* & communis. 349

§. III.

De æqualitate Perſonarum, & adpropriatione attributorum.

Reſolutio I. Tres divinæ Perſonæ inter ſe æquales ſunt, tam quoad eſſentiam & attributa abſoluta, quam etiam quoad relationes. 353

Reſolutio II. Nonnulla prædicata *abſoluta*, etſi tribus Perſonis communia ſint, uni Perſonæ ſpecialiter attribuuntur, ſeu appropriantur. 355

§. IV.

De divinarum Perſonarum circuminſeſſione.

Reſolutio. Admittenda eſt divinarum Perſonarum circuminſeſſio. 356

§. V.

De divinarum Perſonarum Miſſione.

Per Miſſionem divinæ Perſonæ intelligitur proceſſio & deſtinatio unius Perſonæ ab alia, ad effectum quemdam temporalem producendum. 358

CAPUT V.

De divinis Perſonis in particulari, & de modo loquendi circa SS. Trinitatem.

§. I.

§. I.

De prima Perſona, & ejus Nominibus. 373

§. II.

De ſecunda Perſona. 376

§. III.

De tertia Perſona. 378

§. IV.

De modo loquendi circa SS. Trinitatem. 381

PRÆLECT-

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE DEO UNO.

L Dei Nomine intelligitur Ens, quo melius cogitari non poteſt, ex quo conceptu facile ſequitur, eſſe illum ens ſupremum, neceſſarium, omni poſſibili perfectione prædítum, ſeu, eſſe illam naturam, quæ nullam extra ſe exiſtentiæ ſuæ cauſam habet, adeoque independens eſt, omnibus autem extra ſe exi-

 ſtenti-

ſtentiam tribuit, ſeu omnium ſuprema cauſa eſt. Hujus entis exiſtentiam, quæ vel a priori, vel a poſteriori demonſtrari poteſt, ex Philoſophia ſupponere licebit. Poteſt autem Deus conſiderari vel ut author naturæ, lumine rationis cognoſcibilis, quod ad Philoſophos ſpectat: vel ut author gratiæ, prout nobis per fidem ex revelatione ſaltem virtuali innoteſcit, & ſub hac ratione Theologiæ noſtræ objectum eſt, de quo per aliquot capita agemus; primo quidem de eſſentia, attributis in communi, & eorum diſtinctione. II. De attributis negativis. III. De poſitivis quibusdam. IV. De ſcientia Dei. V. De voluntate ejusdem. VI. De Divinæ voluntatis perfectionibus.

CAPUT I.

De essentia, attributis Dei, eorumque distinctione.

§. I.

De essentia Dei physica & metaphysica.

Essentia rei physice considerata, complectitur omnia & singula prædicata, ipsam naturam constituentia, & cum ea identificata. Sic homo physice spectatus complectitur corpus & animam cum omnibus suis partibus. Metaphysice autem considerata dicit primum illud prædicatum, quod ut radix cæterorum considerari potest: non quod in Deo sit aliquid prius & posterius, sed quia nos infirma mentis acie uno eodemque intuitu omnia simul complecti non possumus, sed successive consideramus. 1

Attributum nihil est aliud, quam perfectio, quæ de Deo prædicatur, sive eidem attribuitur. Sunt quædam Soli Deo propria, alia etiam creaturis saltem per participationem communia. Perfectio creaturæ communis alia est *simpliciter simplex*, alia *simplex* tantum, seu secundum quid: prior est, quæ ex sua natura nul- 2

lam involvit imperfectionem, nec aliam perfectionem simplicem aut æqualem excludit: & hæc a S. ANSELMO dicitur, *melior ipsa, quam non ipsa*, ubi TO, *non*, sumendum est in sensu contrario, non autem in contradictorio; secus enim quælibet perfectio foret simpliciter simplex. Duo igitur ad perfectionem simpliciter simplicem requiruntur, 1. ut nullam involvat imperfectionem: 2. ut nullam perfectionem æqualem vel majorem excludat. Si alterutra conditio deficiat, erit perfectio solum simplex, quæ non est melior ipsa, quam non ipsa, seu, quæ vel aliquid imperfectionis involvit, aut alteri perfectioni majori, vel æquali opposita est, e. g. motus, qui involvit limitationem ad locum, & excludit infirmitatem, vel immensitatem.

3 Perfectio simpliciter in aliquo contenta dici potest, *formaliter*, *eminenter*, *virtualiter*. *Formaliter* continetur illa, quæ secundum suam propriam naturam subjecto inest, v. g. anima in homine. *Eminenter*, dum quodam perfectiore modo in aliquo esse concipitur: v. g. anima sensitiva eminenter continetur in rationali. *Virtualiter*, dum in alio habetur tanquam in causa, veluti planta in semine. Solet ergo quæri, quomodo perfectiones creaturarum Deo inesse concipiantur; cumque Deus infinitus sit, ejus quoque perfectiones in-

finitæ eſſe debent, infinitate tam poſitiva quam negativa, tam quoad virtutem, quam eſſentiam: prout etiam diſtinguendum eſt duplex *eſſe a ſe: negativum*, quod dicit tantum *non eſſe ab alio:* & *poſitivum*, quod dicit pleniſſimam & actualiſſimam ſufficientiam in eſſendo, omnem excludens dependentiam.

Resolutio. I. Eſſentia Dei phyſica con- 4
ſiſtit in cumulo omnium perfectionum,
ſive, Deus eſt Ens infinite perfectum:
quamvis hæc ipſa Dei eſſentia plene a nobis hic cognoſci nequeat, quod vane ſibi arrogabat Eunomius & Socii.

Prob. I. pars. Moyſi Deum videre cupienti reſpondit Deus: *oſtendam tibi omne bonum*: ergo Deus phyſice omnem perfectionem complectitur. II. Ens, quo melius cogitari nequit, omnem continet perfectionem poſſibilem: atqui Deus eſt hoc Ens. ergo. III. Deus eſt cauſa omnium rerum: ergo omnes earum perfectiones in ſe continet. IV. Deus eſt ſumma mens comprehendens omnia: ergo habet ideas rerum omnium: ergo etiam phyſice illas in ſe continet; quia actualis omnium perfectionum complexus eſt aliquid melius, quam ſola earum ut poſſibilium conſideratio.

5 Prob. II. pars, essentiam Dei infinite esse perfectam, quod negant Sociniani & Calviniani nonnulli. I. Ex S. Scriptura, ubi dicitur Psalm. 144. *magnus Dominus, & magnitudinis ejus non est finis:* est autem magnus in omni genere: ergo etiam in omni genere infinitus. II. Ens quo melius cogitari nequit, necessario est infinite perfectum; quia melius est in omni genere esse infinite perfectum, quam ullo modo esse finitum. Sed Deus est tale ens. ergo. III. Deus est actus purissimus, nullos habens limites; si enim terminos haberet tunc vel a se ipso, quod dici nequit; quia ipse est ratio sufficientissima suæ existentiæ necessariæ, & non potest esse aut velle, ut non sit infinite perfectus. Non est ab alio; quia est essentialiter a se, & a nulla re dependens.

6 Prob. III. pars. adversus Eunomium I. ex Paulo 1. ad Corint. XIII. *ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* II. Hæc etiam est mens SS. PP. sic Augustinus in Psalm. 85. „ Deus ineffabilis est: facilius Dicimus, quid non sit, quam quid sit. Terram cogitas? non est hoc Deus: mare cogitas? non est hoc Deus . . . & quid est? hoc solum potui dicere, quid non sit. Quæris, quid sit? nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor „ homi-

„ hominis aſcendit. „ III. Ratio eſt. Eſſentia Dei eſt ſimpliciſſima & infinita: quod autem infinitum eſt, a mente finita humana plene cognoſci non poteſt.

Resolutio II. Perfectiones creaturarum 7
ſimpliciter ſimplices continentur in Deo formaliter eminenter, perfectiones autem ſecundum quid ſolum virtualiter & eminenter.

Prob. I. pars I. Deus eſt Ens, quo melius concipi nequit. ergo continet omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices ; quia quælibet earum eſt melior ipſa , quam non ipſa. II. Id omne in Deo *formaliter* ſeu ſecundum propriam naturam , & etiam *eminenter*, ſeu perfectiore quodam modo in Deo exiſtit , quod in ſuo conceptu nullam involvit imperfectionem : atqui : *ergo. maj.* patet ; quia Deus eſt Ens, quo melius cogitari nequit : melius eſt autem continere omnem perfectionem formaliter & eminenter, quam non ſic continere. III. Si omnes creaturarum perfectiones ſimpliciter ſimplices non eſſent in Deo formaliter , tunc Deus una cum mundo eſſet quid perfectius, quam ſine eo : ſequela nequit admitti ; quia ſecus Deus ſine mundo non eſſet ens , quo melius cogitari nequit ; nam cum mundo eſſet aliquid melius. Sequela autem prob. Deus ſine mundo careret quodam exiſten-

di modo, qui in ſuo conceptu non involvit imperfectionem, & eſt melior ipſe quam non ipſe.

Quod autem omnes perfectiones etiam eminenter Deo inſint, patet; quia in ipſo ſunt modo illimitato & perfectiſſimo: in creaturis autem finite, limitate, & ſolum per participationem.

8 Prob. II. pars. in conc. Lateranensi IV. ſub Innocentio III. Damnatus fuit Almaricus aſſerens; de Deo proprie & vere prædicari poſſe omnem creaturam, dicendo v. g. Chriſtus eſt proprie & formaliter Leo, vitis, lapis Angularis &c. II. Quod in ſuo conceptu involvit imperfectionem, id non poteſt in Deo formaliter exiſtere, alias poſſet de Deo formaliter prædicari: atqui perfectiones creaturarum ſimplices ſemper dicunt aliquam limitationem ad locum, tempus, vel quid ſimile v. g. diſcurſus per ratiocinium arguit defectum ſcientiæ, utpote quæ per medium cognitum tendit ad ignotum: arguit quoque carentiam ſimplicis intuitus.

9 Quod autem iſtæ perfectiones in Deo contineantur *eminenter* & *virtualiter*, probatur, quia ſunt in Deo tanquam effectus in cauſa, cum omnia a Deo facta ſint. Sed & eminenter & perfectiore modo; in ipſo enim continentur ſecundum omnem

omnem rationem boni, veri, pulchri &c. cum horum omnium ſit cauſa & omnem rationem boni ac veri in ſe præcontineat modo quodam infinito & illimitato, ſine omni defectu & termino: hunc enim ſolum contrahunt in creaturis, quibus utpote finitis non niſi cum quodam determinatione communicari & participari poſſunt.

Resolutio III. Eſſentia Dei Metaphyſica optime conſtitui videtur in conceptu entis *a ſe*, poſitive accepto. 10

Prob. I. Secundum S. Hilarium L. 5. de Trinit. nobis non aliter eſt loquendum de Deo, quam ut ipſe ad intelligentiam noſtram de ſe locutus eſt: atqui Deus interroganti Moyſi, quis eſſet, reſpondit Exod III. *ego ſum, qui ſum: hæc dices filiis Iſraël:* QUI EST, *miſit me ad vos.* ergo per *eſſe a ſe* concipiendus eſt Deus, uti & PP. plerique obſervant.

Prob. II. Ratione. In illo prædicato optime concipitur conſtitutam eſſe Divinam eſſentiam, quod eſt primum in Deo & radix omnium aliorum, & quod ipſum ab omni alio diſtinguit: atqui aſeitas poſitiva eſt hoc prædicatum. ergo. *prob. min.* quoad 1. part. Nihil poteſt in aliquo prius concipi, quam eſſe; ut enim ait author de Divinis notionibus ſub nomine 11

Dionysii Areopagitæ cap. 5. „ Ante alias „ omnes ejus participationes ipsum esse „ præfertur, estque ipsum per se esse antiquius, quam ipsissimam esse vitam, & „ per se sapientiam & quæcunque alia „ participantur ab iis quæ sunt, ante omnem sui participationem participant esse.„ Quodcunque enim in Deo concipitur prædicatum, semper debet prius concipi esse & existere quam esse tale v. g. infinitum, intelligentem &c. *min. prob.* quoad II. partem. Ex eo, quod Deus concipiatur ens *a se*, seu plenissima & sufficientissima ratio sui ipsius essendi & existendi, hoc ipso concipitur infinite perfectus, illimitatus, immaterialis, intelligens, vivens &c. ergo *esse a se* est radix omnium reliquorum. *min. prob.* quoad III. partem. Ens in genere immediate dividitur in ens *a se*, quod est Deus, & ens *ab alio*, quod est creatura; sicut ergo creatura optime definitur per ens ab alio, & hac definitione ab omni non creatura distinguitur; ita etiam Deus optime dicitur ens *a se*, & per hoc ab omni, quod non est Deus, adæquate distinguitur. Quod autem est distinctivum, est etiam illius constitutivum.

12 Respondent Adversarii, aseitate Deum solum distingui a creaturis non autem a cæteris attributis. Contra est: aseitas *negativa* Deum distinguit a creaturis: ergo aseitas

aseitas *positiva* a reliquis attributis; cum quodlibet concipiatur fluere ab illa, tanquam principio & ratione priore, & revera S. THOMAS 1. p. q. 3. usque ad 10. quaslibet perfectiones singillatim ex ratione entis per essentiam tanquam rationem a priori deducit.

OBJIC. I. Essentia Divina debet constitui 13
in prædicato omnium perfectissimo. Sed hoc est intelligere. *min. prob.* gradus intelligendi involvit gradum vitæ, qui est perfectior, a quo tamen præscindit gradus entis.

II. Creaturarum perfectio consistit in perfectiore assimilatione naturæ Divinæ: sed creaturæ perfectius assimilantur Deo per gradum intelligendi, quam per gradum entis: ergo ratio intelligendi est perfectior ratione entis.

III. Eo perfectior est essentia, quo plures continet gradus perfectionis: sed intellectio plures continet gradus perfectionis, quam sola ratio Entis. Sic perfectior est essentia hominis, quam bruti; quia illa præter gradum essendi & vivendi etiam intellectionem involvit: ergo.

IV. In illo debet constitui essentia Divina, quod verbum Divinum recipit ex vi suæ processionis: atqui recipit intelligere

gere actualiſſimum. ergo. *maj.* patet; quia Verbum Divinum per id, quod formaliter recipit à Patre, ex vi ſuæ proceſſionis conſtituitur filius: non poteſt autem conſtitui filius niſi per communicationem naturæ. *min. prob.* ſecunda perſona procedit per modum Verbi: ſed eſſe Verbi, cum ſit terminus intellectionis, nihil eſt aliud, quam intelligere, ſive exiſtere per ipſum intelligere. ergo. Verbum Divinum ex vi ſuæ proceſſionis recipit ipſam intellectionem actualem: conſequenter hæc eſt ratio conſtitutiva naturæ & eſſentiæ Divinæ.

Resp. ad I. *Diſt. maj.* per gradum perfectiſſimum in genere naturæ: *conc.* in genere facultatis aut actualis operationis, quæ primum ſequitur ad eſſe. nego. *Diſt.* etiam *min.* Ens ſumtum ut ſic, præſcindit a gradu vitæ. *conc.* ens a ſe & poſitivum. *neg.* aſeitas enim poſitiva eſt radix vitæ & intellectionis: conſequenter utrumque involvit.

Resp. ad II. In creaturis ſumma perfectio eſt intellectio, quia majoris non ſunt capaces: ex quo tamen non ſequitur, etiam in Deo intellectionem eſſe ſummam & primam perfectionem; nam *eſſe a ſe* perfectius eſt, quam intelligere, cum hoc ex priori tanquam ſua radice & quidem ſolum remote fluat: cumque quoad aſeitatem creaturæ Deo aſſimilari nequeant, ideo

ideo evidens eſt, quod ab aſſimilatione creaturarum non poſſit fieri comparatio ad perfectionem Divinam. Inſuper per eſſe a ſe creaturæ diſtinguuntur eſſentialiter a Deo: ergo eo ipſo per hoc Deo aſſimilari non poſſunt: & hinc ab aſſimilatione creaturarum perfectiſſima non poteſt deſumi argumentum ad conſtitutivum eſſentiæ Divinæ, quod debet eſſe diſtinctivum primarium ab omni creatura.

Resp. ad III. *Diſt. min.* quam ſola ratio Entis ut ſic. *conc.* entis a ſe poſitive ſumti, quod eſt quid actualiſſimum, & gradum vitæ & intelligendi hoc ipſo involvit: *nego.*

Resp. ad IV. Neg. *maj.* & retorq. in eo debet conſtitui natura Divina, quod Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis recipit: atqui Spiritus ſanctus non recipit intelligere actualiſſimum, cum utique non procedat per intellectum, ſed per voluntatem, & tamen recipit naturam Divinam. ergo natura Divina non conſtituitur in intellectione, ſecus Spiritus Sanctus non eſſet Deus. Sicut ergo Verbum per intellectionem Patris, quæ eſt aſſimilativa generanti, recipit naturam Divinam nempe aſeitatem, ſic etiam Spiritus Sanctus per Patris & Filii Amorem recipit naturam Divinam. Dein *Diſt. maj.* quod filius per ſe *primo* recipit. *conc.* quod *ſecundo* reci-

recipit. *nego*. Per ſe primo recipit eſſe a ſe, quia procedit in ſimilitudinem naturæ: per ſe ſecundo recipit intelligere. Nego etiam *min.* ad prob. iterum nego *min.* terminus intellectionis eſt perſona, quæ per eam producitur: ſicut in humanis terminus generationis non eſt generatio, ſed perſona generata.

14 Objic. Contra eandem Reſolutionem. Illud non eſt conſtitutivum eſſentiæ Divinæ, quod omnibus pariter attributis competit: atqui aſeitas omnibus competit, quia de omnibus attributis prædicari poteſt; v. g. ſapientia eſt ens a ſe, verum enim eſt, quod ſapientia ſit Deus.

II. Homo non bene definitur per ens ab alio, quia hoc non eſt genus proximum, ſed ſupremum & remotum: ergo etiam Dei eſſentia non apte conſtituitur in aſeitate, quia eſt genus ſupremum.

III. Aſeitas Deum ſolum diſtinguit a creaturis, non autem a reliquis attributis: ſicut eſſe ab alio diſtinguit hominem aut Angelum a Deo, non autem a reliquis ſpeciebus: *ergo*.

Resp. ad I. *Diſt. min.* Aſeitas *inadæquata* competit omnibus *conc.* *adæquata* & omnimoda, *neg.* hæc excludit quamlibet originem, radicem, cauſam, ac etiam prin-

cipium:

cipium: & hæc soli Divinæ essentiæ competit, quæ adæquate & omnimode *a se est*, & a nullo alio, sive ut radice, sive ut principio: cum tamen omnia alia, quæ sunt in Deo & extra Deum, ab aliqua origine dimanant; nam attributa fluunt ab essentia tanquam a *radice*: Filius a Patre, & Spiritus S. ab utroque tanquam a *principio*, creaturæ omnes a Deo tanquam a *causa*: igitur attributis aseitas solum inadæquata competit.

Resp. ad II. Nego conseq. disparitas est evidens; quia si homo definiretur ens ab alio, sine addita differentia ultima, tunc per istam definitionem non differret, sed conveniret cum omni alia creatura, quod est contra rationem definitionis: sicut ergo *esse ab alio* non distinguit hominem ab omni non homine, ita nec constituit: econtra Deus per aseitatem distinguitur primario ab omni non ipso. ergo etiam constituitur.

Resp. ad III. *Dist.* aseitas negativa. *conc.* positiva, *nego.* sensus patet ex dictis.

§. II.

§. II.

De distinctione inter essentiam & attributa absoluta.

15 Cum Deus sit spiritus & ens simplicissimum, nihil in eo realiter actu distinctum esse potest: secus esset aliquid unum ex pluribus, veluti partibus compositum; cum compositio sit distinctorum unio. Quia tamen est ens perfectissimum, imbecillis autem noster intellectus uno simplicique intuitu complecti non potest singulas ejus perfectiones, hinc eas, utut inter se & cum essentia realiter identificatas successive & præcisive unam post alteram & sine altera per rationem distincte considerat, seu per rationem distinguit, idque cum fundamento in re, quod eidem præbet simplicissima ipsa Dei unitas pluribus tamen perfectionibus æquivalens, quæ virtualem distinctionem fundat, cujus rationem ex Philosophia suppono.

16 Evitandi sunt in hac quæstione errores oppositi. Nam Eunomius Aetii discipulus seculo IV. nullam nequidem virtualem aut rationis ratiocinatæ distinctionem inter essentiam & attributa, tam absoluta, quam relativa, sed diversa solum nomina admisit. Hunc vero suum errorem duplici ex ratione propugnavit cum Arianis:

Arianis: *primo*, quia jactabant, ſe habere plenam Dei notitiam: *ſecundo*, quia Filium Deum eſſe negabant. Ex prima inferebant: ſi attributa nec inter ſe nec ab eſſentia diſtinguantur, tunc qui Deum novit eſſe ingenitum, ille Deum pleniſſime cognoſcit. Ex altera concludebant: ſed Filius non eſt ingenitus: ergo plene cognoſcimus, illum non eſſe Deum: ex oppoſito errarunt alii, eſſentiam ab attributis & hæc ab invicem diſtinguentes realiter actu: ſic primo Valentiniani Sæculi I. hæretici exiſtimarunt, quod Divina Eſſentia emanet quasdam perfectiones, quas ÆONAS vocabant, & quidem numero 30. ac ab eſſentia Divina diſtinctas. De quo ſyſtemate poſt S. IRENÆUM legendus MASSUETUS & Cardinalis GOTTI de hæreſibus I. Sæculi. II. Erravit quidam GUALTERUS, qui eſſentiam ab attributis abſolutis diſtinctione reali majore ſeparabat. III. Palamitæ a Gregorio PALAMA Epiſcopo Theſſalonicenſi ſic dicti Sæculo XIV. qui naturam Dei ejuſque proprietates, præcipue autem lumen aliquod eximium & increatum ab eſſentia manans & tamen realiter diſtinctum ſtatuebant, quod inclinato ad umbillicum capite ſe intueri jactabant. IV. GILBERTUS Porretanus, Pictavienſis Epiſcopus Sæculo XII. de cujus tamen errore non adeo inter eruditos convenit; quidam enim exiſtimant, eum in hoc ſolum erraſſe, quod perſona-

litates realiter diſtinxerit ab eſſentia, & ſic quaternitatem in Divinis admiſerit. Plures tamen alii exiſtimant eum etiam attributa tum ab eſſentia, tum ab invicem realiter ſeparaſſe.

Resolutio I. In Deo debet admitti aliqua diſtinctio ſaltem mentalis inter eſſentiam & attributa, & inter hæc ipſa. *contra* Eunomium.

17 Prob. I. Chriſtus Joan. XVI. dixit: *omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt*: quæ verba a concilio Florentino ita fuerunt expoſita: „ omnia quæ Patris ſunt, ipſe „ Pater unigenito ſuo Filio dedit gignen- „ do, *præter eſſe patrem.* „ ergo paternitas aliquo modo diſtinguitur ab eſſentia & attributis: ſecus pater tribuendo eſſentiam Filio & attributa, etiam communicaſſet paternitatem.

18 Prob. II. Juxta S. Basilium L. I. contra Eunomium, eſſentia Divina ita ſe habet reſpectu attributorum, ſicut Chriſtus reſpectu variorum officiorum, quæ geſſit: atqui inter Chriſtum & ejus officia datur aliqua diſtinctio ſaltem mentalis: ergo & inter eſſentiam & attributa. *min. prob.* quando unum poteſt concipi ſine altero, ſaltem explicite cogitato, tunc habetur diſtinctio mentalis: ſed unum Chriſti officium v. g. Paſtoris, poteſt cogitari, quin aliud, v. g. mediatoris explicite cogitetur: *ergo.*

Prob.

Prob. III. Nomina Divinæ eſſentiæ attributa, non ſunt mere ſynonima. ergo intercedit diſtinctio ſaltem mentalis. *Ant. prob.* Deus in ſe eſt cumulus infinitarum perfectionum per ſimplicem continentiam, quæ intellectui præbet fundamentum Deo diverſa nomina imponendi. ergo illa nomina non ſunt mere ſynomina, ſed ſignificant diverſas rationes objectivas. *Conſequentia* prioris enthymematis etiam patet; quia, ubi nomina non ſunt mere ſynonima, ibi non eſt diſtinctio ludicra, ſed fundata. 19

Prob. IV. Si nulla nequidem mentalis diſtinctio inter eſſentiam & attributa admittenda eſſet; tunc ideo, quia hæc omnia in Deo ſunt identificata: ſed hæc ratio nulla eſt; etiamſi enim perſonæ ſint unum cum eſſentia, datur tamen mentalis diſtinctio inter eſſentiam & perſonas. ergo. 20

Objic. I. Ubi datur ſumma unitas & identitas, ibi non poteſt neque per mentem cum fundamento aliqua fieri diſtinctio: ſed hæc unitas datur in Deo. *ergo.* 21

Respond. Nego *maj.* eo ipſo enim, quod multa in Deo ſint unum, intellectus fundamentum habet, ea multipliciter apprehendendi, ſicut res ipſas multipliciter repræſentant.

22 Objic. II. Si admittitur diſtinctio etiam ſolum mentalis, tunc datur in Deo compoſitio ſaltem rationis; nam compoſitio eſt diſtinctorum unio, ſed nulla poteſt in Deo admitti compoſitio ob ſummam ſimplicitatem. *ergo*.

Resp. Nego *maj*. additam rationem *diſt.* compoſitio eſt diſtinctorum unio, ſi diſtincta ſe invicem excludant. *conc.* ſi ſe invicem includant, *nego.* compoſitio rationis datur ſolum inter ea, quæ ſe habent ut actus & potentia, ſeu ut partes: quæ vero ſe invicem includunt, non conſiderantur ut partes, neque ut actus & potentia; licet enim mens conſideret eſſentiam abſque attributis, attributa tamen ab eſſentia non excludit. Si quæ autem concipiatur compoſitio, illa eſt in intellectu componente, non in objecto quaſi compoſito.

23 Objic. III. Nulla diſtinctio importans errorem admitti in Deo poteſt: ſed etiam mentalis importat errorem; quia intellectus diſtinguendo attributa ab eſſentia errat: cum ſint perfectiſſime identificata. *ergo*.

Respond. nego *min.* ad prob. *diſt.* intellectus errat, judicando, vel affirmando, eſſentiam diſtingui ab attributis vel abinvicem, *conc.* ſimpliciter ſolum apprenhendendo.

do, *nego*. ob ſummam enim perfectionum multiplicitatem & unitatem intellectus omnia ſimul apprehendere nequit, ſed unam poſt alteram.

RESOLUTIO. II. Inter eſſentiam & attributa, vel inter ipſa attributa abſoluta, non poteſt admitti diſtinctio realis ſive major ſive minor. Contra Valentinianos, Gualterum, Palamitas & Gilbertum. 24

PROB. I. Perſonalitates non diſtingui ab eſſentia. Si enim tres perſonæ; uti inter ſe ſunt realiter diſtinctæ, ſic etiam diſtinguerentur ab eſſentia, tunc in Deo non daretur trinitas, ſed quaternitas. Atqui contrarium definitum eſt non ſolum in concilio Rhemenſi contra Gilbertum celebrato, ſed etiam in Lateranenſi IV. contra Joachimum Abbatem can. 2. & Florentino Seſſ. XVIII.

PROB. II. Attributa non diſtingui realiter ab eſſentia. Nam in cit. conc. Rhemenſi in formula Fidei ajunt PP. „ credimus ſimpliciter, naturam Divinitatis „ eſſe Deum, nec aliquo ſenſu catholico „ poſſe negari, quin Divinitas ſit Deus „ & Deus Divinitas. „ In eodem conc. ſic loquebatur S. BERNARDUS. „ Scribatur „ ſtylo ferreo, quod Divina eſſentia, for„ ma, natura, Deitas, bonitas, ſapientia, „ virtus, potentia, magnitudo &c. vere „ Deus eſt. „ 25

26 Prob. III. Ratione. I. Inter ea nulla intercedit realis distinctio major, aut minor, quae possunt invicem in recto praedicari: atqui essentia & attributa possunt invicem in recto praedicari, dicendo v. g. Deus est bonitas, & bonitas est Deus. II. Si quodlibet attributum realiter actu distingueretur ab essentia Divina, tunc non solum daretur quaternitas, sed centenitas in Deo, ut ratiocinatur S. Bernardus L. V. de consideratione cap. 7. sed hoc absurdum & impium est. *ergo*. III. Si aliquod attributum, v. g. Divinitas non est Deus, tunc est major vel minor Deo. Non primum; quia nihil Deo majus. Non alterum; quia Divinitas Deum constituit. Neque etiam est aequalis Deo; sic enim daretur alterum summum bonum a Deo realiter distinctum, & sic essent duo Dii. IV. Deus est Ens, quo melius cogitari nequit: sed melius est perfectiones cum Divina essentia esse identificatas; nam si istae perfectiones sunt ab essentia distinctae, tunc debent concipi tanquam formae quaedam in subjecto receptae: sed subjectum capax recipiendae perfectionis jam dicit aliquam potentialitatem & imperfectionem. *ergo*. V. Nulla debet in Divinis admitti realis distinctio, ubi non occurrit oppositio relativa, prout ratiocinabantur PP. Florentini: atqui inter essentiam & attributa non occurrit oppositio relativa. ergo. VI. Si essentia realiter distingueretur ab attributis

tributis, tunc non eſſet Ens ſimplex, ſed eſſet aliquod compoſitum ex omnibus attributis; compoſitio enim nihil eſt aliud, quam diſtinctorum unio: hæc autem unio daretur in Deo. ergo & compoſitio.

PROB. IV. Contra Palamitas, inter eſſen- 27
tiam & ejus operationes non dari diſtinctionem realem. Palamitæ volunt, illas operationes & lumen, eſſe aliquod medium inter Deum & creaturas: ſed hoc non poteſt admitti; vel enim ſunt a ſe? & ſic ad eſſentiam Divinam pertinent. vel ſunt ab alio: & tunc creaturæ ſunt. Medium non datur. II. Si operatio immanens v. g. generativa Filii a Divina ſubſtantia realiter eſt diſtincta, tunc ea non eſt immutabilis; quia ei advenit aliqua entitas realis ab ea diſtincta; nec etiam erit ſimplex, ſed ex variis operationibus compoſita. III. Iſtæ entitates & operationes diſtinctæ aut ſunt ſubſtantiæ, aut accidentia? neutrum poteſt dici; quia nec plures ſubſtantiæ in uno & ſimpliciſſimo Deo, nec aliquod accidens in ente perfectiſſimo & neceſſario locum habere poſſunt.

OBJIC. I. pro GILBERTO SS. PP. maxime 28
AUGUSTINUS affirmant, perſonam & naturam eſſe idem. Nam L. VII. de Trinit. c. 4. ait, Deo Patri aliud eſſe, quod Deus ſit, aliud, quod pater ſit, quia Deus

dicitur ad ſe, pater ad alium. ergo eſſentia & perſona diſtinguuntur.

RESPOND. *Diſt.* conſequens. ergo diſtinguitur realiter actualiter. *neg.* realiter fundamentaliter ſeu virtualiter. *conc.* hæc ſola diſtinctio ſufficit ad tollenda contradictoria.

29 OBJIC. II. S. GREGORIUS Naz. oratione 35. ait „ quid ? an etiam immortalitas & innocentia, & immutabilitas eſſentia „ Dei ſunt ? at ſi ita eſt, multæ Dei „ eſſentiæ erunt, non una. „

RESPOND. Hic & alii SS. PP. dum agunt contra Eunomium, volunt exprimere veram aliquam in Deo diſtinctionem, non vero realem actualem. Igitur *Diſt.* immortalitas &c. non eſt eſſentia, realiter actualiter. *Nego.* virtualiter. *conc.* nec eſt abſurdum, eſſentiam virtualiter multiplicem dicere; quia eſſentia omnes perfectiones complectitur, realiter quidem ſecum identificatas, ſed per rationem ſeparabiles.

30 OBJIC. III. Illa diſtinguuntur realiter, de quibus prædicantur contradictoria : ſed de eſſentia & perſonalitatibus prædicantur contradictoria; nam de eſſentia Patris dicitur, quod ſit eadem cum filio : de perſonalitate autem ſeu paternitate, quod non ſit eadem cum filio : ſed eſſe, & non eſſe idem, ſunt prædicata contradictoria. *ergo.*

RESPOND.

Respond. *Dist. maj.* de quibus prædicantur *absolute* prædicata contradictoria; realia conc. *reduplicative.* nego *maj.* & sic distincta minore consequentiam. Ubi enunciantur prædicata absolute contradictoria, ibi debent dari subjecta adæquate & a parte rei distincta; ut dum dico: Petrus est homo, & non est homo: non vero in prædicatis reduplicativis: ut si dicam: fidelis ratiocinatur, Fidelis non ratiocinatur nimirum *qua* Fidelis, sed qua est Theologus, aut Philosophus. Sic etiam Pater est idem cum filio, quatenus dicit naturam, non vero quatenus dicit personam; nam omnia, quæ habet Pater sunt Filii, excepta paternitate. Imo Filius etiam paternitatem habet *mediate*, quatenus est eadem cum natura Divina Filio communi, non autem *immediate.*

Objic. IV. pro Palamitis. SS. PP. passim docent, naturam & efficaciam non esse 31
idem, ergo operationes distinguuntur a natura Divina.

Respond. *Dist.* non esse idem quoad nomen, explicite, & virtualiter, *conc.* quoad rem, & implicite. *Nego.*

Objic. V. Author lib. de Divinis nominibus sub nomine Dionysii Areopagitæ c. 2. 32
hunc præfixit Titulum: de unita & distincta theologia; *quænam est Divina unio*

& distinctio? sed nomine unitæ Theologiæ intellexit unam essentiam, nomine autem distinctæ theologiæ intellexit attributa & proprietates &c. ergo sunt distincta.

RESPOND. Ille author per *distinctam theologiam* intelligit personas, ut patet ex toto contextu. Si autem loqueretur de attributis, exponi deberet de distinctione virtuali & rationis.

33 OBJIC. VI. Palamitarum sententia in quatuor conciliis probata fuit, ut testantur CANTACUZENUS, Nicephorus GREGORAS & DEMETRIUS sydonius apud PETAVIUM L. I. c. 12. ergo.

RESPOND. *Dist.* in quatuor conciliis Ecclesiæ græcæ schismaticæ & hæreticæ probata fuit. *conc.* a conciliis Ecclesiæ veræ & catholicæ. *nego.*

34 RESOLUTIO III. Gilbertus docuit, non solum personas, sed etiam attributa realiter ab essentia esse distincta: an vero etiam attributa ab invicem realiter separaverit, dubium videtur.

PROB. I. pars, de distinctione personarum ab essentia: GILBERTUS in conc. Rhemensi ab EUGENIO R. P. interrogatus, an summa illa essentia, qua tres personæ sunt unus Deus, crederet esse Deum: respondit:

dit: non. Dein ſi perſonas ab eſſentia non diſtinxiſſet actu realiter, non potuiſſet eidem Bernardus objicere, ſequi, quod daretur in Deo quaternitas.

PROB. II. pars. Gilbertum eandem di- 35
ſtinctionem admiſiſſe inter eſſentiam & attributa. Ille attributa ab eſſentia ſeparavit, qui profeſſus eſt, Divinitatem, qua Deus Deus eſt, non eſſe Deum: magnitudinem, ſapientiam non eſſe Deum. Sed hoc docuit Gilbertus, ut patet ex concilio RHEMENSI & S. BERNARDO præcipuo illius impugnatore & GAUFREDO, qui & ipſe concilio Rhemenſi cum Bernardo interfuit, & acta concilii ad Cardinalem Albanenſem perſcripſit.

PROB. III. pars dubium eſſe, an attri- 36
buta ab invicem realiter diſtinxerint. Variant enim in hac re authores, nec ex actis erui poteſt hoc Gilbertum docuiſſe: imo ex D. BERNARDO colligi poſſe videtur, Gilbertum attributa ab invicem non ſeparaſſe. Nam L. V. de conſideratione c. 7. ſic contra illum ſuppreſſo tamen ejus nomine ſcribit: „ Multa dicuntur eſſe in „ Deo, & quidem ſane, catholiceque, ſed „ multa unum: alioquin ſi diverſa putemus, non quaternitatem habueris, ſed „ centenitatem. Verbi cauſa dicimus, mag- „ num, bonum, juſtum, & innnumera „ alia. Sed niſi omnia unum in Deo, &

„ cum

„ cum Deo consideres, habebis multipli-
„ cem Deum. . . . scio quod ad hoc re-
„ spondere solent, non multa inquiunt,
„ sed unam tantum divinitatem : quæ om-
„ nia illa sunt, Deo, ut sit, conferre as-
„ serimus. Asseritis ergo, etsi non mul-
„ tiplicem, duplicem Deum, & non ad
„ merum simplex pervenistis, neque ad
„ id, quo melius cogitari non potest.„
Hæc BERNARDUS. Jam sic : si Gilbertus præter attributa ab essentia distincta, ipsa etiam inter se separasset, tunc non solum duplicem sed multiplicem Deum admittere debuisset: item non potuisset dicere, quod omnia illa multa attributa unam Divinitatem constituant. Ex adverso autem ex ipsa ejus doctrinæ consequentia fluere videtur distinctio realis inter attributa ; si enim fateri noluit, Divinitatem aut sapientiam esse Deum: quomodo fateri potuisset : Divinitas est sapientia, justitia est misericordia &c. forte autem, ut Novatores solent, Gilbertus non fuit constans in eodem dogmate, & quæ aliquando professus est, alio tempore negavit. Unde denique sequitur, nondum liquido constare an attributa ab invicem distinxerit.

37 RESOLUTIO IV. Tam inter essentiam & attributa absoluta, quam inter hæc invicem, admittenda sola distinctio virtualis, seu rationis ratiocinatæ cum fundamento in re.

PROB. I.

Prob. I. Illa diſtinguuntur virtualiter, quæ quamvis in ſe ſint una & ſimpliciſſima res, pluribus tamen realiter diſtinctis æquivalent, & intellectui, qui uno actu omnia ſimul concipere nequit, præbent fundamentum diverſis conceptibus ſingulas illas perfectiones conſiderandi; nam per diſtinctionem virtualem nihil aliud intelligunt Thomiſtæ. Sed Divina Natura eſt talis res, in ſe quidem una & ſimpliciſſima, ſed tantis perfectionibus, prædicatiſque eminens, quæ æquivalent pluribus diſtinctis, & intellectui fundamentum præbet diverſis conceptibus conſiderandi, & per rationem ſeparandi, ſeu unam ab altera objective præſcindendi. ergo. *min.* confirmat. S. Scriptura Deo varias attribuit proprietates, quæ non ſunt mera ſynonima, ſed diverſa ſignificant, ut illud Pſalmi 84. *miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt:* ubi juſtitia & miſericordia & innumera alia diverſas intellectui ideas efformandas objiciunt.

Prob. II. Ubi datur diſtinctio rationis cum fundamento in re, ibi eſt diſtinctio virtualis: ſed in Divina eſſentia & attributis vel ad invicem, vel inter ſe comparatis, datur hæc diſtinctio, *ergo. min. prob.* Dari enim diſtinctionem rationis, eſt de fide contra Eunomium: eam autem eſſe cum fundamento in re hic oſtenditur. Ens 38
plures

plures perfectiones, quæ alias in inferioribus sunt dispersæ, in se uno æquivalenter seu eminenter continens ex una parte, & intellectus humani angustia ex altera parte, qui istud immensum perfectionum pelagus actu unico concipere nequit, tale sunt fundamentum, quod facit, ut intellectus non ludicre, seu nugatorie, sed prudenter unam sine altera perfectionem consideret, & per rationem præscindendo separet: per hoc enim distinctio rationis *ratiocinatæ* diversa est ab altera *ratiocinantis*: & hæc est clara mens S. Thomæ in primum Sent. Dist. 2. q. 1. a. 3. „ fundamentum distinctionis, quam intellectus fabricat inter perfectiones divinas, „ non est aliqua multiplicitas vel diversitas se tenens ex parte Dei, sed plenitudo & eminentia perfectionis Dei comparatæ cum difficultate nostri intellectus, „ non valentis rem, quæ Deus est, unico conceptu intelligere. „

39 Objic. I. Quæ sunt realiter eadem & in recto de se prædicari possunt, non distinguuntur per rationem cum fundamento in re: atqui ita se habet natura Divina & attributa. *ergo.*

Respond. Dist. *maj.* quæ sunt realiter eadem tam actualiter quam virtualiter; item quæ de se in recto prædicari possunt tam in sensu actuali, quam virtuali. *conc.*

conc. quæ ſunt eadem actu, ſed virtualiter multiplicia. *nego.*

Objic. II. Si ea per rationem diſtinguuntur, quæ non ſunt diſtincta in ſe, tunc 40
illa cognitio non eſt conformis objecto, & conſequenter falſa: atqui per diſtinctionem virtualem miſericordia v. g. apprehenditur, ſine juſtitia, cum qua tamen realiter eſt eadem. *ergo.*

Respond. *Diſt.* ſequelam *maj.* tunc cognitio non eſt conformis, ſed falſa, ſi ſit judicatoria. *conc.* ſi ſolum apprehenſiva ſeu præciſiva. *nego.* ut eſt in proverbio: abſtrahentium non eſt mendacium. Non itaque judicamus, juſtitiam non eſſe miſericordiam, ſed ſine conceptu explicito juſtitiæ eam apprehendimus.

Objic. III. Ut diſtinctio rationis cum 41
fundamento in re ſit, debet in ipſo objecto dari diverſitas; nam diverſis conceptibus formalibus, ut non ſint fictitii, reſpondere debent diverſi conceptus objectivi: ſed in Deo nulla datur diverſitas. *ergo.*

Respond. *Diſt. maj.* debet dari diverſitas in objecto, actualis & formalis. *nego.* virtualis, ſeu fundamentalis. *conc. Diſt.* etiam additam probat. Diverſis conceptibus formalibus debent reſpondere diverſi conceptus objectivi vel adæquati, vel inadæquati.

quati. *conc.* ſemper adæquati. *nego.* conceptus objectivus adæquatus eſt totius rei: inadæquatus autem eſt rei ſub diverſo ſolum reſpectu. Igitur conceptibus intellectus præſcindentibus ſat eſt, ſi reſpondeant conceptus objectivi inadæquati, qui Deum repræſentant, qua miſericordem &c. non autem prout eſt in ſe totus & adæquate.

CAPUT II.

De attributis negativis.

42 Cum eſſentia Dei, utut in ſe ſimpliciſſima, concipiatur a nobis ceu radix ac fons omnium attributorum, ſeu perfectionum, ipſa autem eſſentia Dei conſiſtat in ente abſolute neceſſario, independente, ſeu, quod ſibi ſoli ad exiſtendum ſufficit, econtra rerum omnium extra ſe cauſa eſt efficiens, & creaturarum omnium perfectiones vel formaliter, vel eminenter contineat; hinc quaſi per duplicem viam omnia attributa ab eſſentia dimanare concipimus, ita ut ab *independentia* Dei fluant attributa *negativa:* a *cauſalitate* vero Dei deriventur attributa *poſitiva.*

43 Attributum *negativum* dicitur, quod a Deo imperfectionem removet, licet poſitive enuncietur. *Poſitivum* eſt perfectio

quædam, ſeu vis intelligendi & volendi, ſoli Spiritui propria: & cum iſtæ perfectiones etiam Spiritibus creatis competant, multo magis cum eminentia in Deo ſpirituum creatorum cauſa efficiente, contentæ eſſe debent.

Ex eo igitur, quod Deus ſit Ens abſolute neceſſarium, independens & illimitatum, omnique imperfectione carere debeat, ſequitur, I. non plures poſſe dari Deos, ſed *unum*. Hinc *unitas* etiamſi poſitive enuntietur, quia tamen negat imperfectionem pluralitatis, eſt attributum negativum. Sequitur II. eſſe *ſpiritualem*, ſeu omnis materiæ expertem. Ex Spiritualitate dein ſequitur III. Deum eſſe inviſibilem oculis corporeis, qui ſola corporalia intuentur: qua occaſione nonnulli Theologi de viſione intuitiva pertractant. ego autem hanc materiam aptius ad Tract. de Beatitudine, quæ in viſione Dei conſiſtit, reſervandam cenſui. Ex eadem Spiritualitate Dei ſequitur IV. Deum eſſe *ſimplicem* ſeu non compoſitum. V. Ex eadem independentia, neceſſitate, & aſeitate ſequitur eſſe *infinitum*, ſeu limitibus nullis circumſcriptum; limitari enim non poſſet niſi ab alio: ſed extra ens neceſſarium & a ſe, nihil datur aliud. *Infinitas* eſt, quæ omnem finem, ſeu limitem excludit, & eſt duplex: una *abſoluta*, quoad naturam & in ſe, ex qua ſe- 44

quitur, Dei omnes perfectiones esse infinitas seu illimitatas, ex N. 4. & 5. Altera est *relativa*. quæ removet omnem limitem temporis, spatii & loci. Hinc fluit VI. infinitas quoad spatium & locum, & hæc dicitur *immensitas*, VII. infinitas quoad tempus, & hæc dicitur *immortalitas*, seu *æternitas*, ex eadem existentiæ Dei necessitate & independentia sequitur VIII. immutabilitas, illaque tam *physica*, seu, quod essentia Dei semper maneat eadem, quam *moralis*, quæ negat mutationem intellectus & voluntatis: quomodo ex causalitate Dei deriventur attributa positiva, dicetur cap. seq. hinc §. I. agam de unitate Dei: II. de spiritualitate & simplicitate. III. De immensitate, & æternitate. IV. De immutabilitate Dei.

§. I.

De Unitate Dei.

45 Etiamsi & per solam rationem naturalem evidens sit, & in S. Scriptura centenis locis revelata fuerit unitas Dei, fuerunt tamen non Pagani solum Polythei, sed inter Christianos quoque, qui plures admiserunt Deos. Sic VALENTINUS Sæc. II. triginta statuit Æonas, ceu totidem Deos. CERDO duos posuit Deos, unum quidem justum, sed non bonum, cognitum authorem mundi & Leg. Vet.

nec

nec patrem Chriſti: alterum bonum incognitum, patrem Chriſti, & authorem Evangelii. Duo quoque principia ſibi adverſantia ſtatuit MARCION & MANES, a quo Manichæi. Ut nihil dicam de Tritheitis, aliisque Paganorum inſaniis, & Poëtarum fabulis. CARAMUEL, famoſus ille probabiliſtarum Patronus, etſi unitatem *Dei* agnoverit, negavit, eam naturali ratione demonſtrari poſſe. Contra quos

RESOLUTIO. Deus ita neceſſario natura unus eſt, ut pluralitas repugnet. 46

PROB. I. Deus eſt ens ſummum, infinitum, quo melius cogitari non poteſt: ergo unus eſt; quia, quod ſummum eſt, eo nec majus nec æquale datur, cum melius ſit, non habere æqualem.

PROB. II. Deus eſt ens perfectiſſimum: 47
ſed hoc unum eſt; ſi enim plura darentur entia perfectiſſima, tunc vel ab invicem dependerent, vel neutrum eſſet dependens. Si primum; tunc neuter eſt Deus; quia dependere ab altero eſt imperfectio, & excludit aſeitatem. Si ſecundum; tunc denuo neuter eſt perfectiſſimus; quia ſumma perfectio dicit authoritatem ſuper omnia, quæ ab ipſo natura diſtincta ſunt.

48 PROB. III. Deus est ens infinitum. ergo est unus. Nam Ens in omni genere infinitum debet continere & exhaurire omnes perfectiones possibiles: ergo hoc ipso non potest dari nisi unum ejusmodi Ens; si enim daretur alius Deus pariter in omni genere perfectissimus; tunc prior Deus non contineret perfectiones hujus, & ita non foret in omni genere perfectissimus. Si autem contineret, tunc non essent distincti, adeoque idem.

49 PROB. IV. Deus est summum bonum, & ultimus hominis finis. ergo unus; nam ultimus finis debet adæquate satiare & explere hominis appetitum, ut extra illum nihil desiderandum supersit. Sed si præter unum Deum, & hunc ultimum finem, daretur alius; tunc hominis appetitus non satiaretur, sed tenderet etiam in alterum finem, tanquam summum bonum.

50 PROB. V. Deus est mundi creator & rector: ergo unus. Consequentia probatur. Vel enim sufficit ad creandum & gubernandum hunc mundum? tunc alter Deus superfluus est, & inde non Deus; quia non est necessarius. Vel non sufficit? tunc non est infinite perfectus, non omnipotens, & iterum non Deus.

51 PROB. VI. Si essent plures Dii, tunc inter se differrent, idque vel *specie*, vel *numero*,

numero. Sed hoc impoſſibile eſt; illud enim, per quod differrent, eſſet perfectio, vel imperfectio? utrumque repugnat; ſi enim differentia eſt perfectio; tunc unus hac perfectione careret, & ſic non eſſet ens infinite perfectum. Si autem differentia eſt imperfectio; tunc ille, cui ineſſet, non foret Deus, in quem nulla cadit imperfectio.

PROB. non dari duo principia, bonum 52
& malum ſummum. I. Si exſtarent duo principia, tunc unum eſſet ſummum bonum, alterum ſummum malum. Sed repugnat, ſummum malum; nam Deus ſumme malus viveret, aut non viveret? ſi viveret; non eſt ſummum malum, quia vivere bonum eſt. Si non vivit, tunc nihil cognoſcit, & ſic nocere non poteſt; quippe carens omni operatione.

II. Principium bono adverſum deberet 53
eſſe ſummum malum, quo pejus nihil cogitari poteſt; ſed tale principium nequidem concipi poteſt; vel enim exiſtit? & jam non eſt ſummum malum; cum exiſtere ſit bonum, & non exiſtere, malum: & ſic principio malo exiſtente poſſet cogitari aliquid pejus, hoc eſt, non exiſtens. Si autem non exiſtit; hoc ipſo non datur niſi in intellectu, ſive ratione fingente.

54 III. Repugnat Deus, qui non ſit ſubſtantia: ſed principium malum non poteſt eſſe ſubſtantia; hæc enim aliquid bonum eſt. Omnis autem bonitas repugnat ſummo malo.

55 IV. Illa ſubſtantia vel eſſet corruptibilis; & ſic haberet aliquam bonitatem, quam per corruptionem amitteret. Vel non corruptibilis? & ita maxime bona foret.

56 V. Duo illi Dii Marcionitarum vel habent poteſtatem æqualem, vel unus altero fortior eſt? ſi æqualis eſt utriuſque poteſtas; tunc neuter operabitur altero ſemper impediente, ſicque nec bonum, nec malum erit in orbe. Si autem unus altero præſtantior eſt; ergo non ſunt duo æquales, quod volebat Marcion. Igitur Deus bonus poteſt impedire ſuum adverſarium; & jam non bonus eſt, ſi non impedit. Vel non poteſt; ſicque caret omnipotentia, nec jam Deus eſt.

57 Ad ſolvenda ſophiſmata Manichæorum, ſufficit probe diſtinguere inter malum *phyſicum* & *morale*, inter *poſitivum* & *privativum*, inter voluntatem Dei *poſitivam*, & *permiſſivam*; multa enim mala Deus permittit, e quibus majus bonum elicit. v. g. e permiſſione lapſus Adami, elucet hinc hominis libertas, inde Dei ſumma bonitas mittentis redemtorem.

Objicit Caramuel. Si unitas Dei evidenter poſſet demonſtrari, tunc fieri nunquam potuiſſet, ut tot nationes, etiam ſapientiſſimæ, quales erant Ægyptii, Græci, Romani, Deorum pluralitatem admiſiſſent: atqui hoc per plura ſæcula contigit. 58

II. Non poteſt demonſtrari unitas Dei, quin deſtruatur Trinitas perſonarum: ergo aut poſſibilis pluralitas Deorum: aut poſſibilis eſt una ſolum perſona. *Ant. prob.* omnia argumenta, quæ probant Dei unitatem, pugnant contra pluralitatem perſonarum; cum enim quælibet perſona ſit Ens, quo melius cogitari non poteſt, ſequitur, quod debeat involvere omnes perfectiones, tam paternitatem quam filiationem &c. vel ſi non includit; tunc non quælibet perſona eſt Deus, quippe carens ſaltem una perfectione.

III. Quælibet perſona eſt Deus. ergo ſunt tres Dii. Conſequentia *prob.* tot in creatis ſunt homines, quot perſonæ. ergo etiam tot ſunt Dii, quot Perſonæ Divinæ.

Resp. ad I. *Diſt. maj.* pluralitatem Deorum ſupremorum. *conc.* ſubordinatorum. *nego.* omnes fere gentes unum aliquod Ens ſupremum agnoverunt, cui ſubordinabant plura inferiora numina ſupremo inſervientia, vel præter unum Deum admiſerunt genios, quos tamen pro veris Diis

non habuerunt. Quod autem ſapientiores Philoſophos attinet, illi plerumque in gratiam plebis ſimularunt, ſe plures colere Deos, re ipſa autem non niſi unum agnoverunt. Imo ipſe populus gentilis Chriſtianorum argumentis adverſus Deorum pluralitatem in anguſtias redactus reſpondit apud OROSIUM L. VII. hiſt. c. 1. *non ſe plures Deos ſequi, ſed ſub uno magno Deo plures miniſtros venerari.* Et ut teſtatur S. AUGUSTINUS lib. X. contra Fauſtum, Pagani unum admittebant omnium Deorum Patrem. *Pagani multos ſuos Deos ex una ſubſtantia aſſerunt.*

RESP. ad II. Nego *ant.* nam Argumenta pro unitate Dei intelligi debent non de perſonalitate, ſed de natura, quæ tribus perſonis una & eadem eſt. Ad *prob.* dico, quamlibet perſonam eſſe ens perfectiſſimum, quoad naturam tribus communem. An vero relationes ſint perfectiones, dicam de Deo Trino. Interim ſufficiat, quod quælibet relatio includat alteram non quidem *immediate*, ſed *mediate*, ratione naturæ, quæ cum qualibet perſonalitate identificata eſt.

RESP. ad III. Nego conſequentiam; quia ſi forent tres Dii, deberent dari tres naturæ. ad prob. nego *conſ.* diſparitas eſt; quia quælibet natura humana finita eſt, & tota per unam perſonalitatem exhauritur: at

at Divina ob ſuam illimitationem & infinitatem a pluribus terminari, ſeu tribus communis eſſe poteſt.

§. II.

De Spiritualitate & ſimplicitate Dei.

Spiritus opponitur materiæ, & eſt ſub- 59
ſtantia corpore carens, intellectu & voluntate prædita. Hoc attributum quoad primam partem eſt *negativum*, removens a Deo imperfectionem. Quoad alteram eſt *poſitivum*, de quo ſuo loco. Quod omni materia ſeu compoſitione ex partibus caret, hoc etiam eſt ſimplex. Utrumque attributum Deo convenire, & S. Scriptura tradit, & ratio evincit. *Spiritus eſt Deus*, inquit Chriſtus Joann. IV. 24. & Paulus II. ad Corint. III. 17. *Dominus autem Spiritus* eſt. Ratio eſt, Deo nulla perfectio deeſſe poteſt: ſed eſſe Spiritum eſt perfectio, & fluit ab aſeitate; quidquid enim ex corpore & partibus conſtat, illud ab alio eſt: quidquid autem partibus caret, illud eſt ſimplex, quod enim compoſitum eſt, etiam corruptibile eſt. Corruptio autem Deo ſumme perfecto competere nequit. Inſuper, cum dentur Spiritus creati, tanquam entia ſimplicia, eo ipſo utraque perfectio eminenter Deo ineſſe debet. Sed veterum quorundam

rundam Paganorum, qui Deum hoc univerſum eſſe atque adeo corporeum eſſe ſtatuebant, errorem hoc ævo renovavit Benedictus Spinoza ex Judæo Chriſtianus, tandemque Atheus famoſus, qui unicam admittit ſubſtantiam infinite extenſam, res omnes eſſe æternas, nihilque aliud quam Dei modificationes. Errabant & alii inter Chriſtianos hæretici dicti Antropomorphitæ, qui humanum corpus & membra Deo affingebant. An in craſſum iſtum errorem inciderint *Melito* Epiſcopus ſardenſis, Tertullianus, & Epiphanius, poſt alia breviter inquiram.

60 Resolutio I. Deus non eſt hoc totum univerſum.

Prob. I. Repugnat, ut hoc univerſum ſit una ſubſtantia; cum enim ex partibus quaſi infinitis conſtet realiter diſtinctis & actu ſeparatis, aut ſeparabilibus, hoc ipſo una eſſe nequit.

II. Datur in hoc univerſo Spiritus & extenſum: atqui idem non poteſt ſimul eſſe Spiritus, & extenſum; cum hæc ſint contradictoria. *ergo.*

III. Si omnia eſſent unum, tunc Deo convenirent ſimul ac ſemel qualitates contradictoriæ: v. g. calor & frigus, lux & tenebræ &c.

IV. Ens

IV. Ens perfectiſſimum neceſſario debet eſſe immutabile : atqui hoc univerſum continuo mutatur. ergo non eſt Deus.

V. Deus neceſſario eſt beatus : atqui concipi nequit materia beata, quæ omni ſenſu felicitatis caret. *ergo.*

VI. Sequeretur, quod Deus ſe ipſum occidat, devoret, blasphemet, & ſexcenta abſurda alia, quæ utique in hoc univerſo contingunt continuo.

Objic. I. Homo conditus eſt ad imaginem Dei & ſimilitudinem : ſed homo habet corpus & animam. ergo etiam Deus. 61

Respond. *Diſt. maj.* eſt conditus ad imaginem Dei, quoad animam. *conc.* quoad corpus. *nego.* vel *ſubdiſt.* homo eſt ſimilis Deo quoad corpus aliquando a Deo aſſumtum, vel in incarnatione aſſumendum. *conc.* tanquam naturæ Divinæ proprium. nego. exiſtimarunt nonnulli, Deum in Paradiſo in forma humana apparuiſſe Adamo.

Objic. II. S. Scriptura Deo omnes affectiones corporis tribuit, magnitudinem, umbram corporis, manus, oculos, pedes &c. *ergo.* 62

Respond. *Diſt.* tribuit metaphorice & improprie. *conc.* proprie. *nego.*

Objic.

63 Objic. III. Ille non eſt ſimplex, ubi datur perſonarum trinitas: ſed hæc datur in Deo. *ergo.*

Respond. Nego *maj.* non enim ibi datur compoſitio perſonarum; nam ut explicat S. Gregorius Nazian. oratione 45. ad compoſitionem neceſſaria eſt diſtinctio & unio. Divinæ autem perſonæ, qua parte uniuntur, non poſſunt diſtingui, nimirum in eſſentia: qua autem parte diſtinguuntur, non uniuntur, ſed opponuntur. Inſuper ad compoſitionem requiritur actus & potentia, ſed perſonæ Divinæ non ſe habent per modum actus & potentiæ.

64 Resolutio. II. Nulla eſt in Deo compoſitio phyſica, e materia & forma, neque ex ſubſtantia & qualitatibus: ſed Deus eſt Ens ſimpliciſſimum.

Prob. I. Deus eſt infinitus. ergo caret corpore: *conſeq. prob.* infinitum non habet figuram, utpote quæ dicit terminum & limitationem: quod autem caret figura non eſt corpus, cum hoc neceſſario habeat ſuas dimenſiones in longum, latum & profundum. II. Deus eſt immenſus & omnia replet: ſed corpus non poteſt omnia explere: ſecus daretur tantum unum corpus. III. Deus eſt independens, quia neceſſarius. ergo incorporeus, ſecus dependeret a partibus. IV. Deus eſt Ens per-

perfectiſſimum, quo melius cogitari non poteſt. Atqui eſſe ens ſimplex & corpore liberum, melius eſt quam Ens compoſitum. *ergo.*

PROB. non dari compoſitionem phyſi- 65
cam ex ſubſtantia & accidentibus ſeu qualitatibus. I. Subſtantia Dei immutabilis *eſt:* ergo qualitatibus caret, quæ Deum mutarent. II. Si eſſet compoſitus ex qualitatibus, non foret per ſe bonus, ſapiens &c. ſed per iſtas formas adventitias, quod eſt abſurdum. III. Deus debet eſſe æternus. ergo nihil ei in tempore advenire poteſt.

RESOLUTIO III. Nec MELITO, nec TER- 66
TULLIANUS, nec S. EPIPHANIUS, Antropomorphitarum erroris argui debent.

PROB. I. de Melitone. Si in hoc errore fuiſſet implicitus, tunc id conſtaret ex eo, quia ORIGENES apud THEODORETUM q. 20. in exodum in catena græca manuſcripta id teſtatur his verbis: „ Videamus, quibus utantur, qui aſſerunt „ prius, e quorum numero eſt Melito, „ qui ſcripta reliquit, quibus aſſerit, Deum „ corporeum eſſe. „ Atqui ex hoc teſtimonio non convincitur erroris Melito; nam non ſolum S. HIERONYMUS & EUSEBIUS Cæſareenſis hujus erroris illum non arguunt, ſed ſummis quoque laudibus extollunt.

II.

II. ORIGENES, ſi tamen hæc ſcripſit (nam exiguæ authoritatis reputatur illa catena græca) fuit errore deceptus; ſic enim MELITO ſuum inſcripſerat librum: *de Deo corporato*, id eſt, *incarnato*: ſcripſit ergo de incarnatione, quod patet ex RUFFINO, qui in verſione Euſebii hunc libri Melitonis titulum ſic reddidit: *de Deo corpore induto*. Si ipſum Melitonis opuſculum hodie extaret, facile res dijudicari poſſet.

67 PROB. II. pars de TERTULLIANO Hic nullas in Deo admiſit partes, nam contra Hermogenem cap. 2. ait: *Deum in partes non devenire, ut indiviſibilem & indemutabilem & eundem ſemper*. Sed corpus ſine partibus eſſe non poteſt. ergo nullum Deo corpus affinxit.

II. Docuit, omne corpus eſſe paſſibile lib. de anima c. 7. „ Incorporalitas nihil patitur, non habens, per quod pati „ poſſit: aut ſi habet: hoc erit corpus: „ in quantum enim omne corporale paſſi- „ bile eſt, in tantum, quod paſſibile, corporale eſt: „ atqui etiam docuit Deum eſſe impaſſibilem; nam L. contra Praxeam Patripaſſianum L. 39. docet: filium fuiſſe paſſum in carne aſſumta, non vero paſſum fuiſſe Patrem. En ipſius clara verba! „ Tam autem incompaſſibilis pater, quam „ incompaſſibilis eſt Filius, ex ea condi- „ tione, qua Deus eſt. „ III.

III. Tertullianus catholice ſenſit de myſterio SS. Trinitatis: ſed ſi Deum corporeum docuiſſet, in ipſum hoc myſterium impegiſſet. ergo.

IV. Deum ſæpiſſime appellat Spiritum. 68
ergo negat eſſe corporeum, quamvis vero aliquoties Deum etiam dicat *corpus*, obſervandum tamen, veteres triplicem habuiſſe *corporis* ſignificationem. 1. Latiſſime vocabant id omne corpus, quod eſt oppoſitum inani, ſeu nihilo. Itaque ſubſtantia & corpus illis quandoque erant ſynonima. 2. Per corpus intelligebant id omne, quod certis temporum aut locorum limitibus eſt circumſcriptum, quod non eſt ubique, neque ſemper exiſtit. Hac ratione ſolus Deus eſt incorporeus, cætera omnia, etiam Angeli & anima humana corporea eſt. 3. proprie pro eo, quod magnitudine & figura conſtat. De triplici hoc ſenſu loquitur S. Augustinus Ep. 146. ad Hieronymum, ubi diſputans de anima, an ſit corporea, ſcribit; „ ſi „ corpus eſt omnis ſubſtantia vel eſſentia, „ vel ſi quid aptius nuncupatur id, quod „ aliquo modo eſt in ipſo; corpus eſt „ anima. Item ſi eam ſolam incorpoream „ placet appellare naturam, quæ ſumme „ incommutabilis, & ubique tota; corpus „ eſt anima; quoniam tale aliquid ipſa „ non eſt. Porro ſi corpus non eſt, niſi „ quod per loci ſpatium, aliqua longitu-

„ dine,

„ dine, latitudine, altitudine ita ſiſtitur „ vel movetur, ut majore ſui parte ma„ jorem locum occupet, & breviore bre„ viorem, minuſque ſit in parte, quam in „ toto; non eſt corpus anima. Primo „ igitur latiſſimo ſenſu Deum corporeum dixit TERTULLIANUS, ſeu aſſeruit, eſſe ſubſtantiam.

69 PROB. III. pars de S. EPIPHANIO. I. hic S. P. diſputans contra Audium eidem exprobrat, quod Dei effigiem in hominis corpore reponeret. Si ergo hoc tolerare noluit, quanto minus Deum corporeum aſſerere. II. Contra Audium arguit, ex ejus opinione ſequi hoc abſurdum, quod Deus eſſet corporeus. ergo id ipſe minime ſenſit. III. S. EPIPHANIUS de craſſo hoc errore a JOANNE Jeroſolymitano accuſatus, hanc calumniam refutavit in publica concione, coram eodem Joanne habita, ut refert S. HIERONYMUS L. ad Pamachium: quod autem SOCRATES & SOZOMENUS eum antropomorphitam aſſerant, eoquod coegerit ſynodum, in qua damnavit libros Origenis, qui Deum incorporeum eſſe ſtatuebat, non evincit intentum; nam utrumque ſcriptorem a quodam origeniſta, qui hujus hæreſeos labem Catholicis affingere ſolebat, deceptos fuiſſe ajunt; ſynodum vero non ideo contra libros Origenis congregavit, quod Deum incorporeum aſſeruerit, ſed ob alios errores in iis contentos.

§. III.

De immensitate & æternitate Dei.

Ex independentia Dei fluere ejus infinitatem, hancque esse vel absolutam, vel relativam, & hanc iterum duplicem, unam, quæ a Deo removet omnem limitem spatii & loci, diciturque *immensitas:* alteram, quæ limitatam temporis mensuram excludit, & dicitur *æternitas*, jam supra N. 44. fuit observatum. De utraque hic agendum. Immensum est, quod excludit omnem mensuram, magnitudinis, quantitatis, & loci; hinc cum Deum dicimus immensum, significamus, illum, utpote purissimum spiritum, magnitudine physica & quantitate carere, nullo loco circumscribi, & ubique esse præsentem, idque vel præsentia substantiæ locum quasi contingendo, vel præsentia virtutis per operationem producendo effectus. 70

Potest autem res per substantiam in loco præsens esse tripliciter. I. *Repletive*, quando res ita locum implet, ut eo tamen nec ambiatur nec terminetur. II. *definitive*, dum res tota in toto & tota in qualibet parte loci, ita tamen ut loco ambiatur & terminetur seu extra locum non sit, ut anima in corpore. III. *Circumscriptive*, quando res ita locum occupat, ut ratione suarum partium variis loci parti- 71

bus correſpondeat. Hoc ultimo modo Deum non eſſe in loco, certum eſt; cum ſimpliciſſimus Spiritus, quantitate & partibus careat. Sed neque *definitive*; quia nullo loco terminari poteſt. Supereſt, ut ſit ubique *repletive*; cum Deus ſupponatur eſſe ubique præſens, quæritur de modo, quo ſit & concipiatur formaliter præſens, an per ſubſtantiam, vel operationem, quod poſterius volunt Thomiſtæ.

72 ÆTERNITAS proprie ſumpta pro eo, quod initio & fine caret, definitur a BOETIO, quod ſit *interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio*. Dicitur 1. *poſſeſſio*, quia eſt ſtabilis & infinita duratio. 2. *Tota ſimul*. Hæc enim duratio excludit ſucceſſionem, quia æternitas conſideratur, ut unicum & indiviſibile punctum, ubi omnia ſimul conſpiciuntur, & quod omnibus rebus ſimul coexiſtit; per quod differt a tempore, cujus partes non ſunt ſimul, ſed præterito præſens, huic futurum ſuccedit. Dicitur 3. *perfecta*; per quod ſignificatur, quod æternitas, utut ſit indiviſibilis, omnem contineat tamen perfectionem, quæ in duratione ſucceſſiva concipi poteſt. Dicitur 4. *interminabilis vitæ*, ſeu quæ terminum nullum nec ab ante, nec a poſt, id eſt, nec finem, nec initium habet, & omnia complectitur, tam eſſe, quam vivere. Hæc æternitas differt a *tempore*; quod hoc ſit menſura illarum

larum rerum, quæ non ſolum mutantur quoad qualitates, ſed & quoad ſubſtantiam: ut corpora. Differt etiam ab *ævo*, quod eſt duratio rerum, quæ mutabiles ſunt quoad actiones, natura autem immortales, ut Spiritus creati. Deus autem omni modo immortalis, & proprie æternus eſt.

73 Controverſia agitatur, quomodo res creatæ aliquando exiſtentes Deo in æternitate præſentes ſint, an ſolum *idealiter* per præſcientiam & *objective*, quemadmodum idea domus nondum exſtructæ in mente artificis: an etiam *realiter* & *phyſice*? ubi obſervari velim, aliud eſſe, creaturam phyſice *exiſtere ab æterno*: & aliud, eam Deo *in æternitate* phyſice præſentem eſſe. Prior propoſitio facit hunc ſenſum; nullum fuit unquam tempus, quo creatura non exſtiterit actu in ſe; & falſa eſt. Altera reddit hunc ſenſum: nullum eſt momentum, quo creatura Deo phyſice non ſit præſens: & hæc vera videtur; quia reſpectu Dei non datur tempus, ſed ſolum reſpectu creaturarum, quæ ſibi invicem ſuccedunt, in priore propoſitione æternitas, ſeu negatio temporis appellat ſupra creaturam; in altera autem ſupra Deum, reſpectu cujus nihil eſt præteritum, aut futurum, ſed omnia ſimul præſentia: licet creaturæ omnes reſpectu ſui in tempore incipiant, & ſuccedant.

74 Resolutio I. Deus eſt immenſus, & ubique præſens, non ſolum quoad ſcientiam & potentiam, ſed etiam quoad ſubſtantiam. 1. pars eſt de fide definita in concilio Lateranensi IV. ſub Innocentio III. & prob. ex S. Script. clariſſime quidem toto fere Pſalmo 138. item Jerem. XXIII. 24. *ſi occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum? dicit Dominus: nunquid non cœlum & terram ego impleo?* Item Baruch. III. 25. *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus.* Act. XVII. 27. *Non longe eſt ab unoquoque noſtrum, in ipſo enim vivimus, movemur & ſumus.*

75 Prob. II. Deus omnia etiam abſcondita & maxime arcana novit. ergo eſt ubique præſens per ſcientiam. Eſt etiam ubique præſens per operationem, quia omnem creaturam conſervat in eſſe & operari. Sed & per ſubſtantiam: quod prob. ſi cognitio & operatio Dei ab ejus ſubſtantia indiſtincta eſt, tunc ubi eſt Dei cognitio & operatio, ibi etiam præſens eſt ejus ſubſtantia: atqui eſt indiſtincta. *ergo.* ſubſumo: ſed Deus eſt ubique per ſcientiam & operationem. ergo & quoad ſubſtantiam.

76 Prob. III. Si Deus non eſſet ubique per ſubſtantiam, tunc eſſet aliquo loco circumſcriptus, & hoc ipſo non eſſet infinitus & illimitatus.

Prob. IV.

Prob. IV. Deus eſt Ens, quo melius co- 77
gitari non poteſt: ſed melius eſt implere omnia quoad ſubſtantiam, quam limitari & circumſcribi.

Prob. V. Si Deus non eſſet ubique, ſed 78
alicui loco quaſi adſtrictus; tunc vel neceſſario, vel ſponte? Non neceſſario; cur enim huic potius, quam alteri loco? nec ſponte; ſic enim poſſet ab eodem loco in alium locum diſcedere, & ita eſſet mutabilis, quod repugnat.

Objic. I. S. Scriptura ſæpe affirmat De- 79
um eſſe in cælo tanquam in proprio loco, ſic: Pſal. 113. *Deus autem noſter in cælo*: Pſal. 10. *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes ejus.* ergo non eſt alibi.

Respond. *Diſt. ant.* in cælo, ſpeciali quadam ratione, nempe quoad manifeſtationem ſuæ gloriæ. *conc.* ſolum in cælo, per excluſionem aliorum locorum. *nego.* Igitur Deus eſt in cælo duplici præſentia, naturali, ut alibi, & præſentia glorificationis: quemadmodum etiam eſt in anima juſti per ſubſtantiam, & ſimul ſpeciali ratione per ineffabilem quamdam unionem.

Objic. II. Sequeretur, quod Deus ſit 80
in dæmonibus, & locis maxime obſcænis. Sed hoc eſt abſurdum.

Respond. Nego *min.* non enim poteſt Deus ſordibus inquinari, ſicut nec radii ſolis. In dæmonibus autem non eſt ſolum per ſubſtantiam, ſed etiam per operationem, eos conſervando, & per juſtitiam puniendo: quod potius dicit Dei perfectionem.

81 Objic. III. SS. PP. paſſim dicunt, quod Deus ſit nullibi, non ſit in loco &c. ergo non eſt immenſus, neque ubique præſens.

Resp. PP. debent intelligi, Deum non eſſe in loco, ut cæteræ creaturæ, definitive, vel circumſcriptive, non autem excludunt præſentiam repletivam.

82 Resolutio II. Deus formaliter conſtituitur in loco per operationem ad extra, ita ut operatio ſit ratio demonſtrans a priori, Deum eſſe præſentem in loco, ſic inferendo, Deus hic operatur ergo, præſens eſt quoad ſubſtantiam: ſed non viciſſim.

Prob. I. Ex cit. textu Act. XVII. nam Dei præſentiam & immenſitatem D. Paulus probat ex eo, quod Deus operetur ubique: *non longe eſt ab unoquoque noſtrum; in ipſo enim vivimus &c.* quaſi diceret, Deus in nobis operatur. ergo præſens eſt in nobis.

II. Si

II. Si Deus non eſt in rebus æqualiter, ſed inæqualiter, ratione diverſæ operationis, tunc Deus formaliter præſens eſt in loco per operationem: atqui ita eſt. *ergo.* *Maj.* patet; quia quoad ſubſtantiam eſt ubique æqualiter. *min.* prob. ex S. Gregorio M. Hom. 8. in Ezechielem: „ omnia „ tangit, nec tamen omnia æqualiter tan- „ git; quædam enim tangit, ut ſint, nec „ ut vivant & ſentiant &c. 83

III. Per id cenſetur aliquid formaliter eſſe in loco, per quod immediate loco conjungitur, eumque attingit: ſed Deus immediate locum attingit per operationem ex D. Thoma quodlibeto 1. a. 4. ubi præſentiam rerum corporalium & Spiritualium inter ſe comparans ait: „ ſicut cor- „ pus eſt in loco per contactum dimen- „ ſivæ quantitatis: ita Angelus (utique „ etiam Deus) eſt in loco per contactum „ virtutis. Si quis velit contactum vir- „ tutis operationem vocare, dicatur, quod „ Angelus eſt in loco per operationem. „ igitur ſicuti corpus per contactum eſt formaliter in loco, ita etiam Deus per operationem eſt formaliter in loco. 84

Objic. I. D. Thomas in primum Sent. Diſt. 37. q. 2. a 3. docet, immenſitatem convenire Deo ab æterno: atqui operatio non convenit Deo ab æterno, ſed in tempore. ergo non eſt immenſus & ubique præſens per operationem. 85

Resp. *Dist. ant.* quoad id, quod dicit in recto *conc.* quoad obliquum. *nego.* immensitas in recto dicit & aptitudinem replendi omnia, quæ Deo æterna est: res autem ipsæ sunt aliquid in obliquo importatum. Dein cum res omnes sunt Deo in æternitate præsentes ex dicendis etiam in æternitate immensitas Dei eas simul replet.

Objic. II. Prius est esse in loco, quam ibidem operari. ergo non per operationem, sed per essentiam Deus formaliter constituitur in loco.

86 Resp. Nego *ant.* vel *Dist.* prius est esse *simpliciter*, quam operari. conc. prius est esse in loco, quam operari. *nego.* nec tamen inde sequitur, quod agat in distans; quia Deus per suam actionem intime conjungitur rei, in qua agit; cum operatio sit indistincta a substantia.

87 Objic. III. Si Deus etiam non operaretur in loco, ibi tamen esset per substantiam; nam Deus est in spatiis imaginariis, quamvis nihil ibidem operetur: secus non essent imaginaria, sed loca realia.

Resp. Nego *ant.* & suppositum, quod Deus possit non operari in loco, debet enim illum conservare; secus cessaret esse locus, mox redactus ad nihilum. Ad probat: nego *ant.* vel Denique *dist.* est in

spatiis

ſpatiis imaginariis, *aptitudinaliter*, quia ex-
tra hunc mundum poteſt alias producere
creaturas, quas repleret ſua operatione,
& immenſitate. *conc.* eſt ibi actu & per
ſubſtantiam. *nego.* vel *ſubdiſt.* eſt ibidem
negative : tranſ. *poſitive.* nego. Negative
ibidem eſſe poteſt; quia in hoc mundo
non concluditur : non vero eſt ibidem po-
ſitive ; quia nihil ibidem operatur ; nec
iis coexiſtit, aut extenditur.

Objic. IV. Deus erat immenſus jam an- 88
te mundi creationem ; cum ſit ejus pro-
prietas intrinſeca, non adveniens in tem-
pore : atqui ante creationem nihil fuerat
operatus ad extra : ergo tunc erat immen-
ſus, non per operationem, ſed immedia-
te per ſubſtantiam.

Resp. *Diſt. maj.* erat immenſus quoad id,
quod dicit in recto, nimirum quoad ap-
titudinem ubique exiſtendi & replendi om-
nia. *conc.* actu. *nego.* ante mundi creatio-
nem non erat locus, neque tempus re-
ſpectu creaturarum. Deus erat igitur in
ſe ipſo. Sed quoniam æternitas Dei re-
bus omnibus ſimul coexiſtit, ideo etiam
dici poteſt, quod Deus *in* æternitate, non
tamen *ab* æterno jam ſit immenſus; ſicut
enim Deo omnia ſunt præſentia, ſic ipſe
eſt omnibus præſens.

89 Resolutio III. Deo competit æternitas proprie dicta, quæ nulli creaturæ communicari potest.

Prob. I. pars. S. Script. & PP. infinitis pene locis Deo æternitatem ac immortalitatem attribuunt, & quidem proprie talem; nam Deus est ens, quo melius cogitari nequit: atqui melius est esse proprie æternum sine omni initio & origine. *ergo.*

II. Deus est Ens a se, ergo nequit habere originem *ab alio*: quod enim esset illud aliud? an Ens distinctum a Deo? & sic Deus non esset *a se.* An nihilum? atqui hoc nihil producere potest. Cum igitur Deus sit a se, proprie æternus est.

III. Deus est essentialiter infinitus, omnes complectens perfectiones: atqui æternitas proprie talis est perfectio simpliciter simplex; cum tempus sit imperfectio. *ergo.*

90 Prob. II. pars. Paulus I. ad Timoth. VI. 16. de Deo dicit: *qui solus habet immortalitatem*, intellige proprie talem etiam ab ante: hinc Augustinus in istum locum: „ solus habet incommunicabilitatem, „ quia solus habet veram immortalitatem.

II. PP. Nicæni ut probarent Divinitatem verbi, hoc utebantur argumento: Filius Dei est ab æterno: ergo non est creatura. Quodsi autem creaturæ vera æternitas communicari posset, Ariani facile elusissent hoc Argumentum.

III.

III. Sicut de eſſentia Dei eſt, ut ſit *a ſe*, & ſine initio, ita de eſſentia creaturæ eſt, ut ſit ab alio, & ut aliquando non fuerit: quod autem aliquando non fuit, non eſt æternum: ergo vera æternitas ab ante, creaturæ eſſentialiter repugnat.

Resolutio IV. Res omnes creatæ præteritæ, præſentes, & futuræ, ſunt Deo in æternitate phyſice præſentes. *Eſt communis thomiſtarum.*

Prob. I. Ratione S. Augustini L. II. ad 91
Simplicianum quæſt. 2. ſi res omnes futuræ & præteritæ non eſſent Deo phyſice præſentes in æternitate, tunc eandem rem deberet quis cognoſcere, ſemel ut futuram per cognitionem idealem & præſentiam objectivam, ſeu intentionalem, dein quando actu præſentes in tempore exiſtunt & Deo phyſice coexiſtunt, per ſcientiam viſionis: atqui hoc Augustinus *falſum*, & *abſurdiſſimum* vocat, ſic enim loquitur: „ Quid eſt præſcientia, niſi ſci„ entia futurorum? Quid autem futurum „ eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tem„ pora? Si enim in ſcientia res habet, „ non ſunt ei futuræ, ſed præſentes, ac „ per hoc non jam *præſcientia*, ſed tan„ tum *ſcientia* dici poteſt. Si autem ſicut „ in ordine temporalium creaturarum, ita „ apud Deum nondum ſunt, quæ futura „ ſunt, ſed ea prævenit ſciendo; bis ergo

„ ea

„ ea ſentit, uno quidem modo ſecundum „ futurorum præſcientiam, altero vero „ modo ſecundum præſentium ſcientiam. „ Aliquid ergo temporaliter accedit ſcien- „ tiæ Dei, quod abſurdiſſimum & falſum „ eſt. Nec enim poteſt quæ ventura „ prænoſcit, noſſe cum venerint, niſi „ bis innoteſcant, & præcognoſcendo „ antequam ſint, & cognoſcendo cum „ jam ſunt. Si autem quæ præſcientia „ erat prius, poſtea ſcientia fit in Deo, „ admittit mutabilitatem. Placet ergo, „ ut non dicamus præſcientiam Dei, ſed „ tantum ſcientiam. „

92 Prob. II. Secundum eundem S. Augustinum Deus aliter, quam nos, futura & præterita cognoſcit. ergo cognoſcit phyſice; nam per ideam repræſentativam etiam nobis præſentia ſunt, ut ædificium in mente architecti. *Ant. prob.* illius verbis Lib. XI. de civit. Dei cap. 21. „ Non ullo modo „ Dei ſcientia variatur, ut alia in ea fiant, „ quæ nondum ſunt, alia quæ jam ſunt, „ alia quæ fuerunt. Non enim more „ noſtro ille quod futurum eſt proſpicit, „ vel quod præſens eſt, aſpicit, vel „ quod præteritum eſt reſpicit, ſed „ alio modo quodam a noſtrarum cogita- „ tionum conſuetudine longe lateque di- „ verſo. Ille quippe non ex hoc in illud „ cogitatione mutata, ſed omnino immu-

„ tabili-

„ tabiliter videt; ita ut illa quidem quæ „ temporaliter fiunt, & futura nondum „ ſunt, & præſentia jam ſint, & præte- „ rita jam non ſint: Ipſe vero hæc om- „ nia ſtabili ac *ſempiterna præſentia* com- „ prehendat, nec aliter oculis, aliter „ mente, nec aliter nunc, aliter poſtea; „ quoniam non ſicut noſtra, ita & ejus „ quoque ſcientia trium temporum, præ- „ ſentis videlicet, præteriti & futuri va- „ rietate mutatur; neque enim ejus in- „ tentio de cogitatione in cogitationem „ tranſit, in cujus incorporeo intuitu ſi- „ mul adſunt cuncta, quæ novit.„

PROB. III. Ratione S. THOMÆ I. p.q. XIV. 93
art. 13. ☉. omnia contingentia Deo ſimul præſentia ſunt eo modo, quo res in tempore actu exiſtunt. Atqui in tempore phyſice exiſtunt, & hoc modo Deo præſentia ſunt. ergo etiam ita præſentia ſunt in æternitate. Majorem probat ex eo, quia æternitas tota ſimul exiſtens ambit totum tempus. Hæc ſunt illius verba: „ Deus cognoſcit omnia contingentia, „ non ſolum prout ſunt in ſuis cauſis, „ ſed etiam prout unumquodque eorum „ eſt actu in ſe ipſo. Et licet contin- „ gentia fiant in actu ſucceſſive, non ta- „ men Deus ſucceſſive cognoſcit contin- „ gentia, prout ſunt in ſuo eſſe, ſicut „ nos, ſed ſimul: quia ſua cognitio men- „ ſuratur æternitate, ſicut etiam ſuum eſſe:

„ æterni-

„ æternitas autem tota ſimul exiſtens am-
„ bit totum tempus . . . Unde omnia quæ
„ ſunt in tempore , ſunt Deo ab æterno
„ præſentia, non ſolum ea ratione, qua
„ habet rationes rerum apud ſe præſentes,
„ (idealiter) ut quidam dicunt, ſed quia
„ ejus intuitus fertur ab æterno ſupra om-
„ nia prout ſunt in ſua præſentialitate. Un-
„ de manifeſtum eſt, quod contingentia
„ infallibiliter a Deo cognoſcuntur, in
„ quantum ſubduntur divino conſpectui
„ ſecundum ſuam præſentialitatem, & ta-
„ men ſunt futura contingentia, ſuis cau-
„ ſis proximis comparata. „

94 Prob. IV. Reſpectu Dei nihil eſt futurum, neque præteritum; de ratione enim æternitatis proprie talis eſt, ut omnem ſucceſſionem excludat, ex definitione n. 72. Ubi autem nulla eſt ſucceſſio, ibi nihil futurum, neque præteritum, ſed omnia ſunt præſentia. ergo ſi reſpectu Dei nihil eſt futurum, tunc ei omnia in æternitate phyſice præſentia ſunt. *conſeq. prob.* Si mea exiſtentia moderna non fuiſſet Deo in æternitate phyſice præſens, eo modo, quo nunc & iſto momento eſt præſens, tunc hæc ipſa phyſica præſentia reſpectu Dei aliquando fuiſſet futura. Atqui hanc ſucceſſionem & geminam cognitionem Patres a Deo removent, & ipſa ratio æternitatis excludit. Probatur autem primum *anteced.* ipſis SS. PP. verbis. S. Gregorius Nazianzenus. orat. 38. „ Deus erat ſem-

„ per,

„ per, & eſt, & erit: vel, ut rectius „ loquar, ſemper eſt. Nam *erat*, & *erit*, „ noſtri temporis ſegmenta ſunt. „ Univerſum enim quod eſt, in ſe com- „ plectitur. „ S. AUGUSTINUS præter textus ſupra n. 91. ſeq. allegatos hoc & aliis in locis confirmat. In Pſalm. 101. „ In „ æternitate nec præteritum quidquam „ eſt, quaſi eſſe deſierit, nec futurum, „ quaſi nondum ſit, ſed non eſt, niſi „ eſt. „ Et lib. IX. confeſſ. cap. 10. „ Fu- „ iſſe, & futurum eſſe non eſt in eo, „ ſed ſolum eſſe. „ S. FULGENTIUS lib. I. de veritate prædeſtin. & gratiæ cap. 7. „ *Deo* nihil eſt præteritum vel futurum, „ cui ſic omnia præſentia ſunt quæ facien- „ da; præſcit, ut poſtquam facta fuerint, „ præterita ei eſſe non poſſint: quoniam „ ſicut novit præterita, ſic novit & futu- „ ra. Quæcunque enim cum tempore „ mutantur & tranſeunt, in ejus cogni- „ tione ſine temporis tranſitu ac mutabi- „ litate conſiſtunt. „ Et lib III. cap. 9. „ Neceſſe eſt autem, ut ſi Deus imcom- „ mutabilis eſt & æternus, ſit ejus in- „ commutabilis & æterna cognitio; incom- „ mutabili autem & æternæ ſcientiæ nihil „ accidit temporale. Quoniam ſi aliquid „ ei in tempore accidiſſe cognoſcitur, ne- „ ceſſe eſt ut initio, mutabilitatique ſub- „ datur: nec poteſt eſſe ſine initio natura, „ cujus ſcientia initio invenitur eſſe ſub- „ jecta. Cœpit enim eſſe quod non fuit,

„ cui

„ cui ſcientia cœpit eſſe quæ defuit : nec
„ omnia poteſt ſimul ſcientiæ plenitudine
„ continere , qui potuit aliquid aliquan-
„ do neſcire &c. „ Denique S. ANSELMUS in proſologio. „ Nec tu habes partes , nec
„ tua æternitas , ſed ubique totus es , &
„ æternitas tua tota eſt ſemper. „

95 RESPONDENT Adverſarii , Deo nihil eſſe futurum quoad cognitionem idealem , qua ipſi ſunt omnia præſentia objective , non autem omnia phyſice ei ſimul coexiſtunt.

CONTRA eſt I. Si non eſſent ei omnia ſimul phyſice præſentia , tunc reſpectu Dei daretur phyſica ſucceſſio futurorum : ſed hoc nequit admitti ; nam æternitas proprie talis & phyſice ſpectata , debet eſſe quoddam indiviſibile *nunc* , & omne excludere tempus : atqui ubi non datur tempus , ibi non datur phyſica ſucceſſio. ergo tunc datur omnium phyſica præſentia.

96 CONTRA eſt II. Æternitas Dei eſt punctum indiviſibile & a D. THOMA L. I. contra gentes cap. 66. optime comparatur centro circuli : ſicut ergo centrum cuilibet puncto circumferentiæ indiviſibiliter correſpondet , & coexiſtit , etiamſi puncta circumferentiæ non exiſtant ſimul , ſed ſibi ſuccedant ; ſic æternitas cuilibet tempori , vel inſtanti temporis præſentialiter adeſt. Hac ipſa circuli ſimilitudine pro adumbranda

branda Dei immenſitate utitur CLEMENS Alexandrinus Stromat. IV. 25. pag. 635. Edit. *Potteri*. „ Eſt enim (Filius) idem „ circulus omnium poteſtatum , quæ in „ unum circumvolvuntur & uniuntur. Et „ ideo logos dictus eſt *Alpha* & *Omega*, „ cujus ſolus finis ſit principium , & „ rurſus deſinit in id , quod eſt antea prin- „ cipium , nuſquam diſtantiam accipiens „ & dimenſionem. „

CONTRA eſt III. Juxta eundem S. THO- 97
MAM loc. cit. *intelligere Dei ſucceſſionem non habet*, *ſicut nec ejus eſſe*: ex quo ſequitur, *Deum*, ſicut eſt æternus in cognoſcendo, ſic etiam eſſe æternum in exiſtendo. ergo ſicut ob æternitatem in cognoſcendo omnia ſunt ipſi ſimul præſentia , ſaltem objective , ut volunt adverſarii : ita etiam ob æternitatem in exiſtendo omnia ipſi erunt præſentia phyſice , ſeu Deus rebus omnibus phyſice in æternitate coexiſtit ac præſens eſt.

CONTRA eſt IV. Ex oppoſita ſententia ſe- 98
quitur , quod Deus non habeat ab æterno ſcientiam viſionis eamque acquireret in tempore , ſed ſolum haberet abſtractivam & idealem. Atqui hoc dicit imperfectionem. *ergo*.

OBJIC. I. Omnes creaturæ quoad phyſi- 99
cam ſui exiſtentiam habent initium in tem-

 pore.

pore. ergo in æternitate non ſunt Deo phyſice præſentes.

Resp. *Conc. Ant.* nego conſequentiam. Non enim dico, quod creaturæ phyſice exiſtant *ab* æterno, ſed quod æternitas Dei tota ſimul & indiviſibilis omni temporis duratione ſimul coexiſtat.

100 Objic. II. Juxta S. Augustinum L. I. de Geneſi ad litteram cap. 18. *res antequam fierent, erant, & non erant. Erant in Dei ſcientia: non erant in ſua natura.* ergo non phyſice.

Resp. *Diſt.* erant, imo proprie loquendo, *ſunt* in Dei ſcientia *viſionis. conc.* ſolum ideali. *neg. diſt.* etiam alterum membrum: non erant in ſua natura, id eſt, reſpectu ſui phyſice non exiſtebant. *conc.* non erant reſpectu æternitatis Dei, quæ omni differentiæ temporis tota ſimul & indiviſibiliter coexiſtit. *nego.*

101 Objic. III. idem Augustinus de verbis Apoſtoli admittit in Deo præſcientiam futurorum. Ait enim: „ Deus habet electos „ ſuos apud ſemet ipſum, non in ſua „ natura, ſed in ſua præſcientia. „

Resp. *Diſt.* Admittit in Deo præſcientiam, improprie talem, ſicut admittit pænitentiam, *conc.* proprie talem, & a ſcientia viſionis diſtinctam. *nego.*

Objic.

Objic. IV. S. Isidorus l. de ſummo bono: 102
cap. 8. „ ſi tempora ſemper eſſent Deo „ præſentia, non eſſent tempora, ſed æ„ ternitas; quia non mutarentur, ſed „ ſtarent. „

Resp. *Diſt.* ſi tempora ſemper eſſent Deo præſentia reſpectu ſui, id eſt, in ſua natura exiſterent phyſice. *conc.* ſi non quidem in ſe exiſtant, Deus autem in æternitate illis coexiſtat. *nego.*

Objic. V. S. Thomas 1. p. q. 11. a. 1. 103
ad 1. „ Ea quæ in ſe ipſis non ſunt, apud „ Deum exiſtunt, in quantum ſunt ab ip„ ſo cognita, & præordinata. ergo non exiſtunt phyſice in æternitate. Idem S. Thomas Quæſt. I. de veritate a. 3. „ Futura „ contingentia antequam ſint, præexiſtunt „ in duobus, nempe in præſcientia Dei & „ in cauſis creatis „ id eſt virtualiter.

Resp. D. Thomas vult, creaturas non exiſtere *in ſe* ab æterno, ſed Deum illis in indiviſibili æternitatis puncto coexiſtere; aliud enim eſt, creaturas exiſtere *phyſice ab æterno*, quod falſum eſt: & aliud, illas Deo phyſice præſentes eſſe *in* æternitate. Dein mens S. Thomæ aliorumque Patrum non debet deſumi ex locis vagis & fruſtis textuum, ſed ex illis, ubi quæſtionem ex inſtituto pertractat, uti fecit in locis ſupra citatis. Dici ergo poteſt,

test, S. Thomam in locis objectis forte abstraxisse a physica rerum in æternitate præsentia, quia ad scopum tunc ipsi propositum sufficiebat sola cognitio objectiva.

104 Objic. VI. Illa non sunt physice præsentia in æternitate, nec ut talia a Deo videri possunt, quæ non coexistunt æternitati: atqui futura non coexistunt: *Maj.* videtur certa; quia duorum coexistentia, est simultanea eorum existentia. *min. prob.* quæ non sunt posita extra suam causam, non existunt physice: & quod non existit physice, non potest alteri coexistere. atqui futura non sunt posita extra suam causam, nec existunt physice. ergo non coexistunt physice æternitati; si enim coexisterent æternitati, existerent ab æterno.

Resp. Nego *min.* ad prob. *dist.* maj. quæ non existunt physice nec respectu æternitatis, nec respectu sui. *conc.* quæ quidem non existunt physice respectu sui, existunt tamen respectu æternitatis, quæ tanquam indivisibile punctum omni tempore simul coexistit. *nego maj.* & suppositum, respectu Dei ullum dari tempus; cum omnia sint ei simul ac semel præsentia.

105 Objic. VII. Quæcunque coexistunt uni tertio indivisibili, coexistunt inter se. Atqui juxta dicta, præteritum & futurum coexistunt indivisibili puncto æternitatis.

ergo

ergo coexiſterent inter ſe: ſed hoc falſum eſt. ergo & id unde ſequitur.

RESPOND. Nego *maj.* vel *diſt.* quæcunque *ſimul* coexiſtunt uni tertio indiviſibili, *tranſeat*, quæ coexiſtunt *ſucceſſive* ratione ſui. *nego.* creaturæ quidem ſibi invicem ſuccedunt: ſed quia reſpectu Dei non datur tempus, hinc ejus indiviſibilis æternitas omnem ſucceſſionem excludit, & omni temporis differentiæ ſimul ac ſemel indiviſibiliter phyſice coexiſtit.

§. IV.

De immutabilitate Dei.

Immutabilitas, etſi in ſe ſit aliquid poſi- 106
tivum, nimirum modus eſſendi, quo Deus neceſſario in omni ſua perfectione ſtabilis perſeverat, clarius tamen explicari poteſt per negationem mutationis. Mutatio autem eſt tranſitus ab uno ad aliud, a termino ad terminum: & quidem triplex. 1. Quoad eſſe. 2. Quoad formam. 3. Quoad operationem. Mutatio quoad eſſe, eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe, vel viciſſim, ut fit in creatione, aut fieret in annihilatione. Mutatio quoad formam, eſt amiſſio, vel acquiſitio novæ formæ ſubſtantialis, vel accidentium v. g. qualitatis, quantitatis, ac loci. Utraque

dicitur mutatio physica. Tertia est moralis quoad operationem intellectus & voluntatis, dum una actio alteri succedit, aut posterior priori contraria est. Et circa hanc tertiam est quædam in scholis controversia, an salva intrinseca Dei immutabilitate Deus suum scire aut velle terminativum mutare possit in tempore. Quamvis enim concedatur, quod Deus formando in tempore novum decretum, aut eliciendo novum actum, realiter mutaretur: existimant tamen aliqui Deum *non* mutari realiter & intrinsece, si de novo terminet objectum, quod antea non terminabat, cum hoc videatur solum quædam connotatio extrinseca.

107 Resolutio I. Deus est omni modo immutabilis, tam quoad esse, quam quoad formam, & operationem.

Prob. I. Tam S. Scripturæ quam Patrum authoritas pro hoc dogmate clarissima est. Sic Malachiæ III. *Ego Dominus, & non mutor.* Psal. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Ad Rom. XI. 29. *sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio.* Jacobi I. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* In concilio Nicæno I. definitum fuit referente S. Ambrosio l. 1. de Fide cap. 9. eos, qui dicunt: „ erat aliquando tem„ pus, quando non erat, aut muta„ bilem

„ bilem & convertibilem Filium Dei, hos „ anathematizat Catholica Ecclesia. „

Prob. II. Ratione. Deus non potest mu- 108
tari quoad esse, nec quoad formam, nec quoad operationem. ergo est omni modo immutabilis. *Ant. prob.* quoad I. si Deus transiret a non esse ad esse, aut vicissim, non esset æternus, & immortalis, nec Ens a se, nec causa prima; cum supponeret aliam sui productivam.

Prob. quoad II. Si Deus posset mutari 109
quoad formam, tunc vel in melius, vel in deterius? neutrum dici potest; quia Deus est ens, quo melius cogitari nequit, & omnis imperfectionis essentialiter incapax. Sed neque mutari potest per formas accidentales; cum in Deo omnia sint essentialiter necessaria. Si autem esset capax recipiendæ alicujus formæ accidentalis, tunc vel quantitatis, vel qualitatis, aut loci? sed nullius. Non quantitatis; Deus enim est simplicissimus Spiritus, omnis molis & extensionis expers. Non qualitatis; vel enim esset illa qualitas perfectio? Et hæc omnis Deo ab æterno necessario & inamissibiliter competit, cum sit Ens perfectissimum. Vel esset imperfectio? & hanc essentialiter excludit. Non denique loci; quia Deus est immensus, omnia loca simul implens.

110 Prob. quoad III. Si Deus eliceret novos actus intellectus & voluntatis, hi essent creati; quidquid enim ab æterno non est, creatum est. Sic ergo Deus esset aliquod mixtum ex ente creato & increato: esset insuper compositus ex actu & potentia proprie tali; quia, antequam hos novos actus elicuisset, fuisset in potentia ad illos eliciendos: quod actui purissimo repugnat. Aliunde etiam certum est, quod Deus omnia simul ab æterno cognoscat, velit & decernat, etiamsi in tempore exequatur.

111 Objic. I. Deus ex non creante factus est creator. ergo fuit mutatus.

Resp. *Dist. ant.* per novam denominationem extrinsecam. *conc.* per actum noviter positum. *nego.* Deus ab æterno formavit decretum creandi mundum, quod in tempore fuit executus. Cum autem creata omnia sint Deo physice præsentia in æternitate; ideo etiam æternitas Dei mundo in tempore creato coexistit: Ideoque quod in tempore dicatur creator, est solum ratione effectus in tempore positi. Nam cum creatione mundi tempus incepit: respectu autem Dei non datur tempus: hinc Deus intrinsece nullo modo fuit mutatus.

112 Objic. II. Deus assumpsit naturam humanam, & factus est homo in tempore, quod non erat ab æterno.

Resp.

Resp. *conc. ant.* nego conſeq. Non enim fuit mutata natura Dei, ſed in unitatem perſonæ aſſumta fuit natura humana.

Objic. III. Deus eſt liber ad amandum, 113
vel odiendum, faciendum hoc vel aliud: atqui de ratione libertatis eſt mutare ſuum actum. ergo Deus mutari poteſt.

Resp. Concordia libertatis cum immutabilitate Dei magnum eſt ænigma, quod jam Diu vexat ingenia Theologorum. Interim dico, immutabilitatem Dei conſiſtere in eo; quod actum, quem ſemel voluit, non poſſit poſtea nolle. Libertas conſiſtit in hoc; quod primo potuerit actum ad extra ponere, vel non ponere. Tunc itaque mutaretur Deus, ſi, quod ab æterno voluit, jam nollet: non autem mutatur, ſi, quod voluit ſemel, ſemper velit, & quod noluit, ſemper nolit. Ideo hominem pænitet aliquando prius voluiſſe, quia non præviderat rationem, quæ ipſum ad nolendum permoviſſet. Cum vero Deus prævideat omnes fines & circumſtantias poſſibiles; hinc nulla adeſt ratio ſufficiens, ut, quod aliquando voluit, jam poſſit nolle.

Resolutio II. Deus ita eſt immutabilis, 114
ut neque in tempore incipiat, vel deſinat terminare actum intellectus & voluntatis ad objectum: ſeu, ut non mutet ſuum cognoſcere & velle terminativum.

Prob. I. Si operatio Divina etiam ſolum terminative mutaretur, tunc mutaretur ipſe Deus: ſed hoc repugnat. *ergo. maj. & min.* prob. ex S. Augustino L. 12. confeſſionum cap. 15. „ concedendum eſt, non „ eum modo velle hoc, modo illud, ſed „ ſimul & ſemel, & ſemper velle omnia „ quæ vult: non iterum & iterum, nec „ nunc iſta, nunc illa, nec velle poſtea, „ quod nolebat, aut nolle, quod prius „ volebat, quia talis voluntas mutabilis „ eſt. „ Atqui hoc fieret in ſententia adverſa; Deus enim in tempore inciperet terminare ſuum amorem ad objectum, quod prius terminabat odio &c.

115 Prob. II. Ratione D. Thomæ, qui hanc ſententiam ex inſtituto propugnat. Nam 1. p. q. 14. a. 15. quærit, utrum ſcientia Dei ſit variabilis, & negative reſpondet ex ratione; quia ſicut ſubſtantia ejus eſt omnino immutabilis, ita oportet ſcientiam ejus omnino invariabilem eſſe.

Et Quæſt. 19. art. 7. Reſpondet „ dicendum, quod voluntas Dei eſt omnino immutabilis. Sed circa hoc conſiderandum eſt, quod aliud eſt mutare „ voluntatem, & aliud eſt velle aliquarum „ rerum mutationem. Poteſt enim aliquis „ eadem voluntate immobiliter permanente „ velle quod nunc fiat hoc, & poſtea fiat „ contrarium. Sed tunc voluntas muta-

„ retur,

„ retur, ſi aliquis inciperet velle, quod „ prius non voluit, vel deſineret velle „ quod voluit. Quod quidem accidere „ non poteſt, niſi præſuppoſita mutatione „ vel ex parte cognitionis, vel circa diſ- „ poſitionem ſubſtantiæ ipſius volentis. „ Cum enim voluntas ſit boni, aliquis de „ novo dupliciter poteſt incipere aliquid „ velle. Uno modo ſic; quod de novo „ incipiat ſibi illud eſſe bonum, quod non „ eſt abſque mutatione ejus; ſicut adve- „ niente frigore, incipit eſſe bonum ſe- „ dere ad ignem, quod prius non erat. „ Alio modo ſic, quod de novo cognoſcat „ *illud* eſſe ſibi bonum, cum prius hoc „ ignoraſſet. Ad hoc enim conſiliamur, „ ut ſciamus quid nobis ſit bonum. O- „ ſtenſum eſt autem ſupra (q. 14. art. 15.) „ quod tam ſubſtantia Dei, quam ejus „ ſcientia eſt omnino immutabilis. Un- „ de oportet voluntatem ejus omnino eſſe „ immutabilem. „

Prob. III. Ratione alia. Tranſitus de uno 116
actu ad alium, vel de non actu ad actum, aut de actu ad non actum, dicit intrinſecam mutationem; quæ Deo repugnat. Atqui ſi Deus mutat ſuum cognoſcere, & velle terminativum, contingit iſte tranſitus. *ergo. min.* prob. ſi Deus in tempore mutat ſuum cognoſcere & velle terminativum, tunc debet hoc fieri realiter & phyſice; ita ut odio habere incipiat Pe-

trum

trum negantem, quem prius dilexerat confitentem: ſed hoc fieri non poteſt ſine novo tranſitu ab uno actu ad alium. *ergo.*

117 Prob. IV. In Deo non poſſunt admitti actus ſucceſſivi; cum omnis ſucceſſio repugnet æternitati ex §. præced. ſed ſi Deus in tempore mutaret ſuum cognoſcere & velle terminativum, tunc daretur ſucceſſio actuum.

118 Prob. V. Actus, quo Deus ab æterno cognoſcendo & volendo terminat objectum, eſt vere phyſicus. ergo ſi hic actus in tempore terminative mutatur, phyſicus actus mutatur, & ita contingit mutatio Dei intrinſeca.

119 Prob. VI. Si cognitio & volitio Dei poſſet in tempore ad aliquid terminari, ad quod ab æterno non terminabatur, tunc Deus aut eſſet ignorans; quia aliquid nunc cognoſceret, quod ab æterno non cognoverat: vel eſſet inconſtans; quia modo vellet aliquid, quod ab æterno non voluit: atqui & ignorantia & inconſtantia Deo repugnat. *ergo.*

120 Objic. I. Deus cognoſcit objecta creata modo ut præſentia, modo ut præterita, nunc ut futura: v. g. deſtructionem Jeroſolymæ aliquando cognovit futuram: dein præſentem, nunc ut præteritam. ergo cognitio Dei mutatur terminative. Resp.

Resp. Nego *Ant.* ſunt enim omnia Deo ſimul & ſemel phyſice in æternitate præſentia. Quod autem dicantur futura & præterita, reſpectu ipſarum creaturarum eſt, quæ ſibi invicem ſuccedunt, & in tempore exiſtentiam acquirunt: Deus autem omni tempori coexiſtit.

Objic. II. Deus eundem numero homi- 121
nem pro tempore, quo juſtus eſt, amat, pro inſtanti, quo peccator eſt, odit. *ergo.*

Resp. *Diſt. Ant.* & quidem ab æterno. *conc.* in tempore, mutando ſuos actus & ab odio transſeundo ad amorem. *nego.* Deus ab æterno omnes elicit actus, ſeu ut rectius dicam, unum actum indiviſibilem, qui tamen virtualiter multiplex eſt, & omnibus temporum differentiis æquivalet ac coexiſtit. Cum itaque ab æterno videat, Petrum ut confitentem & negantem, ab æterno confitentem amat, & negantem odit: etiamſi confeſſio & negatio Petri in tempore ponatur.

Objic. III. Si actus intellectus & volun- 122
tatis Divinæ non mutarentur terminative, tunc Deus quosdam beatos defacto ſimul odiſſet & amaret; quia non nulli eorum aliquando fuerunt peccatores, & ſic terminus Divini odii, qui nunc ſunt objectum Divini amoris. Sed hoc videtur abſurdum. Nam beati non poſſunt ſimul eſſe juſti

justi & peccatores : ergo neque simul objectum odii & amoris : essent autem, si Deus eos simul odisset & amaret.

Resp. *Dist.* siimultate actus unius indivisibilis & virtualiter multiplicis. *conc.* simultate termini. *nego.* cum idem homo pro eodem instanti non possit simul esse justus & peccator, sicut nec præteritus, & futurus, ideo ille pro una, & eadem temporis differentia non terminat amorem & aversionem Dei : etiamsi Deus ipse in æternitate uno simplicissimo actu respondeat, & coexistat eidem homini ut justo & successive ut peccatori, vel vicissim.

CAPUT III.

De Attributis Positivis.

123 Quemadmodum ex independentia Dei, quæ a Deo removet omnem imperfectionem, apte deducuntur omnia attributa negativa hactenus explicata ; ita ex suprema ejus causalitate necessario fluunt attributa positiva. Cum enim Deus sit causa prima omnium rerum, omnesque effectus in sua causa aliquo modo, formaliter, & virtualiter vel eminenter præcontineantur, quia nemo dat, quod non habet : hinc evidenter sequitur, omnem perfectionem positivam, quæ in creaturis

turis reperitur, magna cum eminentia & longe perfectiore modo in Deo exiſtere. Tres autem deprehendimus perfectiones in Spiritibus creatis: 1. vivere. 2. Intelligere. 3. Velle. Hinc cum Deus ſit Spiritus infinitus, tria iſta attributa eidem neceſſario & eminentiſſima ratione inſunt. De primo, utpote nulli controverſiæ obnoxio hoc cap. agam breviſſime: de aliis deinceps.

§. Unicus.

De vita Dei.

Vita eſt vis agendi, ſeu exiſtentia activa. Alia eſt propria & a ſe: alia participata & dependens, ut in Spiritibus creatis, qui vitam in tempore accipiunt a Deo, & niſi conſervetur, ſtatim amittunt.

Resolutio. Deus eſſentialiter & ab æter- 124
no vivit, & tam ab in-quam extrinſeco immortalis eſt.

Prob. I. pars. Innumera Scripturæ oracula vitam Deo attribuunt. Ipſe Deus per ſuam, & prophetæ per Dei vitam jurare ſolebant: *vivo ego, dicit Dominus &c. vivit Dominus &c.* Christus Joan. V. ait: *ſicut Pater habet vitam in ſemet ipſo, ſic dedit & filio habere vitam in ſemet ipſo.* Ratio

tio eſt. Deus eſt ſimpliciſſimus Spiritus habens vim infinitam agendi, & tanquam Ens a ſe habet in ſe rationem ſufficientiſſimam ſuæ exiſtentiæ, ſimulque neceſſario & ab æterno exiſtit. ergo eſſentialiter & ab æterno vivit.

125 PROB. II. pars. PAULUS I. Tim. I. 17. dicit de Deo: *Regi Sæculorum immortali.* Et I. Tim. VI. 16. *qui ſolus habet immortalitatem &c.* & quidem non ſolum ab intrinſeco, quæ omni Spiritui communis eſt, ſed & ab extrinſeco talem; quia cum Deus ſit ipſa ratio exiſtentiæ, eam a ſe ipſo habeat, & a nemine dependeat; eo ipſo vitam amittere nequit: cum ex adverſo Spiritus creati, qui a Dei conſervatione pendent, eam omni momento amittere, & a Deo annihilari poſſint, ſicque ab intrinſeco mortales ſint: quæ omnia unicuique ex Philoſophia nota eſſe ſuppono.

CAPUT. IV.

De Intellectu Divino.

126 Ab experientia ſcimus, Spiritus creatos ſe & alia a ſe intelligere, ſive cognoſcere: ideo etiam Deus, Spiritus infinitus, intelligentia infinita præditus eſſe debet. Ad intellectum pertinent *ſcientia, ſapientia,*

sapientia, & *providentia*. In humano quidem intellectu etiam datur *prudentia*, quæ est circumspectus usus mediorum ad obtinendum finem necessariorum, quæ supponit imbecillitatem intellectus creati, ejusque potentiæ infirmitatem : hæc autem in Deo locum habere nequit; cum enim fines omnes & media ad finem aptissima clarissime perspiciat, insuperque omnipotentia præditus sit : hinc nullum est periculum , ne medium ad finem ineptum eligat , propter quod periculum nos indigemus habitu & regulis prudentiæ. Agam hoc §vo. I. de scientia & ejus objecto. II. De medio scientiæ Dei. III. De scientia media. IV. De Sapientia & providentia Dei.

§. I.

De scientia Dei, & ejus objecto.

Scientia Dei est actualis repræsentatio 127
omnium rerum , quæ fieri possunt, fuerunt, sunt , vel aliquando erunt. Differt in multis a scientia humana. 1. Hæc est habitus demonstrandi consequenter ex genere facultatum, & dicit aliquam potentiam, quæ repugnat actui purissimo, qui omnia necessario & uno actu simplicissimo clarissime cognoscit. 2. Objectum humanæ scientiæ est valde limitatum; nam plurima ignoramus possibilia, præterita,

præſentia, futura: Deus autem habet omniſcientiam. 3. Diverſus eſt modus noſtræ cognitionis; nos enim cognoſcimus imperfecte per ſenſus, imaginationem, abſtractive & ſucceſſive. Deus autem, utpote puriſſimus Spiritus, omnia intime comprehendit, unoque ſimpliciſſimo actu ſimul intuetur.

128 Scientia Dei dividitur in *ſpeculativam* & *practicam*. SPECULATIVA, quæ in objecti contemplatione conſiſtit, nec quidquam efficit, uti ſunt res omnes mere poſſibiles, & nunquam exſtituræ, ſeu ipſa Dei eſſentia ut imitabilis & participabilis a creaturis, dicitur etiam ſcientia *improbationis*, *neceſſaria*, & *ſimplicis intelligentiæ*; quia objectum illius nunquam exiſtit a parte rei, ſed ſolum in intellectu Dei neceſſario ſe ipſum ut imitabilem comprehendentis. PRACTICA eſt, quæ circa objectum aliquid efficit & decreto approbationis poſterior concipitur; hinc etiam ſcientia *approbationis*, *libera* & *viſionis* appellatur; quia tendit in res aliquando exiſtentes, quas Deus ſemper phyſice præſentes videt. Duplicem hanc ſcientiam omnes admittunt. An vero inter utramque admittenda ſit tertia ſpecies, quæ dicitur *ſcientia media*, cujus objectum ſunt futuribilia, ſeu, res nec mere poſſibiles, nec unquam actu exſtituræ, ſed quæ poſita certa conditione a Deo præviſa exiſterent, acriter in ſcho-
lis

lis a duobus fere ſæculis diſceptatur, de qua agam §. III.

OBJECTUM Divinæ ſcientiæ vel primarium 129
eſt, ut Deus ipſe, vel ſecundarium, nempe res a Deo diſtinctæ. Quidquid extra Deum eſt, vel bonum, vel malum eſt. *Bonum* in genere & phyſicum eſt, quod habet entitatem & exiſtentiam; bonum enim & Ens ſunt termini tranſcendentales, & convertibiles. *Malum* triplex concipitur. I. *Naturæ*, ut ſunt monſtra. II. Malum *culpæ*, uti peccata formalia. III. Malum *pœnæ*, ut ſunt calamitates & miſeriæ hujus, alteriuſque vitæ. Ad malum aliquo modo reduci poſſunt negationes, privationes, ſeu non entia, aut Ens rationis, ſi quod datur. Mala naturæ & pœnæ non ſunt proprie malum, ſed habent veram bonitatem phyſicam. Bonum vel eſt actuale, vel poſſibile. Actuale vel eſt præteritum, præſens, vel futurum: eſtque iterum vel neceſſarium vel contingens: hoc vel eſt abſolute, vel conditionate futurum. Futurum conditionatum denuo duplex concipitur. Vel enim conditio annexa aliquando implebitur; tunc res erit determinate & certe futura, & ſolum dicitur *conditionata* reſpectu noſtri, qui conditionem implendam fore ignoramus. Vel conditio nunquam implebitur: & tunc res, quam dicunt *futuribilem*, nunquam eſt actu futura. Hæc

annexa conditio vel pendet a causa necessaria; hac ratione erat futura mors Regis EZECHIÆ secundum ordinem & leges naturæ, nisi Deus hunc ordinem ab æterno per miraculum impedire decrevisset. Vel pendet a causa libera, eaque vel creata, ut est voluntas Angeli, vel animæ humanæ; hujusmodi erat illa futura proditio Davidis a Ceilitis facienda, si civitatem illorum fuisset ingressus. Vel a causa increata nempe voluntate Dei. Aut pendet ab utraque simul, ut conversio Tyriorum, quæ a prædicatione Christi adjuncta gratia efficaci, insuper & a libera cooperatione Tyriorum dependebat.

130 RESOLUTIO I. Deus se ipsum cognoscit, & quidem comprehensive.

PROB. I. pars. Paulus I. ad Corinth. II. 11. de Deo dicit: *quæ sunt Dei, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.*

Ratio est. Scientia Dei est perfectissima, ut nihil ipsum lateat, quod est cognoscibile. ergo debet habere objectum perfectissimum, quod est ipse Deus, sibi ipsi intime conscius.

131 PROB. II. pars. Ad comprehensionem requiritur, ut cognitio adæquet objectum cognoscibile, nihilque cognoscentem lateat;

at; ſed talis eſt cognitio Dei reſpectu ſui, utpote infinita & illimitata. *ergo.*

Resolutio II. Deus omnia a ſe diſtincta 132
clare cognoſcit.

Prob. S. Scriptura innumeris locis Deo omniſcientiam attribuit. Jobi XXVIII. 24. *Ipſe fines mundi intuetur, & omnia, quæ ſub cœlo ſunt, reſpicit.* ad Hæb. IV. 13. *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus, omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus.*

Ratio eſt. Omnimoda ſcientia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; nam vel unius rei ignorantia imperfectio eſt: imo ſi Deus neſciret, inquietus & cupidus foret illud cognoſcendi, ſicque non eſſet ſumme beatus. ergo omnia clare novit, quod etiam per partes

Probatur: nam I. novit Arcana, & in- 133
timos Spirituum creatorum receſſus. I. Parap. XXVIII. 9. *omnia corda ſcrutatur Deus, & univerſas mentium cogitationes intelligit.*

II. Mala naturæ; nam hæc Deus ipſe efficit, ergo & ſcit. hinc dicitur Sap. VIII. 8. *monſtra ſcit, antequam fiant.*

III. Mala poenæ. Amos III. 6. *non eſt malum in civitate, quod Dominus non fecerit.*

IV. Mala Culpæ, quæ fiunt cogitatione, verbo vel opere. Pſal. LXVIII. 6. *delicta mea a te non ſunt abſcondita.*

V. Possibilia. Eccleſ. XXIII. 29. *Domino Deo antequam crearentur omnia cognita ſunt.* Ratio eſt. Deus comprehendit ſuam eſſentiam ut participabilem a creaturis. ergo & videt terminum ſuæ omnipotentiæ, cui ſunt omnia poſſibilia.

VI. Futura, ſive neceſſaria, ſive libera, ordinis naturalis, & ſupernaturalis, quod conſtat ex dictis de phyſica rerum in æternitate præſentia.

VII. Futura conditionata, quorum etiam nunquam eſt implenda conditio; hæc enim ſaltem ſunt poſſibilia. ergo etiam Deo in ſua eſſentia ut imitabili, & in omnipotentia perſpecta ſunt.

§. II.

De medio ſcientiæ Dei.

134 Per medium ſcientiæ, ſeu cognitionis Divinæ, hic intelligitur illud, in quo tanquam in ratione prius cognita & velut in ſpeculo res a Deo videntur. Hinc requiritur, ut medium illud prius, quam objectum a Deo attingatur, vel ſaltem attingi concipiatur. Cum autem multiplex ſit *ſcientiæ* Dei objectum, hinc varia quoque

que a Theologis aſſignantur media, maxime quando agitur de ſcientia futurorum contingentium. MOLINISTÆ exiſtimant, Deum illa cognoſcere in futura determinatione voluntatis creatæ, quam Deus perfectiſſime comprehendit & perſpicit, ad quid voluntas creata in quibuslibet circumſtantiis ſe determinatura ſit: quam cognitionem appellant *ſupercomprehenſionem*, ad differentiam cognitionis Angelorum; qui licet voluntatem humanam comprehendant, actus tamen ejus libere futuros & ſecretos per ſe non cognoſcunt. Alii cum SUARESIO volunt, Deum ejusmodi futura videre in decreto futuro & ponendo in ſigno ſequente. Alii recentiores nullum ſtatuunt medium objectivum repræſentans futura libera, ſed volunt, ea in ſe ipſis videri in eorum veritate objectiva, quam habent independenter a decreto Dei.

SCOTISTÆ dicunt, Deum hæc futura con- 135
tingentia videre in decreto condeterminante, vi cujus Deus ſimul cnm voluntate creata determinat ad eundem actum; ita, ut nec Deus pro priori determinet voluntatem, nec a voluntate determinetur, ſeu ut explicat BOYVIN, agnoſcit Deus iſta futura in determinatione ſuæ voluntatis, includente determinationem voluntatis humanæ, quæ in ſua eſſentia tanquam in objecto futurum contingens repræſentat.

136 THOMISTÆ ex principiis ſuis philoſophicis ſupponunt, iſta futura cujuſcunque ordinis vel ſtatus certo & infallibiliter videri in decreto Dei abſoluto phyſice prædeterminante ad actus bonos, peccatum autem formale permittente.

137 Auguſtiniani diſtinguunt inter actus liberos ordinis naturalis etiam pro ſtatu naturæ lapſæ, & ſupernaturalis pro ſtatu innocentiæ, quos non in decreto, ſed in voluntatis creatæ determinatione Deo in æternitate phyſice præſentes videri exiſtimant: actus autem ſupernaturales pro ſtatu naturæ lapſæ in voluntate Dei, gratiam efficacem, quæ ſemper infallibilem habet effectum, decernente, & phyſice, aut ſaltem moraliter præmovente, videri cum Thomiſtis propugnant.

138 Quantum ad futura conditionata, quorum nunquam eſt ponenda conditio, Thomiſtæ, ut ſe a Moliniſtis diſtinguant, & ne ſcientiam mediam admittere cogantur, confugiunt ad decreta ſubjective abſoluta, & objective conditionata, quæ ſic exponunt. Voluntas, ajunt, ſeu decretum duplici modo conditionatum eſſe poteſt. 1. ex parte ſubjecti, quando non habetur poſitivus actus voluntatis, ſed mera quædam velleitas, id eſt, actus voluntatis poneretur, ſi adeſſet certa conditio: v. g. ſi Deus diceret: vellem omnes homines

mines ſalvos fieri, ſi conveniens eſſet juſtitiæ, & ordini univerſi; quo caſu Deus non habet actum voluntatis ſalvandi, ſed habiturus eſſet, ſi omnium ſalus ſuæ juſtitiæ conveniret. Hoc Decretum eſt *objective & ſubjective conditionatum.* 2. Ex parte objecti tantum, quando in ſubjecto eſt voluntas poſitiva & efficax, cujus tamen effectus a conditione annexa ſuſpenditur. Tale eſt decretum Dei, quo ſtatuit: volo & decerno converſionem Tyriorum, ſi CHRISTUS ibi prædicaverit & ſigna patraverit. Hoc dicunt *ſubjective abſolutum*, *& objective conditionatum* decretum. Moliniſtæ confugiunt ad Palladium ſcientiæ mediæ, qua Deus voluntatem humanam explorat, quid in quibuslibet conditionibus & circumſtantiis eſſet actura. Alii iſta futuribilia omnino negant, dicuntque, illa tanquam mere poſſibilia a Deo cognoſci per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ in eſſentia Divina.

RESOLUTIO I. Deus cognoſcit ſuam eſ- 139
ſentiam ſine ullo alio medio immediate in ſe ipſa, & in ea, ut prius cognita, ſuas perfectiones, & attributa.

PROB. Medium cognitionis debet eſſe aliquid prius, & objecti quodammodo cauſa. Sed nihil poteſt prius concipi quam ipſa eſſentia Dei, quæ poſitive eſt a ſe. Econtra prius concipitur eſſentia, quam attri-

buta, quæ ab illa tanquam fonte dimanare concipiuntur, ex dictis de constitutivo essentiæ Dei. *ergo.*

140 Resolutio II. Omnia possibilia videt Deus in sua essentia, ut imitabili & in omnipotentia tanquam medio prius cognito.

Prob. I. Deus se ipsum perfecte comprehendit, consequenter videndo essentiam & omnipotentiam, videt omnia virtualiter in ea contenta, & veluti terminum earum. II. Si Deus, ut volunt Recentiores, possibilia cognosceret in se ipsis, & independenter ab essentia Divina, tunc objectum formale, & specificativum intellectus Divini esset Ens creatum, utpote quod immediate & independenter attingeret. Hoc nequit admitti; quia Deus acciperet perfectionem a creatura.

141 Resolutio III. Futura necessaria & a solo Deo dependentia videt Deus in suis decretis absolute prædeterminantibus.

Prob. Decretum Dei est unica & infallibilis ejusmodi futurorum causa; nihil enim a se ipso existit. ergo est medium Divinæ cognitionis. Etiam SS. PP. passim affirmant, res non ideo videri a Deo, quia sunt, sed ideo esse, quia a Deo videntur, nimirum scientia visionis in suo decreto antecedente, in quo videt necessariam omnium partium mundi & effectuum cum

cum ſuis cauſis connexionem ; quia ſuo decreto hunc ipſum ordinem e pluribus poſſibilibus elegit & prædeterminavit , & quidem immutabiliter, quia cauſas neceſſarias movet modo neceſſario.

RESOLUTIO IV. Futura libera abſoluta 142
ordinis naturalis pro utroque ſtatu , & ordinis ſupernaturalis pro ſtatu naturæ innocentis , non videt Deus in decretis phyſice prædeterminantibus , ſed in determinatione voluntatis creatæ , quæ in æternitate Deo phyſice præſens eſt. Ita communiter Auguſtiniani.

Ultima pars conſtat ex dictis N. 91. & ſequentibus. Primam autem probant I. de futuris naturalibus. Decretum prædeterminans , ſeu promotio phyſica ideo a Thomiſtis defenditur , quia ſine hac creatura non ſufficienter dependeret a Deo in eſſe & operari , & quia alias Deus non haberet infallibilem ſcientiæ certitudinem de futuris liberis : atqui utrumque habetur ſine decretis ad actus ſingulos phyſice præmoventibus. ergo. *min. prob.* quoad 1. creatura libera ſufficienter dependet a Deo per collationem virtutis agendi , quam Deus omni momento conſervat, & ſine qua conſervatione creatura nec eſſet, nec agere poſſet : ergo dependet quoad eſſe & operari. Videtur hæc eſſe mens S. THOMÆ I. 2. q. 9. a. 6. ad 3. „ Dicen-
„ dum

„ dum, quod Deus movet voluntatem ho-
„ minis ſicut univerſalis motor ad univer-
„ ſale objectum voluntatis quod eſt bo-
„ num: & ſine hoc univerſali motione
„ homo non poteſt aliquid velle: ſed ho-
„ mo per rationem determinat ſe ad vo-
„ lendum hoc vel illud, quod eſt vere
„ bonum, vel apparens bonum: ſed ta-
„ men interdum movet aliquos ad aliquid
„ determinate volendum, quod eſt bonum,
„ ſicut in his, quos movet per gratiam. „
Nimirum in ſtatu naturæ lapſæ. ergo ſolum ad actus ſupernaturales datur promotio ſpecialis per gratiam, ad actus autem naturales ſolum præmotio generalis per collatam virtutem ſe ipſum determinandi ad bonum particulare. *Min.* Prob. quoad II. illa, quæ Deus videt per ſcientiam viſionis, infallibiliter ſcit: atqui futura omnia videt per ſcientiam viſionis; cum Deo nihil ſit futurum, ſed ei omnia in æternitate phyſice præſentia ſint, ut communiſſime fatentur Thomiſtæ. *ergo.*

143 II. Probant quoad futura ſupernaturalia pro ſtatu naturæ innocentis. Gratiæ intrinſece efficacis neceſſitatem ejusque decretum pro hoc ſtatu naturæ lapſæ S. Augustinus unice probat ex infirmitate naturæ corruptæ, & vehementi inclinatione ad omne malum, cui voluntas humana ſuccumberet, niſi fortiore auxilio corroboraretur: cum ex adverſo Adamus, & Angeli inno-

innocentes auxilium *sine quo non*, seu gratiam mere sufficientem & versatilem per liberi arbitrii usum proprio consensu potuerint reddere efficacem, & Angeli perseverantes actu reddiderint, ut clare docet S. AUGUSTINUS L. de corrept. & gratia, & ego in prælectionibus *de Deo creatore ostendi.* Aliunde autem con-aut dissensum gratiæ versatili præstandum Deus infallibiliter videt in physica ejusdem in æternitate præsentia, ex dictis N. 91.

Quæ contra hanc resolutionem opponi 144
possunt, facile solvuntur; quia sine præmotione physica & decretis prædeterminantibus per concursum generalem & conservativum salvantur omnimoda dependentia creaturæ in esse & operari, ejusque libertas: infallibilitas quoque scientiæ Dei per physicam rerum omnium in æternitate præsentiam. Videantur etiam dicta de Deo creatore.

RESOLUTIO V. Futura libera ordinis su- 145
pernaturalis pro statu naturæ lapsæ videt Deus in sua voluntate decernente gratiam ab intrinseco efficacem, quæ non quidem *necessarium*, sed tamen *infallibilem* semper habet effectum. Ita Thomistæ & Augustiniani: etiamsi non iisdem rationibus eandem sententiam propugnent. Augustiniani enim gratiæ ab intrinseco efficacis necessitatem ex sola infirmitate naturæ lapsæ,

Thomi-

Thomiſtæ autem inſuper ex ſuprema cauſalitate Dei, & immediata creaturæ dependentia derivant.

Poſitiva probatio hujus reſolutionis ſupponitur ex *Prælect. de gratia.* Interim probatur *negative*, confutando aliorum ſyſtemata.

146 I. Hæc futura libera ſupernaturalia non videt Deus in cauſis liberis ante decretum. Nam in cauſa contingente & indifferente ad utrumlibet non poteſt *certo* prævideri effectus determinatus, ſed ſolum *conjecturaliter*: niſi ſtatuatur phyſica rerum in æternitate præſentia, quam moliniſtæ communiter negant. Atqui voluntas creata ante Decretum non ſolum ad utrumlibet indifferens eſt, ſed ſine gratia efficaci nunquam ponit actum ſupernaturalem ultimato intentum, ut ex Prælect. de gratia ſupponitur.

147 II. Hæc futura Deus non videt in ſupercomprehenſione creaturæ; nam iſta ſupercomprehenſio non ſe tenet ex parte ſubjecti, ſed ex parte Dei, perfectiore & clariore modo objectum attingentis; & in hoc a comprehenſione Angelica diſtinguitur, quod Deus clarius voluntatem humanam ejusque determinationem cognoſcat. Sicut ergo Angelus per comprehenſionem, non niſi conjecturalem futuri liberi

liberi cognitionem habet, ſic etiam Deus per ſupercomprehenſionem; quia voluntas humana ſemper manet contingens, & indifferens ad hoc vel illud.

III. Deus non videt iſta futura in de- 148
creto ut futuro & in ſigno ſequenti ponendo; nam Decretum Dei debet eſſe æternum: quod autem æternum eſt, id non poteſt concipi ut futurum reſpectu Dei, quamvis noſter intellectus limitatus quædam in Deo ſigna concipiat.

IV. Hæc futura Deus non videt in pro- 149
poſitionibus contradictoriis, ex vi & lege contradictionis; nam ante decretum & ſcientiam Dei non dantur propoſitiones contradictoriæ: cum neutra ſit determinate vera vel falſa, ut ſupponitur ex Philoſophia Thomiſtarum.

V. Nec denique videt in decreto con- 150
determinante, ſeu concomitante Scotiſtarum, vel enim ſcivit Deus in ſigno priore ante decretum, ad quid voluntas humana ſe determinatura ſit? tunc determinatio creaturæ prævia eſt ad decretum, & Deus ipſe determinatur ad concurrendum: quod tamen nolunt Scotiſtæ. Si autem non ſcivit: tunc Deus cæco modo & ſine ratione ſufficiente hoc potius formavit decretum, quam aliud. Quod Deo indignum.

Quæ

Quæ huic reſolutioni objici poſſunt, pertinent ad Tractat. de gratia.

151 RESOLUTIO VI. Futura libera conditionata, quorum conditio a ſolo Deo dependet, & nunquam implenda ſupponitur, non videt Deus in decretis ſubjective abſolutis & objective conditionatis : ſed tanquam res mere poſſibiles in ſua eſſentia per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Si conditio implenda eſt, tunc erit res determinate futura & patet ex dictis in quo medio, videatur.

PROB. I. S. AUGUSTINUS pluribus in locis negat, iſta futura conditionata, a Semipelagianis conficta, a Deo prævideri, qui illa ſolum videt, quæ aliquando actu exiſtunt. Sic Lib. I. de anima & ejus origine cap. 12. „ Quid ? quod ipſa exinanitur omnino præſcientia, ſi, quod præſcitur, non erit. Quomodo enim recte dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum ? „ In Pſalm. 105. „ Quomodo enim futura dicuntur, quæ nulla erunt ? cum igitur ne futura quidem ſint, ſciri a Deo ut futura non poſſunt. „

Lib. 26. contra Fauſtum Manichæum cap. 4. „ Porro ſi audiam, quod aliquid futurum erat, ſed Deus fecit ne fieret. Fidiſſime reſpondebo: illud potius futurum

„ turum erat, quod Deus fecit; non illud, „ quod ſi futurum eſſet, hoc feciſſet. „ Unde tam non poſſunt futura non fieri, „ quam non fuiſſe facta, quæ præterita; „ quoniam non eſt in Dei voluntate, ut „ eo ſit aliquid falſum, quo verum eſt. „ quam ab rem ea, quæ vere futura ſunt, „ fient ſine dubio: ſi autem facta non „ fuerint, futura non erant. „ Sed mere „ poſſibilia.

Paria ſcribit S. PROSPER in epiſt. ad Au- 152
guſtinum n. 5. „ In tantum quibuscum- „ que commentitiis meritis electionem Dei „ ſubjiciunt, (Maſſilienſes) ut quia præte- „ rita non extant, futura, quæ non ſunt „ futura, confingant; novoque apud illos „ abſurditatis genere & non agenda præ- „ ſcita ſint, & præſcita non acta ſint.

Ita quoque S. FULGENTIUS Lib. I. de 153
Prædeſt. & gratia cap. 7. „ Secundum re- „ ctam itaque fidem, ac perſpicuam ve- „ ritatem, quod attinet ad parvulum, qui „ ſine beneficio ſecundæ nativitatis huic „ vitæ ſubtrahitur; ſicut præſciiſſe faten- „ dum eſt Deum parvuli futuram mor- „ tem, quæ vere futura erat, ſic abſurde „ dicitur, Deum præſciiſſe parvuli futura „ peccata, quæ futura non erant. Neque „ enim Deus rerum omnium conditor fa- „ cienda præſciiſſet, quæ facienda non „ eſſent. Scimus namque præſcientiam

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

„ Dei ſic eſſe veram & incommutabilem,
„ ut quæ futura præſcit, vere futura ſint:
„ nec aliquid faciendum præſciat, quod
„ non ſecundum præſcientiam ejus fiat . . .
„ Rerum autem non earum, quæ futuræ
„ non ſunt, ſed quæ faciendæ ſunt, præ-
„ ſcientiam Deo ineſſe, liber Danielis
„ prophetæ teſtatur his verbis: *Deus qui*
„ *occultorum es cognitor, qui ſcis omnia, an-*
„ *tequam fiant.* „ Et cap. 8. „ Abſurde ita-
„ que dicitur, quod præſcierit parvulum,
„ ſi viveret, impium futurum, quem pro-
„ fecto non plus, quam vixit, præſcivit
„ eſſe futurum: quem utique præſcivit ad
„ ætatem, qua impie viveret, non eſſe
„ venturum: quia eum in ætate infantili
„ de ſæculo veraciter noverat auferen-
„ dum . . . futuræ enim ætatis non ab-
„ ſurde præſcita dicuntur opera vel bona
„ vel mala; abſurde autem præſcientia
„ cujusquam humani operis in ætate aſſe-
„ ritur, in qua futurus homo ipſe non
„ eſſe monſtratur . . . Ceterum quisquis
„ Deum præſcium putat futurorum ope-
„ rum, quæ tamen futura non fuerant,
„ reſtat ut præſcientiæ Dei, quam utique
„ non negat veracem, aliquam ineſſe,
„ quod abſit, æſtimet falſitatem. Falſum
„ eſt enim, futurum eſſe aliquid, quod
„ præſens non erit. Dei autem ſcientia
„ nihil in ſe poteſt habere falſi, quia fal-
„ ſitas ineſſe veritati non poteſt. Præ-
„ ſcientia igitur veritatis, quæ in ſe non

„ recipit

„ recipit falſitatem, ſicut faciendum præ-
„ ſcit quod faciendum eſt, ita non fa-
„ ciendum quod faciendum non eſt . . .
„ Dei enim præſcientia nullatenus fallitur;
„ quia ſicut faciendum præſcivit mundum,
„ & ſic eum fecit, quemadmodum facien-
„ dum eſſe præſcivit: ſicut in ipſo quo-
„ que mundo ſingula quæ facta ſunt, fiunt,
„ vel facienda ſunt, ita ſemper facienda
„ fuerunt in Dei præſcientia, quemadmo-
„ dum ſunt in opere conſecuta, vel etiam
„ ſecutura. Non ergo Deus præſcivit
„ faciendum a quolibet homine, quod fa-
„ cturus homo non fuit. „ Atqui ejus-
modi futura, quorum non eſt implenda
conditio, nunquam erunt. ergo neque a
Deo præſciuntur.

Reſpondent quidem adverſarii, præſci- 154
entiam ejusmodi futuribilium ab allegatis
Patribus reprobari quoad nomen, non
vero quoad rem, atque hoc unum inten-
dere, futura iſta conditionata non eſſe
ſtatuenda ut cauſam prædeſtinationis, vel
reprobationis.

Verum cæcus ſit, aut ſuis abreptus præ-
judiciis, qui non videat, SS. Patrum ra-
tiocinia omnem excludere rei nunquam
exiſtentis præſcientiam. Ut enim Maſſi-
lienſium figmenta meritorum nunquam ex-
ſtiturorum validius exploderent, omnem

futuri commentitii, nunquam futuri, præscientiam rejecerunt.

155 Prob. II. S. Thomas omnibus illis in locis, ubi de scientia Dei data opera pertractat, & quæ haud perfunctorie evolvi, nusquam ejusmodi decretorum, quæ confinxit Bannesius, vel verbulo meminit. Imo ne unum quidem S. Thomæ textum istis decretis faventem in ullo Thomistarum, quotquot perlustravi, allegatum invenire potui: quin contrarium aperte asserit ipse S. D. I. P. Quæst. 14. art. 9. ubi quærit: an Deus habeat scientiam non entium, cujusmodi sunt ista futura, respondet: „ Horum quæ actu non sunt, „ est admittenda quædam diversitas; quæ„ dam enim licet non sint nunc in actu, „ tamen vel fuerunt, vel erunt: & omnia „ ista dicitur Deus scire scientia visionis; „ qui cum intelligere Dei, quod est ejus „ esse, æternitate mensuretur, quæ sine „ successione existens totum tempus com„ prehendit, præsens intuitus Dei fertur „ in totum tempus, & in omnia, quæ „ sunt in quocunque tempore, sicut in „ subjecta sibi præsentialiter. Quædam „ vero sunt, quæ sunt in potentia Dei „ vel creaturæ, quæ tamen nec sunt, nec „ erunt, neque fuerunt. NB. et respectu „ horum non dicitur habere scientiam „ visionis, sed simplicis intelligentiæ. Hæc D. Thomas, atqui ista futura conditio-

ditionata nunquam omnino erunt : ergo hæc decreta a recentioribus Thomiſtis ſine omni fundamento conficta D. THOMAS cum PP. profunde ignoravit.

PROB. III. Iſta futura conditionata, ſeu, ut appellant, futuribilia, eſſent aliquid medium inter res mere poſſibiles, & abſolute futuras : atqui inter utraſque medium non datur. ergo non dantur futuribilia. *min. prob.* Inter eſſe, & non eſſe non datur medium, juxta principium evidens : *quodlibet eſt vel non eſt.* ergo etiam inter exiſtere, & non exiſtere, non datur medium : præcipue ſi admittatur, eſſentiam ab exiſtentia non diſtingui : atqui futuribilia nunquam exiſtent, quia non implebitur conditio. ergo tanquam res non exiſtentes pertinent ad res mere poſſibiles. 156

PROB. IV. Non datur objectum cognitionis diſtinctum, ſi ei non reſpondet diſtincta ſcientia. Atqui iſtis futuribilibus non reſpondet ſcientia diſtincta; hæc enim eſſet MEDIA, quam negant Thomiſtæ. ergo iſta futuribilia non ſunt objectum diſtinctum inter res mere poſſibiles, & abſolute futuras. 157

PROB. V. Iſta futura conditionata fundarent in Deo cognitionem ſuſpenſivam, & dependentem ab eventu conditionis 158

 implen-

implendæ, vel non implendæ: ſed hæc in Deo locum habere nequit, qui evidenter ſcit, conditionem non eſſe implendam, adeoque rem ſemper manere ſolum poſſibilem. Ideo enim inter homines dantur cognitiones ſuſpenſivæ, quia conditionem ab altero adjectam, eſſe, vel non eſſe implendam, ignoramus, hinc eventum exſpectare debemus. Cum vero Deum nihil latere poſſit, hinc ab æterno videt, conditionem non eſſe implendam: adeoque reſpectu Dei nullum datur conditionate futurum, ſed ſolum reſpectu noſtrum.

159 Prob. VI. Si illa dicuntur conditionate futura, & videri in iſtis decretis, quæ pendent a conditione Dei: tunc omnia, etiam abſolute futura, & res omnes poſſibiles, erunt conditionate futuræ; nam nihil unquam abſolute futurum eſt, niſi dependenter a conditione, quod Deus illud exiſtere velit, & res omnes mere poſſibiles exiſterent, ſeu futuribiles eſſent, ſi Deus eas exiſtere vellet. Atqui hoc eſt abſurdum; quia ſic neque daretur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, nec viſionis, ſed ſola decreta ſubjective abſoluta, & objective conditionata, quæ tamen SS. PP. & D. Thomæ fuerunt incognita.

160 Prob. VII. Iſta decreta ſunt nugatoria, ſibique contraria. ergo Deo indigna. *Ant. prob.* ſi quis ſecum ſtatuat, quod amico pau-

pauperi, ſi illi Romæ obviaverit, pinguem velit Eleemoſynam dare, eodem autem momento ſtatuat ſecum, ſe Romam nunquam profecturum: iſte utique nugatur, & pauperi illudit. ergo etiamſi Deus ſtatuat: decerno converſionem Tyriorum, ſi Chriſtus apud eos prædicet, & ſigna faciat; nolo autem ibi Chriſtum prædicare: utique nugatorium foret iſtud decretum, imo & contradictorium; decerneret enim converſionem, ex hypotheſi: & non decerneret; quia nollet impleri conditionem, cum qua infallibiliter connexa eſt converſio, & ſine qua certiſſime non ſequitur.

Objic. I. In Sacra Scriptura multa præ- 161
dicuntur ejusmodi futura conditionata, quorum non fuit implenda conditio. ergo certiſſime a Deo prævidentur. Non videntur autem in eſſentia Dei, cum ſint res, plus quam mere poſſibiles: neque in decreto utrinque abſoluto. ergo in decreto ſubjective abſoluto, & objective conditionato. *Ant. Prob.* I. Reg. XXIII. 12. Davidi Deum interroganti an viri urbis Ceilæ ipſum eſſent Sauli tradituri, ſi in eorum civitatem ingrederetur, Reſpondit Deus; *tradent.* Cum tamen propter non ſecutum ingreſſum Davidis traditio non fuerit ſecuta: vidit igitur Deus traditionem futuribilem.

Resp. Neque prævidit, neque prædixit Deus proditionem, utpote qui certissime cognoverat, eam non fore futuram. Sed manifestavit Ceilitarum animum a Davide alienum, atque ad proditionem paratum, & magis Sauli addictum. Ideo monere voluit Davidem, ut se illis non crederet, sed alibi salutem suam quæreret. Hæc autem singula cognovit per scientiam visionis, & physicam rerum in æternitate præsentiam.

162 Objic. II. Cum regnum Israël a Syris esset oppressum, Rex autem Joas auxilium & consilium ab Elisæo propheta flagitasset, jussit Propheta, ut velut pro signo belli Syris indicendi telum emitteret, & jaculo percuteret terram: quam cum Rex tribus vicibus percussisset & stetisset, iratus vir Dei contra eum ait: *Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem, nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Ergo Deus decreverat & præviderat futuribilem Syriæ internecionem.

Resp. Ex isto loco id unum colligi posse videtur, quod Deus voluntate antecedente fuerit paratus ad plenissimam tribuendam victoriam: quam tamen voluntate consequente non decrevit. Itaque totalis eversio Syriæ, nunquam secutura, erat objectum scientiæ simplicis intelligentiæ.

Objic. III.

Objic. III. Sapientiæ IV. dicitur: *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus &c.* ista quidem perversio non contigit, a Deo tamen prævisa fuit. 163

Resp. Cum S. Augustino ad istum textum a semipelagianis objectum, Lib. de prædest. SS. cap. 14. „ *Raptus est &c.* Dictum est enim secundum pericula vitæ „ hujus, NON SECUNDUM PRÆSCIENTIAM „ Dei, qui hoc præscivit, quod futurum „ erat, non, quod futurum non erat: „ id est, quod ei mortem immaturam fu- „ erat largiturus, ut tentationum subtra- „ heretur incerto, non quod peccaturus „ esset, qui mansurus in tentatione non „ esset. „ Iste præmature raptus caruisset efficaci gratia, utpote non decreta, & hinc in ipsa negatione gratiæ efficacis vidit Deus perversionem; cum gratia enim efficaci infallibiliter connexa est cooperatio.

Objic. IV. Christus Math. XI. increpat: 164
væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Non dixit: pœnitentiam agere *potuissent*, sed *egissent.* ergo ista conversio plus quam possibilis, non tamen absolute, sed conditionate futura erat.

Resp. Vel Tyrii prædicante apud ipsos Christo habuissent gratiam efficacem, vel non?

non? ſi non, certe nec ipſi pænitentiam egiſſent. Si habuiſſent; tunc converſionem futuribilem vidit Deus in ipſa intrinſeca efficacia gratiæ, quæ infallibilem ſemper habet effectum. Cum Deus autem gratiam efficacem Tyriis non decreverit; hinc neque futuribilem converſionem prædixit. Increpatio & comparatio Corozaitarum cum Tyriis conſiſtit in hoc; quod Corozaitæ viſis Chriſti ſignis & prædicatione audita, magis tamen eſſent indurati, quam fuerant Tyrii, qui nec Chriſtum prædicantem audiverant, nec ſigna facientem viderant. Utrumque vidit Chriſtus ſcientia viſionis, quippe in æternitate ſibi phyſice præſens. Uſus eſt ergo increpatione exaggerativa ob præſentem majorem indurationem Corozaitarum comparate ad minorem Tyriorum: quemadmodum homo dicere ſolet, facilius Æthiopem lavabo, & ſaxum emolliam, quam induratum hujus peccatoris animum ad pœnitentiam convertam. Ubi nullum prædicitur futuribile.

165 Objic. V. Datur etiam in hominibus ſcientia quorundam futuribilium, quæ tamen nunquam futura ſunt. ergo cum noſtra ſcientia ſit effectus Dei ut cauſæ, in eo multo majore cum eminentia talis cognitio eſſe debet. *Ant. prob.* nos prædicimus lignum aridum, ſi igni admoveatur, arſurum, etiamſi conditio non impleatur.

Item

Item prænoſcimus, hominem ebrietati deditum ſi ſplendidæ aſſideat menſæ, & nemo impediat, ſe inebriaturum eſſe. *ergo.*

Resp. *Diſt. ant.* Datur in nobis talis ſcientia, in *neceſſariis,* cujusmodi eſt exemplum primum. *conc.* in futuribilibus *liberis. ſubdiſt.* datur certa ſcientia. *nego.* conjecturalis. *conc.* cum enim ebrioſus plena libertate gaudeat, contingere poteſt, ut illa vice ſe non inebriet, hinc eventum non poſſumus prædicere certo futurum. Conditionate futurorum neceſſariorum habet Deus ſcientiam, quia videt nexum omnium rerum, & nihil neceſſario exiſtit ſine ejus decreto, Quoad futura libera ſcientia conjecturalis Deo repugnat, quia certitudinem excludit, & metum involvit.

Objic. VI. Cum ſcientia ſit perfectio, om- 166
nis illa in Deo eſſe debet, quæ nec cum majore perfectione pugnat, nec imperfectionem involvit. Atqui futuribilium ſcientia nec involvit imperfectionem, nec pugnat cum majore perfectione. *ergo.*

Resp. I. Videt utique Deus hæc conditionata, non quidem ut futuribilia, ſed ut mere poſſibilia; nec enim datur medium. Jam etiam ſupra oſtendi hæc decreta Deo eſſe indigna. ergo repugnantia.

Resp. II.

RESP. II. *Dist. min.* futuribilium ſcientia, quæ ſit diſtincta a ſcientia ſimplicis intelligentiæ &c. *nego.* indiſtincta. *conc.* Illa enim ſcientia eſſet diſtincta ex hypotheſi, & non eſſet diſtincta; quia caret objecto diſtincto. Hinc adeſt contradictio, quæ in Deo repugnat.

§. III.

De ſcientia Media.

167 Quamvis in Deo una ſolum ſit ſcientia ſimpliciſſima, multiplicem tamen intellectus humanus concipit, comparate ad objecta. Celeberrima eſt diviſio in ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ*, & *viſionis*, de qua num. 128. hinc inquiritur, an hæc diviſio ſit adæquata, nullaque admittenda ſit inter utramque MEDIA, quam poſt MOLINAM propugnant ſic dicti recentiores. Cum enim præter mere poſſibilia, & abſolute futura, ſtatuant objectum medium, nempe futura libera conditionata; hinc etiam ſtatuunt ſcientiam inter utramque mediam, quæ nec ſimplicis intelligentiæ, nec viſionis ſit; maxime ideo, quia exiſtimant, libertatem creaturæ cum antecedente Dei decreto conciliari non poſſe. Si enim futura libera Deus videat in ſuis decretis prædeſtinantibus, uti ante Molinam ipſomet fatente omnes docuerant Theologi

logi, tunc creaturas, non jam libere, sed necessario gratiæ efficaci consentire existimant, quia decretum Dei impediri & & effectu carere non potest. Etiamsi autem recentiores in multis hodie a Molina recedant, sequens tamen communiter sibi formant systema, quod CONGRUISTARUM appellatur.

I. Vidit Deus ab æterno per scientiam 168
simplicis intelligentiæ cuncta possibilia, & ex omnibus mundis possibilibus statuit hunc præsentem creare, & in eo creaturas liberas, & quidem ad finem supernaturalem elevatas, seu ad æternam salutem ordinatas, si modo ipsæ velint. II. Decrevit, singulis conferre gratiam sufficientem. III. Per scientiam mediam vidit, quid creatura spiritualis in singulis circumstantiis sit operatura, an gratiæ versatili consensura, vel repugnatura. IV. His exploratis quosdam singulariter dilexit, decernendo eorum vocationem ad gratiam, id est præparando talem gratiarum congruarum seriem, cui præviderat eos consensuros, & in adepta justificatione perseveraturos: quibus proin ob prævisa merita æternam statuit rependere gloriam. V. Aliis, quos non ita specialiter dilexit, decrevit conferre gratias complete sufficientes, etsi ob defectum circumstantiarum propitiarum præviderit, eos libere gratiæ dissensuros, sicque in finali peccato mori-

morituros: quos proin ob prævisa demerita positive ad pœnam æternam reprobavit.

169 Hæc scientia *media*, non quidem quoad notionem, sed quod rem, pro scientia futurorum conditionatorum considerata, jam olim Pelagio, & maxime Semipelagianis cognita fuit; utpote qui asserebant, ideo quosdam præ aliis prædestinari ad gratiam & gloriam, id est, efficaciter vocari; quia Deus præviderat, eos gratiæ vocanti consensuros: quod præcipue dicebant de parvulis, quorum aliquos ideo Deus ad baptismum venire disponit; quia prævidit, eos, si diutius vixissent, bene operaturos fuisse, alios econtra male. Sic enim eorum sententiam describunt Hilarius & Prosper in Epist. ad Augustinum, quæ ad calcem Tomi VI. harum prælectionum exstant. Et ipse Faustus Regiensis Semipelagianus Lib. 2. de gratia & Lib. arbit. cap. 3. ait: *nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit.* In eo tamen ab hæreticis istis differt recentiorum sententia; quod Pelagiani omnia bona opera, Semipelagiani saltem initium fidei, seu primum credulitatis affectum ex solis naturæ viribus, isti autem DD. catholici ex viribus gratiæ sufficientis & prævenientis provenire defendant, & ea propter nulla graviore censura a privato Theologo perstringi possint, donec celebris ista controversia, in pluri-

pluribus congregationibus Romæ agitata, per decretoriam R. P. ſententiam definiatur. Cum autem hæc ipſa quæſtio neceſſariam cum ſyſtemate gratiæ efficacis connexionem habeat, multa inde ſupponenda, & e Tomo VI. repetenda ſunt.

Resolutio. Non adeſt ratio ſufficiens 170
admittendi ſcientiam mediam.

Prob. I. Quando non datur objectum ſcientiæ mediæ, diſtinctum ab objecto ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ & viſionis, tunc nec datur ſcientia media, tanquam plane ſuperflua & objecto ſpeciali deſtituta: atqui non datur objectum diſtinctum. *ergo. min. prob.* hoc objectum forent futuribilia, ut diverſa a mere poſſibilibus: ſed hoc falſiſſimum eſt. Ex §. præced. *ergo.*

Prob. II. Scientia media, quam Semipe- 171
lagiani, licet cum abuſu, proponebant, nunquam probata fuit S. Augustino, ejusque fideliſſimis diſcipulis Fulgentio, Prospero & Hilario: imo ut Molina, non autem in Domino, gloriatur, ſi Auguſtino cognita fuiſſet iſta ratio, per ſcientiam mediam conciliandi libertatem hominis cum gratia efficaci, nunquam orta fuiſſet Semipelagiana hæreſis. ergo hæc ſcientia media ab Auguſtino, quem tamen Eccleſia ut doctorem gratiæ veneratur, non fuit admiſſa, conſequenter nova eſt, & hoc

hoc ipso rejicienda, quia omnis novitas in Theologia suspecta est. Imo constans est Sancti AUGUSTINI principium, futura supernaturalia in statu naturæ lapsæ non ideo a Deo prævideri, quia futura sunt: sed ideo prædestinatos salvari, quia *secundum propositum Dei*, id est, decretum efficax, vocati sunt. Sic enim loquitur lib. de prædest. SS. cap. 10. „ Prædestinatio sine „ præscientia esse non potest . . . præ„ destinatione quippe Deus ea præscivit, „ quæ fuerat ipse facturus. „ legatur etiam cap. 17. ejusdem libri. Et de dono perseverantiæ cap. 17. ubi semper supponit, decretum Dei præcedere, in quo, tanquam medio prius cognito, videntur futura libera supernaturalia pro statu naturæ lapsæ.

172 PROB. III. Scientia media a Molinistis unice excogitata, aut aliunde mutuata fuit, eo quod sine illa non posset humana libertas conciliari cum efficacia gratiæ. Atqui hanc concordiam etiam faciunt Augustiniani, nam per præscientiam nulla infertur creatæ voluntati violentia aut necessitas, ut adversarii fateri debent de providentia loquentes. Neque etiam decretum efficacis gratiæ libertatem tollit; quando enim homo cum maxima delectatione operatur, tunc utique liberrime operatur: atqui consentiens gratiæ ab intrinseco efficaci, quam suppono in deliberata delectatione victrici constitutam esse, cum summa

ma & prævalente delectatione operatur. ergo liberrime operatur; hinc in isto systemate salvatur & infallibilitas scientiæ Dei, & libertas hominis.

Prob. IV. Si quæ difficultas est in conci- 173
lianda hominis libertate cum efficacia gratiæ, tunc eandem etiam patiuntur Molinistæ; si enim, ut ipsi falso supponunt, id necessario sequitur, quod ex præscientia sequitur, tunc præviso per scientiam mediam hominis consensu gratiæ versatili præstando, homo in tempore operans non potest dissentire illi gratiæ, quia secus scientiam Dei redderet fallacem. ergo necessario operatur: ergo Molinistæ non salvant istam concordiam.

Denique ista quæstio, cur unus efficaci- 174
ter vocetur ad justificationem, eique perseverantia conferatur, non autem alteri, Paulo Apostolo, & Augustino semper inscrutabile mysterium visa fuit: dum ex adverso Molinistæ jactant, se facillimam hujus rei dare rationem, dicendo, ideo unum cum effectu vocari, & perseverare; quia hujus, non item alterius consensum Deus per scientiam exploravit, & prævidit. Atqui non est vero simile, quod Deus facillimam hanc solutionem, & pro convincendis illius temporis hæreticis, tantopere accommodatam Augustinum latere, & novissimo denique Molinæ revelare voluerit. ergo nova ista explicatio, a Semipelagianis ex parte mutuata,

& ab Augustino retractante (nam & ipse aliquando ante suam conversionem in hac opinione versabatur) usque ad vitæ finem impugnata, non divinæ revelationi sed humanæ & novæ adinventioni tribuenda est.

175 Quæcunque pro scientia media afferri possunt argumenta, vel supponunt, dari res futuribiles, quæ inter mere possibiles, & absolute futuras essent mediæ, quod refutatum est §. præced., vel impugnant intrinsecam efficaciam gratiæ, quibus in prælectionibus de gratia tom. VI satisfactum fuit.

§. IV.

De sapientia & providentia Dei.

176 SAPIENTIA in communi dicitur virtus intellectualis, quæ considerat altissimas caussas, estque in homine facultas, meliora cæteris præferendi. In Deo autem, ubi nulla datur potentialitas, est actualis & interminata cognitio & electio optimi, saltem quoad modum. Hanc Deo inesse, S. Scriptura locis prope infinitis insinuat, & ratio naturalis evincit; cum enim in hominibus quædam detur sapientia saltem limitata, ea in Deo tanquam in caussa modo prorsus infinito esse debet. Præterea insipientia, seu defectus sapientiæ, in homine inde oritur; quoniam meliora vel non intelligit ob ignorantiam

tiam in intellectu; vel intellecta non eligit ex vitio voluntatis perverſæ; vel quia exſequi non poteſt defectu virium: atqui iſti defectus locum in Deo habere nequeunt propter infinitam ejus omniſcientiam, bonitatem ſeu ſanctitatem, & omnipotentiam. ergo ſapientia Dei perfectiſſima eſt, & quidem in omni genere: cum noſtra ſit ſolum participata, & multum limitata.

PROVIDENTIA a D. THOMA definitur, quod 177
ſit ratio præexiſtens ordinis rerum in finem. Qui providus eſt, curat, ne fine, quem ſibi propoſuit, excidat. Igitur ſapientia divina fines omnes & media cognoſcit; voluntas finem præſtituit; mens media dirigit, potentia applicat, ſeu exſequitur. Ut Deus fines, quos ſibi in creatione propoſuit, conſequatur, hanc rerum univerſitatem conſervare & gubernare debet. Duo itaque præcipui actus providentiæ ſunt *conſervatio*, & *gubernatio*. CONSERVATIO eſt actus Dei, quo facit, ut hic mundus exiſtere pergat. Conſervatio vel eſt *generalis*, quæ totam rerum univerſitatem, ejusque exiſtentiam in genere reſpicit; vel *ſpecialis*, quæ ad actiones & motus in hac univerſitate pertinet, & dicitur alias *concurſus*, qui iterum vel *generalis* eſt, habens pro objecto totam rerum univerſitatem, quatenus ipſi ineſt vis, & motus. Vel *ſpecialis*, per quem actiones ſpirituum & hominum conſervantur, vel determinantur. Hic vel eſt *naturalis*, quoad actio-

nes physicas & naturales moraliter bonas: vel *supernaturales*, quoad actiones salutares, & est ipsa gratia supernaturalis.

178 Gubernatio est rerum creatarum in finem directio, sive sapientissima Dei actio, qua res omnes ita disponit, ut fines sibi propositos consequatur. *Providentia* Dei potest dupliciter spectari, vel ut est *in mente* divina; & sic a Böetio dicitur divina ratio in summo Principe constituta, qua cuncta disponit: vel in *executione*; & tunc est ipsa gubernatio. de utraque simul intellecta hic quæritur I. an in Deo sit providentia, quam negabant nonnulli gentiles, præcipue Stoici & Epicurei, inter Christianos Priscillianistæ, omnia tribuentes fato, seu immobili cuidam necessitati ex syderum dispositione provenienti. II. An providentiæ Dei omnia subsint. III. An providentia semper suum finem consequatur. IV. An rebus necessitatem imponat.

Resolutio I. est in Deo providentia.

179 Prob. I. ex S. Scriptura Sap. VIII. 1. *attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*. ibid. cap. XII. 13. *non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus*. cap. XIV. 3. *tua providentia ab initio cuncta gubernat*. Christus Matth. VI. docet: Patrem cælestem curam habere volucrum cæli, liliorum agri, passerum, capillos capitis omnes esse

esse numeratos, nec unum sine ejus voluntate, aut permissione perire.

Prob. II. Ratione. Providentia est perfe- 180
ctio: ergo Deo necessario inest. II. Agens intellectuale intendit finem, & ad eum omnia ordinat: tale agens est Deus infinite intelligens. ergo ita dirigit: hæc autem directio est ipsa providentia. III. Si Deus non provideret rebus omnibus; tunc quia vel nesciret, vel nollet, aut non posset: atqui Deus omnia cognoscit, omnia existentia amat, & nihil odit eorum, quæ fecit; insuper omnipotens est. ergo. IV. Si nulla esset Dei providentia, tunc nulla religio, nulla bonorum præmia, nec malorum supplicia: sed religionem natura dictat, & mala conscientia supplicia metuit. *ergo.*

Resolutio II. Providentiæ Dei subsunt 181
omnia, non solum necessaria & libera, sed ipsa etiam peccata.

Prob. I pars. Totus ordo & connexio causarum necessariarum, & quælibet creatura in particulari, suam originem habet a Deo tanquam causa efficiente; nec enim aliquid a seipso existit, aut fortuito atomorum concursu exoritur. ergo subsunt providentiæ Dei, singula continuo conservantis, & sapientissime gubernantis.

Prob. II. pars. Deus ipsas causas liberales 182
in esse, & operari conservat. Sic Proverb.

XXI. 1. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.* est ergo etiam respectu creaturarum liberarum providentissimus gubernator, & liberalis aliquando remunerator, ac justus vindex.

183 Prob. III. pars. Peccatum, etiam quoad suum formale spectatum, est actus hominis liberi, seu libera debitæ rectitudinis privatio: atqui hæc a Deo permittuntur, & ad bonum ordinantur; tam enim omnipotens & bonus est Deus, ut benefaciat etiam de malo, ut loquitur Augustinus in Enchiridio cap. 11.

184 Objic. I. Paulus ad Corint. IX. 9. ait: *Nunquid de bobus cura est Deo?* ergo non providet rebus omnibus.

Resp. Dist. Non habet curam boum, *tantam, quantam* habet hominum, quos specialiter curat, & in eorum bonum omnia dirigit. *conc.* habet nullam, *nego.*

185 Objic. II. Hieronymus in caput 1. Habacuc ait: „ absurdum est ad hoc deducere Dei majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur „.

Resp. Eodem modo: agit ibi Hieronymus adversus illos, qui rebus singulis proprios assignabant Angelos, & ait: „ Non „ sumus tam fatui adulatores Dei, ut in nos „ ipsos

„ ipſos injurioſi ſimus, eandem rationabili-
„ um & irrationabilium providentiam eſſe
„ dicentes. „

Objic. III. Si Deus omnibus providet, tunc 186
non dantur caſus fortuiti, quod eſt contra
experientiam.

Resp. Diſt. Non dantur caſus fortuiti, reſpectu Dei, *conc.* reſpectu noſtrum, qui futurorum ſumus ignari, & rerum etiam neceſſariarum cauſas ſæpe occultas neſcimus: *nego.*

Resolutio III. Providentia Dei ſemper 187
conſequitur ſuum finem *generalem*, ultimum,
ſeu *operantis*, qui eſt manifeſtatio ſuarum
perfectionum: quamvis non ſemper conſequatur finem *ſpecialem*, ipſius rei, ſeu *operis*.

Prob. I. pars ex D. Thoma 1. p. q. 19 a. 6. „ Poteſt aliquid fieri extra ordinem alicujus „ cauſæ particularis agentis, non autem extra ordinem cauſæ univerſalis, ſub qua „ omnes particulares cauſæ comprehenduntur: unde quod recedere videtur a divina „ voluntate ſecundum unum ordinem, relabitur in ipſam ſecundum alium: ſicut peccator, qui quantum eſt in ſe, recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus juſtitiam punitur. „ Hinc etiam patet altera pars; nam finis particularis hominis eſt æterna beatitudo: finis gratiæ excitantis eſt converſio peccatoris: atqui nec omnis homo

beatitudinem, nec quælibet gratia suum semper effectum consequitur. *ergo.*

188 Resolutio IV. Providentia Dei rebus necessariis, non autem liberis necessitatem imponit.

Prob. Deus causis liberis & omnibus providet, easque dirigit modo cuilibet congruo & competente: atqui causis necessariis, radice libertatis carentibus, congruit, ut operentur necessario; quia seipsas determinare non possunt, sed ad unum ab auctore naturæ determinantur. Econtra causæ liberæ, quibus Deus facultatem dedit seipsas determinandi ad fines particulares, modo libero gubernari postulant: ergo sic etiam a Deo reguntur: maxime cum finem providentiæ particularem impedire possint, ut patet ex N. præced. & ab experientia.

189 Objic. Quod non potest non fieri, id fit necessario: atqui actus creaturæ liberæ a Deo prævisi non possunt non fieri, secus falleretur & scientia Dei. *ergo.*

Respond. Dist. maj. Fit necessario, necessitate hypothetica, consequente, & per modum simplicis illationis, *conc.* necessitate absoluta, & antecedente, *nego.* Ex hoc, quod Deus aliquid certo futurum prævidit, legitime infertur: *ergo fiet;* etiamsi non fiat necessario; sic enim Deus prævidit futurum, ut simul viderit, posse non fieri re-

reſpectu cauſæ contingentis. Poſtquam autem vidit, hominem libere ad aliquid ſe determinaturum, tunc neceſſitate conſequente certo ſequitur effectus, quia non poteſt actus cum ejus negatione conjungi. *diſt.* etiam *min.* non poſſunt non fieri, ex conſequenti ad præviſam liberam hominis determinationem. *Conc.* ex neceſſitate abſoluta, per providentiam impoſita. *nego.* Neque tamen unquam fallitur præſcientia Dei; quamvis enim Deus videat, hominem poſſe ſe determinare ad oppoſitum: videt tamen, vel ob ſolam rerum in æternitate phyſicam præſcientiam, quod ad oppoſitum non ſit ſe determinaturus.

CAPUT V.

De voluntate Dei.

CUm Deus ſit perfectiſſimus ſpiritus, vi 190
intelligendi & volendi infinita præditus eſt. *Voluntas* in genere eſt facultas appetendi, quæ bona ſunt, & averſandi quæ mala ſunt. Divina autem eſt actualis electio boni, & averſio mali; etſi autem voluntas Dei una ſit & ſimpliciſſima, quippe eadem cum eſſentia, varie tamen a theologis dividitur. I. In *neceſſariam* & naturalem, quæ eſt electio boni, cujus contrarium Deus velle non poteſt: v. g. vera fides in Chriſtum, & opera bona: hoc Deus naturaliter

& necessario vult, & contrarium velle non potest, quia non potest velle malum. Altera, seu *libera*, est electio boni, cujus etiam oppositum vel omissionem velle potest v. g. baptismus; nam etiam sine illo vel alio medio originale peccatum remittere potuisset.

191 II. Dividitur in voluntatem signi & beneplaciti. *Voluntas signi* est declaratio, seu signum externum, quo Deus homini manifestat, se aliquid velle, quod fieri potest quinque modis, præcepto, prohibitione, permissione, consilio, operatione, quos sequens complectitur versiculus: *Præcipit, & prohibet, permittit, consulit, implet.* Hæc non est proprie, sed metaphorice voluntas, nec semper conjuncta cum voluntate beneplaciti. Sic dum Deus Abrahamo præcepit immolationem filii sui, signum erat, quod Deus aliquid ab ipso velit. Non voluit tamen mortem filii, sed promptam & cæcam obedientiam patris. *Voluntas beneplaciti* est ipse interior Dei actus, decernens aliquid tanquam sibi gratum. Hæc subdividitur in antecedentem & consequentem. *Antecedens* est, quæ considerat objectum, & aliquid vult fieri secundum se spectatum, præscindendo a circumstantiis particularibus, secundum quas illud ipsum non vult fieri. Sic Princeps vult servare vitam omnium civium in genere: at in circumstantiis particularibus non vult servare vitam facinorosi. Deus vult omnium salutem, sed non vult ser-

vare

vare incredulum & peccatorem. *Voluntas conſequens* eſt, qua Deus decernit aliquid ſimpliciter & in individuo conſideratum, uti ſalutem æternam prædeſtinatorum.

Aliter hanc voluntatis diviſionem expo- 192
nunt Moliniſtæ; illi enim *antecedentem* Dei voluntatem dicunt, quæ hominis conſenſum præcedere concipitur; *conſequentem* autem appellant, quæ liberam hominis determinationem ſubſequitur: & hæc explicatio ſcientiæ *mediæ* neceſſario inſervit; ſi enim voluntas Dei conſequens, quæ juxta D. Thomam ſemper impletur hominis conſenſum præcedit; tunc evidenter ſequitur intrinſeca efficacia decreti & gratiæ operantis conſenſum, actumque eſt de ſcientia media. Legitimam autem eſſe Thomiſtarum explicationem inde colligitur; quia voluntas Dei conſequens eſt infallibilis cauſa noſtri conſenſus gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ præſtiti, ut ſupponitur e prælect. de gratia Tom. VI. ergo voluntas Dei conſequens ſaltem natura præcedit hominis conſenſum. ergo voluntas Dei non ideo eſt antecedens, quod præcedat conſenſum: ſecus utraque confunderetur. Item prædeſtinatio ad gloriam & gratiam includit voluntatem Dei antecedentem & conſequentem; atqui prædeſtinatio *in intentione* præcedit omnia noſtra merita, & peccata præviſa, ex dicendis. ergo voluntas non dicitur conſequens, quaſi ſequeretur præſcientiam

no-

nostri consensus, seu meritorum. Alii iterum dividunt voluntatem Dei in *absolutam* & *conditionatam.* Prior a nulla, altera ab aliqua conditione pendet: & hæc coincidit cum decretis subjective absolutis, & objective conditionatis. Duo isto in capite inquiruntur. I. An, & quæ detur in Deo voluntas omnes homines salvandi. II. An omnis voluntas Dei semper impleatur.

§. I.

De voluntate Dei salvandi omnes homines.

193 RESOLUTIO I. Deus habet voluntatem, omnes homines etiam post Adæ lapsum salvandi. *Contra Jansenianos.*

PROB. I. Clare hanc propositionem S. Scriptura affirmat I. ad Timoth. II. 4: *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire;* atqui hæc voluntas non est *consequens;* secus omnes salvarentur. ergo est *antecedens:* sic exponit AUGUSTINUS L. de spiritu & litt. Cap. 33. „ Deus vult omnes homi-„ nes salvos fieri, non sic tamen, ut „ iis adimat liberum arbitrium, quo bene „ vel male utentes homines justissime ju-„ dicentur. „ Et S. PROSPER in responsionibus ad objectiones Vincentii Cap. 2. „ sin-

„ ſinceriſſime credendum & profitendum „ eſt, Deum velle, ut omnes homines „ ſalvi fiant; ſiquidem Apoſtolus præci- „ pit, quod in omnibus Eccleſiis piiſſime „ cuſtoditur, ut Deo pro omnibus ho- „ minibus ſupplicetur. Ex quibus, quod „ multi pereunt, pereuntium eſt meritum: „ quod multi ſalventur, ſalvantis eſt do- „ num. „

Prob. II. Illorùm vult Deus ſalutem, pro 194
quibus Christus mortuus eſt; in hunc e-nim finem opus redemptionis ordinatum fuit: atqui pro omnibus mortuus eſt, quoad ſufficientiam oblati pretii; nempe ut ex Paulo conſtat, pro iis mortuus eſt, qui peccarunt in Adam: atqui omnes omnino homines peccaverunt in Adam, & naſcuntur cum peccato originali. *ergo*.

Prob. III. Qui media omnibus ſufficien- 195
tia præparavit, vult etiam finem, ad quem media ordinantur: atqui Deus præparavit omnibus media ſufficientia ad ſalutem; quia pro omnibus omnino hominibus inſtituit Baptiſmum: adultis ratione utentibus etiam actu confert gratias ſaltem ſufficientes, ut oſtendi Tomo VI. de gratia actuali Cap. IV.

Objic. I. S. Augustinus hanc volunta- 196
tem in Deo non admittit: nam textum Apoſtoli exponit I. hoc ſenſu, quod nullus ſal-

ſalvus fiat, niſi Deo volente. Sicut hæc propoſitio: Magiſter alicujus civitatis pueros docet, non facit hunc ſenſum, quod omnes ab eo inſtruantur, ſed quod nullus inſtruatur niſi ab illo, etiamſi non omnes ejus ſcholam frequentent. II. *To omnes* explicat *diſtributive* pro generibus ſingulorum, ita ut ex omnibus nationibus, ſexu, ætate, aliquos ſalvari velit. III. Ideo Deus omnes vult ſalvos fieri, quia omnes facit velle ſalvari: quemadmodum dicitur de Spiritu S. *poſtulat pro nobis*, id eſt, poſtulare nos facit. IV. Hoc ſenſu, quia univerſo humano generi dedit media externa: atqui nullus iſtorum ſenſuum admittit, quod Deus velit *ſingulos generum* ſalvari. *ergo.*

Resp. S. Augustinus in quatuor illis expoſitionibus loquitur de voluntate Dei *conſequente*, quæ ſemper impletur, & ſecundum quam non omnes, ſed ſoli prædeſtinati ſalvantur: non autem de voluntate *antecedente*, de qua hic ſermo. Videatur Witassius Prælect. theolog. Tom. I. Quæſt. XIII. art. IV. ſect. IV., ubi per longum de hac Dei omnes ſalvandi voluntate pertractat, ſed aliter iſtam quæſtionem reſolvit.

197 Objic. II. Semipelagiani hanc ipſam generalem Dei voluntatem omnes homines ſalvandi ex allegato textu Apoſtoli Augu-

STINO

STINO opponebant, ut conſtat ex epiſtolis S. PROSPERI & HILARII ad eundem ſcriptis. ergo S. AUGUSTINUS non exiſtimavit, hanc voluntatem Deo ineſſe.

RESP. Maſſilienſes illi eoquod negarent gratuitam & efficacem electionem, ſeu prædeſtinationem *ſecundum propoſitum* Dei, ab AUGUSTINO aſſertum, illam generalem Dei voluntatem opponebant, quæ ex naturali hominis conatu, ſeu pio credulitatis affectu atque conſenſu ante omne decretum prævifo ſuum conſequitur effectum: propterea impugnabant voluntatem Dei *conſequentem*, ſeu decretum gratuitæ prædeſtinationis ad gratiam & gloriam, quod hominis voluntatem antecedit, & ejus conſenſum efficit, quodque ab Auguſtino propugnatum fuiſſe non ignorabant. Illi autem contendebant, in manu liberi arbitrii poſitam eſſe ſalutem noſtram; ut quisque, etiam non prædeſtinatus, ſi modo ipſe vellet, ſalutem conſequi poſſet.

RESOLUTIO II. Hæc *antecedens* Dei vo- 198
luntas non eſt ſolum metaphorica, ſed propria, & ſeria.

PROB. I. Voluntas Dei antecedens eſt voluntas *beneplaciti*: atqui hæc eſt propria & ſeria. Ita S. THOMAS Quæſt. XIII. de veritate Art. 2.: „ Voluntas de Deo „ proprie dicitur, & hæc eſt voluntas be-

„ ne-

„ neplaciti, quæ per antecedentem & con-
„ ſequentem diſtinguitur. „

199 Prob. II. Verba S. Scripturæ, quamdiu ſine inconvenientia fieri poteſt, accipienda ſunt in ſenſu proprio & liberali: atqui dum Scriptura dicit, Deum velle ſalutem omnium, nullum ſequitur inconveniens, ſi de voluntate *propria* intelligatur. *ergo.*

200 Prob. III. velle omnium ſalutem, eoquod ſignum ſit maximæ benevolentiæ, eſt quædam perfectio, quæ nihil imperfecti involvit, nec majori aut æquali perfectioni opponitur. ergo in Deo admitti debet.

201 Prob. IV. Qui omnibus præparat media ſufficientia, & quantum eſt de ſe, actu confert, aut conferre paratus eſt, ſeriam habet voluntatem: atqui Deus omnibus præparavit, ex dictis de gratia ſufficiente. ergo.

202 Objic. I. S. Thomas 1. p. q. 19. a. 6. ad 1. voluntatem antecedentem dicit eſſe velleitatem: atqui velleitas non eſt propria & ſincera voluntas. *ergo.*

Resp. *Diſt.* Appellat velleitatem, in ſignificatione propria, *nego.* prout diſtinctam a voluntate conſequente, *conc.* S. Thomas ibi voluntatem Dei conſiderat, prout ten-

tendit in objectum secundum se, a circumstantiis particularibus praecisum, quod est objectum voluntatis *antecedentis*, quae tamen est voluntas beneplaciti, secundum eundem S. D.

Objic. II. Voluntas inefficax, quae non consequitur suum effectum, nec seria, nec Dei est; cum dicat imperfectionem: atqui voluntas *antecedens* est inefficax. *ergo.* 203

Resp. *Dist. maj.* Si non consequatur suum finem, ob impedimentum extrinsecum, quod Dei retardaret potentiam, dicit imperfectionem, *conc.* voluntas inefficax & carens effectu ex propria ordinatione & providentia, *nego.* voluntas *antecedens* Dei, quoad salutem omnium, ideo non consequitur effectum in omnibus, quia Deus ut provisor generalis voluit permittere cursum ordinarium causarum naturalium, & manifestare plures perfectiones, id est, misericordiam erga praedestinatos, justitiam erga reprobos.

Objic. III. qui non tribuit media efficacia, quae facillime conferre posset, non censetur finem serio & proprie velle: atqui Deus non tribuit omnibus media efficacia. *ergo.* 204

Resp. *dist. maj.* Non censetur velle efficaciter, voluntate *consequente*, ad quod aliunde non obligatur, *conc.* *antecedente*, se-

ria tamen, *nego.* voluntas *conſequens*, quæ ſemper impletur, tendit in objectum cum omnibus circumſtantiis particularibus, quales præcipue ſunt gratia ab intrinſeco efficax, & donum perſeverantiæ, quæ cum fine infallibiliter ſunt connexa: econtra voluntas *antecedens* a circumſtantiis præſcindit, confert tamen, vel ſaltem præparavit omnibus media ſufficientia: licet effectum infallibiliter non inferant.

§. II.

De efficacia voluntatis divinæ.

205 VOluntas, quæ effectum conſequitur, dicitur efficax. Conſtat autem voluntatem ſigni *antecedentem*, & *conditionatam*, ſiqua datur in Deo, non ſemper impleri; præcepta autem & conſilia Dei, quæ ſunt voluntas *ſigni*, non ab omnibus implentur; non omnes ſalvantur, quos Deus *antecedenter* ſalvari voluit. Ideo quæſtio ſolum eſſe poteſt de voluntate *conſequente.* Et ſtatuitur

206 Resolutio. Voluntas Dei conſequens ſemper impletur, ſeu habet effectum intentum.

Prob. I. ex S. Scriptura, Iſaiæ XIV. 27. dicitur: *Dominus exercituum decrevit, & quis*

quis poterit infirmare? Cap. XLVI. 10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Daniel. IV. 32. *Juxta voluntatem suam facit, & non est, qui resistat manui ejus, & dicat ei: quare fecisti?* Affirmant hoc etiam Patres, ut S. AUGUSTINUS in Enchiridio Cap. 96. „ Neque veraciter ob aliud vocatur omnipotens, „ nisi quoniam, quidquid vult, potest, „ nec voluntate cujusquam voluntatis cre- „ atæ omnipotentis impeditur effectus. „

PROB. II. Ratione. Si voluntas Dei con- 207
sequens non semper impletur; tunc impeditur vel ex parte Dei, quia ejus mutaretur voluntas: vel ex parte creaturæ eidem resistentis. Neutrum dici potest; nam Deus est immutabilis: virtus autem creata infinitam Dei potentiam superare non potest.

Hæc quidem ab omnibus facile admit- 208
tuntur: sed controversia est, unde ista voluntatis consequentis efficacia, & infallibilis cum effectu connexio oriatur? MOLINISTÆ eam derivant ex prævíso per scientiam mediam voluntatis creatæ in circumstantiis congruis constitutæ consensu. THOMISTÆ ex intrinseca efficacia gratiæ & decreto, quod pertinet ad tractatum de gratia.

Quæ adversus hanc resolutionem opponi 209
possunt, sive ex Scriptura: dum dicitur

 Matth.

Matth. XXIII. 37. *Jerusalem, quoties volui, . . . & noluisti?* &c., vel ex damnata propositione JANSENII, cujus opposita: *Gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur*: vera est; facile solvuntur explicando Scripturam de *voluntate signi*, vel *antecedente*, & de gratia sufficiente quæ nunquam habet effectum deliberatum ultimato intentum: non autem de gratia ab intrinseco efficaci, & voluntate consequente, quæ infallibilem semper habet effectum.

CAPUT. VI.

De divinæ voluntatis perfectionibus.

210 DUplicis generis sunt perfectiones divinæ voluntatis: aliæ *naturales*, & hæ sunt *libertas*, ac *potentia*, aliæ *morales*, quas Philosophi virtutes appellant, quæ quidem omnes uno vocabulo *sanctitatis* exprimuntur. Hæc autem sanctitas Dei est immutabile propositum divinæ voluntatis conformiter suis perfectionibus agendi. Hanc sanctitatem Deus demonstrat, vel per verba, seu revelationem, ac inspirationem; & tunc dicitur *veracitas*, vel demonstrat per facta; & tunc dicitur *bonitas*, aut *justitia*. *Bonitas* in genere est desiderium, alios reddendi feli-

felices. In Deo eſt propoſitum, ſeu voluntas antecedens, aut conſequens, omnes creaturas rationales æternum reddendi beatas. Hæc Dei bonitas, quando ſumitur pro ſtudio alios juvandi, appellatur *Amor.* Quando hæc bonitas ſe extendit ad liberandum miſeros & immeritos, dicitur *miſericordia*, gratia, beneficentia, aut benevolentia. *Juſtitia* Dei eſt immutabile divinæ voluntatis propoſitum, hanc rerum univerſitatem ſapienter gubernandi. Non eſt autem hic ſermo de juſtitia privata, quæ eſt conſtans voluntas jus ſuum unicuique tribuendi; nec forte in Deo locum habet, qui nihil homini debet, ſaltem antecedenter: ſed de publica, qualis in Principe eſt conſtans propoſitum cives bene & ſapienter gubernandi. Ad juſtitiam publicam pertinet I. ut leges ſtatuat ſalutares fini ſubditorum adcommodas, & hæc eſt juſtitia *legislatoria.* II. Ut ſecundum has leges ſubditorum actiones dijudicet: hæc eſt juſtitia *judicialis.* III. Ut actiones civium compenſet: hæc eſt juſtitia gubernatrix ſeu *diſtributiva*, quæ dum actionibus bonis præmia largitur, dicitur *remuneratoria*: dum malis pœnas promeritas infligit, dicitur *vindicativa.* De his voluntatis divinæ perfectionibus agam diſtinctis §vis. I. de libertate Dei. II. de omnipotentia. III. de veracitate, bonitate, ſeu amore Dei. IV. de

miſericordia Dei prædeſtinantis. V. de juſtitia Dei reprobantis.

§. I.

De libertate Dei.

211 Libertas eſt naturalis affectio voluntatis, & alia eſt *phyſica*, alia *moralis*. Hæc eſt facultas bene vel male agendi, de qua non loquimur; cum ſanctitati divinæ repugnet. Libertas phyſica eſt facultas, e pluribus poſſibilibus ea eligendi, quæ magis placent. Dividitur in libertatem a *neceſſitate*, quæ eſt immunitas ab intrinſeca determinatione ad unum; & in libertatem a *coactione*, quæ eſt immunitas a violentia extrinſeca. Alia eſt libertas quoad *ſpecificationem*, ſeu *contrarietatis*, quæ eſt facultas eligendi oppoſita. Alia eſt libertas quoad *exercitium*, ſeu *contradictionis*, & eſt facultas eligendi unum vel alterum non oppoſitum, vel ejus omiſſionem. e. g. creandi hunc mundum, vel alium, aut nullum, quæ omnia ex philoſophia ſupponuntur.

212 Deum non eſſe liberum *ad intra*, ſed cognoſcendo ſuam eſſentiam, eamque infinite amando, neceſſario gignere filium, & ſpirare ſpiritum S. certum eſt; quia ſecus iſtæ perſonæ contingenter exiſterent, &

& ſic neque Deus eſſent. Quæſtio ſolum eſt de libertate *ad extra*. Et quidem Deum gaudere libertate *a coactione*, evidens eſt; cum omnipotenti nulla ab extra advenire poſſit violentia, quæ ſupponit infirmitatem in patiente. An vero etiam liber ſit *a neceſſitate*, an libertas hæc ſit intrinſeca, in quo conſiſtat, & quomodo cum ejus immutabilitate conciliari queat? magnum eſt ænigma, quod conſtanter vexat Theologorum ingenia.

Resolutio I. Deus eſt liber a neceſſitate. 213

Prob. I. ex S. Scriptura Pſ. 93. : *Deus ultionum libere egit*. Matth. XX. 15: *Non licet mihi, quod volo facere?* ad Epheſ. I. 9. *operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* 1. ad Corinth. XII. 11. *hæc omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.*

Prob. II. ratione. I. libertas eſt perfectio hominis. ergo etiam Deo eminenter competit. II. Voluntas nonniſi in ſummum bonum clare, & evidenter ſibi propoſitum *neceſſario* fertur: atqui nihil extra Deum habet rationem omnis boni, ſed ſolum participationem cujusdam boni. ergo Voluntas Dei ad nihil extra ſe *neceſſario* fertur. III. Nulla res creata neceſſariam habet cum Deo connexionem: ſecus res omnes eſſent æternæ, & neceſſario exi- 214

ſterent, & hoc ipſo non eſſent creaturæ; quia non contingentes: atqui hæc falſa ſunt. ergo. IV. Innata eſt omni homini, Deum aliquem cognoſcenti, iſta religio; ut Deum pro bonorum conceſſione, malorumque averſione oret. ergo natura perſuaſi ſumus, Deum liberum eſſe; ſi enim omnia neceſſario evenire crederemus, nihil a Deo peteremus.

215 Objic. I. Deus ſeipſum neceſſario amat: atqui amor Dei non poteſt eſſe otioſus. ergo neceſſario debuit aliquid producere: ergo non eſt liber a neceſſitate.

Resp. *Diſt.* Deus ſe amat neceſſario, *ad intra*, generando & ſperando, *conc.* ad extra, & quoad participationem ſuæ bonitatis cum creaturis. *nego.* Deus enim etiamſi nihil creaſſet, infinite perfectus eſſet; quippe ſibi ſoli ſufficientiſſimus, & glorificationis externæ non indignus.

216 Objic. II. Ad libertatem requiritur indifferentia: ſed Deus, ut purus ſpiritus, & actus, non poteſt eſſe indifferens; quia ſic eſſet in potentia ad utrumlibet. *ergo.*

Resp. *Diſt. maj.* Requiritur indifferentia potentialis, negativa & ſuſpenſiva ab omni actu, *nego.* activa, & poſitiva, *conc.* prior imperfectionem, hæc perfectionem dicit; quia eſt ipſum exercitium libertatis. Sic diſtincta *min.* nego *conſeq.*

Objic.

Objic. III. ad libertatem requiritur ele- 217
ctio: hæc non datur in Deo, secundum
Joannem Damascenum. *ergo.*

Resp. nego *min.* vel *dist.* non datur in Deo electio, cum consultatione, dubio, aut suspensiva, prout in nobis contingit, qui propter ignorantiam non statim intelligimus, quid in his circumstantiis magis expediat, *conc.* non datur electio, quatenus dicit optionem unius præ alio, sine fluctuatione & hæsitatione, *nego.* Deus uno intuitu omnia media possibilia & aptissima perspicit, nec indiget deliberatione.

Resolutio II. Libertas est Deo intrin- 218
seca, & consistit in ipso actu æterno voluntatis, prout tamen connotat effectus creatos contingenter existentes.

Prob. In illo constituenda est Dei libertas, per quod melius & facilius explicatur actus ejus liber, ejusque immutabilitas cum indifferentia, ad libertatem requisita, conciliatur: atqui sic explicatur. *ergo.* nam I. actus Dei liber, debet esse aliquid intrinsecum, & non Deo superadditum, atqui voluntas est Deo intrinseca; cum tanquam purus spiritus sit essentialiter intelligens ac volens, nec voluntas a Dei substantia distinguatur. II. Ille actus aliquo modo debet posse esse, & non esse; nam quatenus liber est, non potest esse ne-

 ne-

necessarius: atqui hic actus, quatenus spectat entitatem divinæ voluntatis, est necessarius: & prout connotat objecta extrinseca, potuit non esse; Deus enim potuit aut has, aut illas, aut nullas producere creaturas. III. Per hunc actum Deus est immutabilis, quia hic actus æternus est, nec alium de novo elicit, nec priorem retractat. IV. Simul etiam indifferens est; quia hunc actum simplicissimum, sed virtualiter multiplicem, potuit ad creaturas convertere, vel non: ad has potius, vel alias. *ergo.*

219 Objic. Quod Deo intrinsecum est, illud immutabile & æternum est: sed quod immutabile & æternum est, illud non potest esse liberum. ergo libertas non potest constitui in quodam intrinseco. *Maj.* patet; quia quod Deo intrinsecum, id ipse Deus, & ex consequenti immutabile est. *min. prob.* De essentia liberi est, ut potuerit non esse: sed quod immutabile est, non potuit non esse. ergo quod immutabile & æternum est, non potest esse liberum.

Resp. *Dist. maj.* Quod Deo intrinsecum est, illud immutabile & æternum est, ex consequenti, hoc sensu, ut postquam Deus ab æterno aliquid libere voluit, illud jam retractare non possit, *conc.* quasi illud ipsum necessario velle debuisset, *nego. maj. dist.* etiam *min.* quod immutabile & æternum

num eſt, non poteſt eſſe liberum, *conſequenter*, ſenſu nunc primum expoſito. *conc. min.* Non poteſt eſſe liberum *antecedenter*, *nego*. Quamvis Deus ab æterno hunc mundum creare decreverit, & poſt decretum jam illud revocare non poſſit: in primo tamen inſtanti, quod concipimus ante decretum, poterat vel alterius mundi decernere creationem, vel ab omni opere ad extra abſtinere, ſicque antecedenter liber erat. Quia autem Deus ſemper ſapientiſſime operatur, & omnes fines ac circumſtantias poſſibiles prævidit, hinc nulla eum amplius ratio movere poteſt, ut in tempore incipiat nolle, quod ab æterno voluit. Sicque *antecedenter* eſt liber, & ex *conſequenti* immutabilis. *Diſtinguo* etiam probationem minoris. De eſſentia liberi eſt, ut potuerit non eſſe, *antecedenter*, *conc.* ut etiam poſt decretum voluntatis poſſit non eſſe, *nego maj.* diſtinguo & *min.* quod *antecedenter* immutabile, & ad unum neceſſario determinatum eſt, non potuit non eſſe, *conc.* quod antecedenter indifferens erat ad volendum effectum vel nolendum, non potuit non eſſe, *nego*, vel *ſubdiſt.* non potuit non eſſe *conſequenter*, poſt liberum Dei decretum, *conc.* non potuit non eſſe antecedenter, *nego*. Deus ab æterno indifferens erat ad creandum, vel non creandum hunc mundum, & ideo illum non neceſſario produxit. Poſtquam autem hunc mundum creare voluit, nulla

ad-

adest ratio sufficiens sapientissimum revocandi decretum. Videantur dicta n. 113. Non me latet, difficillimum hoc esse ænigma de concilianda libertate Dei cum ejus immutabilitate: quod si illud haud satis feliciter dissolvi, alteri œdipo sagaciori per distinctionem *in recto*, & *in obliquo* illud divinandum relinquo, & meam ignorantiam sine rubore fatebor.

§. II.

De omnipotentia Dei.

220 OMNIPOTENTIA Dei est vis infinita voluntatis divinæ omnia possibilia efficiendi. Id omne Deo possibile est, quod non pugnat cum aliqua Dei perfectione; uti peccatum pugnat cum ejus sanctitate essentiali: nec contradictionem involvit; sic Deus efficere non potest, ut facta non fuerint facta, ut meretrix sit virgo &c., etiamsi autem omnipotentia Dei ex ipsa ejus infinita & illimitata perfectione, ac independentia facillime deducatur: docuit tamen Petrus ABAELARDUS, Deum non posse alia ab his, quæ fecit, nec his meliora facere: docuit etiam Raymundus LULLUS, & cum eo Leibnizio-Wolfiani, Deum non posse facere, nisi quod est optimum: ex quo consequitur, præsen-

ſentem mundum eſſe optimum, nec alium poſſibilem.

Optimum vero *materialiter*, vel *formaliter* tale eſt. Prius dicitur id, quo nihil melius quoad rem & ſubſtantiam in creatis dari poteſt. Formaliter optimum eſt medium fini propoſito aptiſſimum. Aliud iterum eſt optimum *abſolute*, tam quoad ſuam ſubſtantiam, quam etiam quoad circumſtantias & pro qualibet hypotheſi; vel optimum *hypothetice*, quod ſolum pro certo ſyſtemate, & determinata Dei providentia eſt adcommodatiſſimum. 221

RESOLUTIO I. Deus ita eſt omnipotens, ut præter ea, quæ actu fecit, poſſit alia, & his materialiter meliora facere. 222

PROB. I. pars. S. Scriptura Deo adſcribit illimitatam potentiam Geneſ. XVII.: *Ego Dominus omnipotens*. Luc. I. 37.: *non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*. Matth. XIX. 26. *apud Deum omnia poſſibilia ſunt*. Hoc ipſum profitemur in ſymbolo: *credo in Deum Patrem omnipotentem*.

PROB. Ratione. I. omnipotentia eſt ſumma perfectio. ergo Deo competit. II. Deus eſt in omni genere infinitus: ergo habet virtutem infinitam agendi.

PROB. II. pars, Deum poſſe alia ab his 223
fa-

facere. II. Mach. VIII. 18. : *Poteſt & venientes adverſus nos & univerſum mundum uno nutu delere.* Matth. III. 9. : *Potens eſt Deus, de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.*

Prob. II. ratione. Si Deus non poſſet plura facere ; tunc per creationem rerum præſentium exhauſta eſſet ejus virtus & omnipotentia : atqui hæc, utpote infinita, per creaturas finitas exhauriri nequit : *ergo.* III. Si non potuiſſet alia facere ; ſequitur, quod non potuerit Adamum præſervare a peccato, nec mundum alio modo redimere, patrare miracula nunquam tamen patranda : ſed iſtæ ſequelæ & PP. & infinitæ Dei perfectioni repugnant. *ergo.*

224 Prob. III. pars, quod poſſit meliora facere. Deus vi ſuæ omnipotentiæ id omne poteſt, quod nullam involvit imperfectionem, vel contradictionem : atqui creare *materialiter* meliora nihil tale involvit. *ergo.* II. Non datur creatura perfectiſſima, ut ex philoſophia Thomiſtarum ſupponitur : atqui ſi Deus meliora non poteſt producere, tunc iſte mundus eſt creatura perfectiſſima. *ergo.*

225 Prob. III. Si omnia, quæ facta ſunt, *materialiter* optima ſunt, & *meliora* fieri nequeunt, ſequitur ; quod Deus alio modo hominem redimere non potuerit, & hoc determinato modo *neceſſario* redemerit :

rit: atqui hoc eſt contra PP. ut Athanasium, qui L. 3. contra Arianos ſcribit: „Poterat, etſi nunquam adveniſſet Chriſtus, ſolummodo loqui Deus, & maledictum ſolvere„; & Bernardum epiſt. 90. „quis neget, omnipotenti ad manum „fuiſſe & alios modos noſtræ redemptionis, juſtificationis & liberationis: verum hoc præjudicat ejus, quam e multis elegit, efficaciæ.„ Sequela autem *prob.* Vel enim alius modus redemptionis poſſibilis perfectior fuiſſet, vel imperfectior? ſi prius; tunc Deus debuiſſet illum aſſumere: aut adhuc poteſt meliora facere, quod eſt contra Adverſarios. Si imperfectior; tunc illum modum aſſumere non potuit; quia, ut Adverſarii volunt, Deus propter ſuam ſapientiam non poteſt eligere, niſi quod eſt optimum.

Objic. I. Deus eſt purus actus, & nul- 226
la datur in eo potentia. ergo non eſt omnipotens.

Resp. *Diſt.* Nulla eſt in Deo potentia paſſiva, quæ poſſet recipere perfectionem, *conc.* activa, *nego.*

Objic. II. Multa ſunt, quæ Deus facere 227
non poteſt, ut mori, aut ut præterita non ſint præterita.

Resp. *Diſt.* Quæ involvunt imperfectionem aut contradictionem, *conc.* alia omnia, *nego.*

nego. efficere ut præterita non fuerint præterita, eſt contradictio; quia fuiſſent, & non fuiſſent. Mori autem eſt imperfectio.

228 Objic. III. Deus non poteſt facere, quæ non præſcivit: atqui non præſcivit ſe facturum, niſi illa, quæ actu fecit. ergo alia non poteſt facere. *maj. prob.* Deus tantum operatur per ſuum decretum. *ergo.*

Resp. *Diſt.* Non poteſt facere, potentia ordinaria & conſequente, *conc.* antecedente & abſoluta, *nego.* poſtquam Deus per decretum libere ſe determinavit ad non creandum alium mundum, ex conſequenti jam non potuit alium producere, quia eſt immutabilis. Antecedenter autem aliter decerneret, & ſic etiam alia *abſolute* creare potuit.

229 Objic. IV. Secundum SS. PP. in eo ſita eſt Dei omnipotentia, quod omnia faciat, quæ vult facere: ergo quæ non vult facere, non poteſt. Sed non voluit alia, quam quæ actu fecit: ergo alia non poteſt. *ant. prob.* ex Augustino in Enchirid. Cap. 96. „ Deus non ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia, quidquid vult, poteſt. „

Resp. *Diſt. ant.* quæ vult, vel actu, vel velle poteſt, *conc.* ſolum illa, quæ actu vult, *nego.*

Re-

Resolutio II. Etiamsi Deus cuncta, quæ 230
facit, modo fini intento convenientissimo, & sic *formaliter* optima faciat, potest tamen etiam in hypothesi intenti finis & modernæ providentiæ meliora facere.

Prob. I. pars. Deus sapientissimus artifex illa potest, & vult seligere media, quæ fini a se intento consequendo aptissima sunt: atqui ista dicuntur *formaliter* optima. *ergo.* Atque ita defacto operatus est. Voluit enim ad extra gloriam suam manifestare, qui erat finis creationis: quem ut assequeretur, aptissimum selegit medium, hujus universi compagem, ex Angelis, hominibus, brutis, vegetabilibus, mineralibus &c. constantem. Hoc sensu mundus potest dici *formaliter* optimus, quia est medium convenientissimum ad suas manifestandas perfectiones, & recipiendam a creaturis rationalibus glorificationem. Hinc in ipsa mundi genesi frequenter repetitur illud: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, seu formaliter optima. legatur S. Thomas I. p. q. 25. a. 6. ⊙. ubi exponit, quo sensu possit Deus meliora facere, aut non. Sic autem scribit ad 1. „ Dicendum, quod „ cum dicitur, Deum posse facere aliquid „ melius quam facit, si ly *melius* sit *no-* „ *men*, verum est; qualibet enim re po- „ test facere aliam meliorem. Eandem „ vero potest facere meliorem quodam

„ modo, & quodam modo non, ſicut di-
„ ctum in corp. art. Si vero ly *melius*
„ ſit *adverbium*, & importet modum ex
„ parte *facientis*, ſic Deus non poteſt fa-
„ cere melius, quam ſicut facit, quia non
„ poteſt facere ex majori ſapientiâ & bo-
„ nitate. Si autem importet modum ex
„ parte *facti*, ſic poteſt facere melius;
„ quia poteſt dare rebus a ſe factis me-
„ liorem modum eſſendi quantum ad ac-
„ cidentalia, licet non quantum ad eſſen-
„ tialia. „

231 PROB. II. pars. Si Deus non poteſt hypothetice meliora facere, & iſte mundus ex omnibus poſſibilibus optimus eſt; tunc ideo, quia Deus vi ſuæ infinitæ ſapientiæ non potuit eligere medium imperfectius & minus aptum ad finem ſibi præfixum obtinendum; nam, ut ratiocinatur celeberrimus WOLFFIUS, non niſi ex ignorantia imperfectius perfectiori præfertur. Sed hæc ratio nulla eſt. *ergo. min. prob.* Si Deus vi ſuæ ſapientiæ medium omnium optimum eligere debuit, tunc iſtud pro moderna providentia eſt unicum, & alius mundus non eſt poſſibilis, adeoque iſte non jam contingens, ſed neceſſarius eſt. hoc dici non poteſt. *ergo.* ſequela *maj. prob.* Illud omne impoſſibile dicitur, quod a Deo citra imperfectionem fieri nequit, quia id omne alicui ejus perfectioni opponitur. Atqui ſi Deus vi ſapientiæ me-

dium

dium ex omnibus optimum eligere debet, tunc alium, quam iſtum mundum ſine imperfectione creare non potuit ; ſi enim alium creaſſet, contra ſapientiam egiſſet, eligendo non optimum. ergo ſi Deus vi ſapientiæ debet eligere optimum, alius mundus non eſt poſſibilis.

RESP. Adverſarii, alium mundum *abſolu-* 232
te quidem, pro alia providentia & fine poſſibilem eſſe, non autem in *hypotheſi* iſtius finis : quem ſibi nunc Deus propoſuit : adeoque hic mundus ſolum *hypothetice* optimus & neceſſarius eſt. Sed

CONTRA. Vel potuit Deus præſentem finem ſibi non præfigere, aut alium ab eo diverſum intendere, vel non potuit ? ſi potuit iſtum finem non velle, & alium ſibi præfigere ; tunc evidens eſt, quod Deus vi ſapientiæ ſuæ non debeat eligere finem optimum : ergo neque medium optimum, & ita Deus defacto non fecit optima, ſed potuit meliora facere. Si autem non potuit non intendere modernum finem ; tunc illum finem & iſtum mundum ceu optimum medium abſoluta neceſſitate eligere debuit, atque ita mundus præſens non ſolum hypothetice, ſed abſolute neceſſarius eſt ; quod tamen rationi creaturæ repugnat, quæ eſſentialiter eſt contingens.

233 Prob. II. Deus non debet eligere, quod comparate ad res omnes poſſibiles eſt optimum. ergo corruit Adverſariorum fundamentum. *Ant. prob.* Deus eſſentialiter liber eſt, & *omnia, quæcunque voluit,* (non, quæ debuit), *fecit in cælo & in terra.* Pſalm. CIV. Et *quis poteſt Deo dicere, cur ita facis?* Job. IX. 12.: atqui ſi deberet ſemper eligere materialiter optimum, non eſſet liber. ergo non debet eligere optimum. ſequela *min. prob.* Si Deus deberet eligere optimum, tunc propter ſuam ſapientiam: ſed ſi ita, tunc abſolute neceſſitatur ad optimum illud eligendum; quia ſecundum Adverſarios de intrinſeca Dei ratione eſt, ut ſapientiſſime agat, ſed ſapientiſſime non ageret, ſi optimum non eligeret: ergo de intrinſeca Dei ratione foret, optimum eligere. ſubſumo. Quod de intrinſeca ratione eſt, id abſolute neceſſarium eſt: atqui ſecundum Adverſarios de intrinſeca Dei ratione eſt eligere optimum: ergo in Deo abſoluta neceſſitas eſt optimum eligendi. Qui autem abſolute neceſſitatur, non eſt liber. Major ſubſumpta confirmatur. Illa ſecundum Adverſarios abſoluta neceſſitas eſt, quæ ex nulla hypotheſi oritur: atqui neceſſitas, quæ ex intrinſeca Dei ratione provenit, non eſt ex aliqua hypotheſi; ergo illa in Deo foret intrinſeca neceſſitas, & ita nulla ad extra libertas.

PROB. III. Ex adverſo ſyſtemate ſequi- 234
tur, hunc mundum abſolute neceſſarium eſſe; illud enim abſolute neceſſarium dicitur, cujus oppoſitum repugnat: ſed alius mundus repugnat; quia ſecundum ipſos alius finis & alia providentia divinæ ſapientiæ repugnat. ergo mundus hic eſt abſolute neceſſarius: quod ulterius probatur. E duobus contradictorie oppoſitis unum eſt altero melius: ſed facere mundum, & non facere, ſunt contradictorie oppoſita. ergo alterutrum eſt melius. Atqui Deo ineſt abſoluta neceſſitas faciendi melius. ergo habuit abſolutam neceſſitatem creandi, vel non creandi hunc mundum. Atqui melius eſt, creare hunc mundum, quam non creare; ſecus contra ſapientiam ſuam egiſſet Deus, quando mundum iſtum produxit, quia ejus omiſſio melior fuiſſet. *ergo. ſubſumo.* In Deo abſoluta neceſſitas eſt faciendi, quod melius, ſeu optimum eſt, ſed mundus iſte apud Adverſarios eſt optimus, & ejus creatio eſt melior quam creationis omiſſio: ergo in Deo fuit abſoluta neceſſitas creandi determinatum hunc mundum.

PROB. IV. Adverſa hypotheſis, qua ſta- 235
tuitur, iſtum mundum ex omnibus poſſibilibus eſſe optimum, contradictionem involvere videtur. Si enim plures mundi poſſibiles ſunt, tunc inter omnes illos vel aliquis iſto mundo eſt melior, vel nullus

eſt melior. Si melior aliquis poſſibilis eſt; tunc illum Deus eligere potuit, tunc meliora ab his, quæ fecit, facere potuit, & mundus iſte defacto non eſt optimus: quod tamen Adverſarii negant. Si autem inter omnes poſſibiles nullus eſt melior, tunc nullus poſſibilis eſt. Sequela prob. quod a Deo fieri non poteſt, illud neque poſſibile eſt. Sed mundum, qui non ſit melior iſto, Deus facere non poteſt: ergo nullus alius poſſibilis eſt, ſicque iſte abſolute neceſſarius eſt.

236 Nec dicant Adverſarii, alios mundos pro alia hypotheſi poſſibiles eſſe.

Contra. Jam ſupra n. 232. oſtendi, modernam hypotheſin, ſeu providentiam ex Adverſariorum principiis eſſe optimam, adeoque hanc unam, & nullam aliam poſſibilem eſſe. Vel enim aliud ſyſtema foret melius? hoc concedere nequeunt; quia Deus illud loco moderni eligere debuiſſet; aut fateri debent, Deum non ſemper eligere quod optimum eſt, adeoque meliora his, quæ fecit, facere poſſe. Vel aliud ſyſtema non foret melius; tunc Deus illud eligere non potuit, qui optimum præferre debet: & ſic aliud a moderno non eſt poſſibile, & iſtud abſolute neceſſarium.

237 Objic. I. Si Deus potuit meliora facere, & non fecit; tunc fuit invidus, hoc enim

enim argumento S. Augustinus æternam filii generationem probat, quia ſi Pater potuit gignere filium, & non genuit, eſt invidus, quod nequit admitti. ergo neque prius, ex paritate rationis.

Resp. Nego *ant.* & conſequentiam probationis. Diſpar ratio eſt; quia generatio filii tanquam actio ad intra, ubi nulla eſt libertas, neceſſaria eſt, eoquod ei debeatur æqualitas naturæ. Creaturæ autem non neceſſariæ, ſed contingentes ſunt, reſpectu quarum Deus pleniſſime liber eſt.

Objic. II. SS. PP. docent, Deum ſem- 238
per facere quod melius eſt: ergo jam meliora facere nequit. Sic Joannes Damaſcenus L. II. de fide orthodoxa cap. 19.: „Neceſſe eſt, omnia, quæ Dei providentia fiunt, ſecundum rectam rationem „& Deo decentiſſima fieri; ita, ut nequeant meliora fieri, quia Deus non poteſt, quin ſemper faciat meliora.„

Resp. *Diſt.* quod eſt melius *formaliter*, quoad modum, *conc. materialiter*, & comparate ad infinita poſſibilia, *neg. ant.*, & ſuppoſitum, quod detur aliquid optimum reſpectu infinitorum poſſibilium; eoquod Dei infinita omnipotentia non poſſit exhauriri, quin creando mundum poſſit in infinitum alios etiam meliores producere.

239 Objic. III. Deus debet ſapientiſſime operari: ſed ita non operatur, ſi non eligit ſemper meliora, ſeu, quod eſt optimum. ergo debet &c. *min. prob.* Ut Deus ſapienter agat, debet habere rationem, cur hoc præ altero eligat: ſed non poteſt habere aliam, niſi iſtam, quia hoc medium intento fini eſt optimum: ergo. *min. prob.* ſi eligeret medium minus aptum, tunc ageret contra ſapientiam; idque, quia aut melius ignorat, aut ex infirmitate adhibere non poteſt: utrumque dicere repugnat. ergo debet eligere medium, quia optimum eſt.

Resp. Nego *min.* & ejus prob. & dico, quod in Deo ſtet pro ratione voluntas & libertas ad extra; ut enim Auguſtinus dicit: *tota ratio facti, potentia*, ſeu voluntas *eſt facientis.* Neque etiam noſtrum eſt, indagare rationes, cur Deus hoc, & non alia, iſto, & non alio modo voluerit. Imo hæc unica eſt, quia voluit. Nimirum temerarii ſunt Adverſarii, qui rationes & fines Dei ad amuſſim inveſtigare præſumunt; nam ut Isaias Cap. 40. ait: *Quis adjuvit Spiritum Domini, aut quis Conſiliarius ejus fuit, & oſtendit illi? cum quo iniit conſilium, & inſtruxit eum?*

§. III.

§. III.

De veracitate, bonitate, & amore Dei.

QUi conſtans habet propoſitum vera loquendi, is dicitur VERAX. VERITAS eſt convenientia ſermonis cum rerum natura & noſtra de natura cognitione. Quia igitur Deus immutabile habet propoſitum, ſuos ſermones ad rerum naturam & ad decreta ſua accommodandi; hinc neceſſario & infinite verax eſt. Nam ubi omnis cauſa mendacii deeſt, ibi eſt perfectiſſima veracitas: atqui in Deo omnis abeſt cauſa mendacii & deceptionis; hæc enim ortum habet vel ex ignorantia intellectus, aut malitia voluntatis: atqui in Deum non cadit ignorantia propter ejus omniſcientiam: nec malitia voluntatis propter infinitam ejus ſapientiam & juſtitiam. 240

Uti Deus infinite verax, ita etiam infinite BONUS eſt; ſeu habet immutabile propoſitum, creaturas rationales æternum reddendi felices. Hoc ſtudium alios juvandi dicitur AMOR. Hic duplex in Deo eſt, unus amor *complacentiæ*, ſpeculativus, inefficax, neceſſarius: alter *benevolentiæ*, efficax, & liber. Objectum amoris univerſale ſunt res omnes: & primarium quidem eſt ipſe Deus; ſecundarium 241

autem res aliæ a Deo diverſæ, quæ vel aliquando exiſtunt, aut mere poſſibiles ſunt. Hæ conſiderari poſſunt dupliciter. I. ſecundum eſſe proprium & diſtinctum ab omnipotentia, quod haberent, ſi ponerentur extra cauſam, ſeu aliquid divinæ perfectionis actu participarent. II. Secundum eſſe, quod habent in eſſentia divina, in quantum hæc eſt imitabilis & participabilis a creaturis. Cum ergo ſicut intellectus in verum, ita voluntas divina feratur in bonum per amorem; quæritur hic, an, & quomodo Deus amet ſeipſum, & alia a ſe diſtincta: & quodnam ſit objectum formale divini Amoris.

242 Resolutio I. Deus neceſſario amat ſeipſum; ita ut bonitas increata ſit objectum formale Divini amoris.

Prob. I. pars. Voluntas infinita neceſſario amat ſummum & infinitum bonum, quod eſt Deus ipſe: quemadmodum intellectus neceſſario intelligit ſummum verum.

243 Prob. II. pars. Proverb. XVI. 4.: *omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* II. Ex D. Thoma 1. p. q. 19. a. 2. ad 2. „ In his, ait, quæ volumus propter „ finem, tota ratio movendi eſt finis, „ & hoc eſt, quod movet voluntatem; „ unde cum Deus alia a ſe non velit ni- „ ſi propter finem, qui eſt ſua voluntas, „ non

„ non ſequitur, quod aliud moveat vo-
„ luntatem ejus, niſi bonitas ſua. „

Prob. III. ratione. ſi bonitas creata eti- 244
am ſolum ex parte moveret Deum ad amandum; tunc amor Dei erga creaturas non ſolum eſſet *effectivus*, ſed etiam *affectivus*; quia non ſolum produceret rem creatam, ſed etiam ab ea moveretur & alliceretur: atqui Amor Dei ad creaturam non poteſt eſſe *affectivus*; quia non poteſt a re creata trahi, & inclinari. Sic apte ait S. Bernardus de divino amore cap. 4.: „ Non „ afficeris a nobis, vel ad nos, cum nos „ amas: nos autem & ad te afficimur, „ cum amamus te. „

Objic. I. Si ſola bonitas increata eſſet 245
objectum formale, ſeu, motivum divini amoris; tunc unica daretur virtus in Deo, nempe charitas; ubi enim unicum eſt motivum formale ſpecificativum, ibi unica virtus, hoc videtur abſurdum; datur enim juſtitia &c.

Resp. Diſt. *maj.* niſi bonitas increata virtualiter & eminenter contineat motiva aliarum virtutum, *conc.* ſi contineat. *nego*. Divina bonitas, quatenus miſeretur, continet motivum miſericordiæ: quatenus punit peccata ſuæ bonitati adverſa, continet motivum juſtitiæ vindicativæ, & ita de aliis.

Objic. II.

246 Objic. II. ſequeretur, quod iſte amor Dei eſſet *concupiſcentiæ*, non autem *benevolentiæ*; amaret enim creaturas non in bonum illarum, ſed ſui ſolius: quod videtur abſurdum.

Resp. Nego ſequelam majoris. Ratio eſt; quia ad amorem concupiſcentiæ requiritur, ut aliquis ſpectet ſuum commodum & utilitatem: nullam autem Deus a creaturis exſpectare poteſt, ſe ſolo infinite beatus; *quid* enim, interrogat Job. cap. XXII. 3: *prodeſt Deo, ſi juſtus fueris*; imo quando Deus ſuam gloriam amat, & intendit, maxime nobis benevult: quapropter etiam *gratias agimus Deo propter magnam gloriam ſuam.* Alii reſpondent, Deum creaturas irrationales amore concupiſcentiæ complecti: rationales vero, ſaltem aliquas, nempe juſtos, amore amicitiæ.

247 Objic. III. Opera bona hominis juſti meritoria movent Deum ad conferendum præmium: ergo motivum *formale* non eſt ſola bonitas increata.

Resp. *Diſt. ant.* merita noſtra, in ſe & abſolute ſpectata. *nego.* ratione divinæ promiſſionis, gratiæ ſanctificantis &c., quæ omnia a Dei bonitate increata originem ducunt, & Deum primario movent. *conc.* Quando enim Deus remuneratur merita no-

nostra, non coronat nisi munera sua, ut loquitur AUGUSTINUS.

RESOLUTIO II. Deus omnes res exi- 248
stentes amat amore benevolentiæ: res possibiles secundum esse, quod habent in essentia divina, amat amore simplicis complacentiæ: secundum esse autem proprium nullo modo.

PROB I. pars. sapient. XI. 23: *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Ratio est. I. Deus amat id omne, quod bonum est: atqui creaturæ aliquando existentes bonæ sunt, saltem per participationem; secundum illud Pauli I. ad Timoth. IV. 4.: *Omnis creatura Dei bona est. ergo.* II. Velle alicui bonum, est amare benevole: atqui Deus omnibus rebus creatis bene vult; nam eas ex nihilo produxit, & hactenus conservat; hic quippe amor Dei benevolus est affectivus, non præsupponens, sed tribuens bonitatem.

PROB. II. pars. Deus necessario amat 249
suam essentiam: atqui res possibiles nihil sunt, quam essentia divina ipsis participative communicabilis. *ergo.* II. Intellectus divinus fertur circa omne verum etiam possibile: ergo etiam voluntas circa omne bonum possibile.

PROB. III. pars. Deus res mere possibi- 250
les, secundum esse proprium consideratas,

non

non amat amore *benevolentiæ* ; quia ipſis bene non vult ; ſecus aliquando exiſterent ; cum amor Dei benevolus ſit *effectivus*. Neque etiam amore *complacentiæ* ; hic enim amor eſt neceſſarius ; quia bonitas eſt poſſibilis ante omne decretum : atqui Deus nullam creaturam, ſecundum eſſe proprium conſiderat, ſed ſe ſolum amat neceſſario. ergo. II. Bonitas creaturæ poſſibilis, ſecundum eſſe proprium ſpectatæ, eſt ſolum objectiva in intellectu humano, non autem in Deo, qui ſolum conſiderat, & amat ſuam eſſentiam ut imitabilem : ergo voluntas & amor Dei non fertur in res poſſibiles, quoad ſuum eſſe proprium ſpectatas.

§. IV.

De miſericordia Dei prædeſtinantis.

251 PRÆDESTINATIO conſiderari poteſt vel reſpectu Angelorum & Adami innocentis, vel reſpectu hominis lapſi. Angeli & primi homines, ad finem ſupernaturalem elevati, & in natura integra conſtituti, nulla indigebant gratia ab intrinſeco *efficaci*, ſed ſolo liberi arbitrii uſu gratiam *verſatilem* poterant reddere efficacem, & in congenita juſtitia facillime perſeverare, ut AUGUSTINUS L. de correct. &

& grat. cap. X. & ſequentibus expreſſe docet. Hinc pro iſto ſtatu prædeſtinatio dici poteſt, quod ſit *præparatio gratiæ ſufficientis, per quam æternam beatitudinem acquirit, quicunque gratia verſatili bene uti voluerit.* Inde etiam patet, prædeſtinationem Angelorum non fuiſſe gratuitam, ſed poſt bonum liberi arbitrii uſum gratiæ ſupernaturali præſtitum, & a Deo in phyſica rerum æternitate prævíſum, factam.

Poſtquam autem Adamo peccante totum 252
humanum genus jus ad vitam æternam amiſit, & in communem damnationis maſſam redactum eſt, Deus tamen miſericordia motus ſtatuit eidem dare filium ſuum Redemptorem, qui pro peccatis hominum ad omnem juſtitiam ſatisfaceret. Nunc ex Christi præviſis & acceptis meritis non ſolum omnibus præparavit media ad ſalutem ſufficientia, ſed quoſdam etiam *efficaciter* decrevit ex maſſa perditionis liberare & ad vitam æternam perducere. Hic amor erga miſeros dicitur *miſericordia*, & *prædeſtinatio*, quæ licet in genere denotet decretum, ſeu propoſitum Dei, ſecundum illud ad Eph. I. 5: *Qui prædeſtinavit nos ſecundum propoſitum ſuæ voluntatis*, & aliquando ab antiquis etiam ſumatur pro decreto deſtinante ad pœnam, quod nunc appellamus *reprobationem*; hic tamen unice ſumitur pro deſtinatione electorum in natura lapſa ad gloriam & gratiam.

Hæc

253 Hæc igitur prædeſtinatio pro hoc ſtatu naturæ lapſæ ab AUGUSTINO definitur L. de dono perſeverant: cap. 14: *Præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur.* Dicitur I. *præſcientia*: quo nomine AUGUSTINUS non intellexit prævisum conditionatum conſenſum voluntatis humanæ in circumſtantiis congruis conſtitutæ, ut volunt Moliniſtæ; nam AUGUSTINUS hic non loquitur de operibus hominum, ſed de operibus ſuis, quæ fuerat ipſe facturus. Idem enim lib. de prædeſt. SS. cap. 19. ſcribit: „ cum ergo nos prædeſtinavit, opus „ ſuum præſcivit, quo nos ſanctos & immaculatos fecit. „ Neque etiam intellexit ſimplicis intelligentiæ ſcientiam; utpote quæ verſatur circa mere poſſibilia; præſcientia autem, de qua hic loquitur, eſt circa abſolute futura, nimirum circa media, quæ certo ſalutem conferunt. ergo intellexit ſcientiam viſionis, qua Deus in ſuo decreto æternam beatitudinem electorum, & beneficia illis in executione conferenda præſcivit; nam lib. de dono perſeverantiæ cap. 7. ait: „ hæc Deus facturum „ ſe eſſe præſcivit. Ipſa eſt prædeſtinatio „ ſanctorum. „

254 Dicitur II. *Præparatio*, ſeu decretum, conferendi gratiam & gloriam. Et per hoc diſtinguitur prædeſtinatio ad gratiam; quod illa, ut ait AUGUSTINUS de prædeſt. Sanct.

Sanct. cap. 10. eſt *gratiæ præparatio : gratia vero jam ipſa donatio ;* id eſt, decreti executio.

Dicitur III. *beneficiorum Dei*, id eſt, tam 255
gratiæ, quam gloriæ. *Gratia enim Dei, vita æterna*, ad Rom. VI. 23. : id omne beneficiorum nomine intellexit, quod electis dare decrevit ; decrevit autem gratiam & gloriam, ait enim Lib. de dono perſev. cap. 17. : „ Quodſi & dantur & ea „ ſe daturum eſſe præſcivit ; profecto præ„ deſtinavit. „

Dicitur IV. *Quibus certiſſime liberantur &c.* 256
quibus verbis innuitur & infallibilis gratiæ efficacis effectus, & perſeverantiæ donum, & certiſſime futura electi ſalus ; quoniam vero loquitur de *liberatione ;* eo ipſo intelligitur, quod nonniſi de prædeſtinatione hominis *lapſi* loquatur. Angeli enim, & Adam innocentes, utpote nunquam miſeri, ſed naturaliter beati, nulla liberatione indigebant ; qua nunc indiget natura hominis lapſa, & maſſa damnata.

Hæc prædeſtinatio dicitur etiam *dilectio*, 257
ut Rom. IX. 13. *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* II. *Electio* ad Eph. I. 4. *elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti.* III. *Propoſitum.* Rom. VIII. 28 : *Qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* IV. *Diſcretio.* I. Corinth. IV. 7. : *quis enim te diſcernit ?* ſicque præ-

destinati dicuntur *dilecti*, *electi*, *præcogniti*. II. ad Timoth. II. 91. *cognovit Dominus*, *qui ſunt ejus*, & I. Petri I. 20. : *Præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem*. Hac autem præcognitione ſignificatur ſpecialis dilectio. Dicuntur *probati* 1. ad Corint. XI. 19. : *ut qui probati ſunt*, *manifeſti fiant*. Vocantur *præordinati*, *præparati*, *vaſa miſericordiæ*, *Vaſa in honorem*, *filii Dei*, *benedicti*, *ſancti*, *oves*. &c.

258 Prædestinatio ſpectari poteſt vel in *intentione*, vel in *executione*. prior eſt efficax Dei voluntas conſequens quosdam per efficacia media æternum ſalvandi. Poſterior eſt ipſa gloriæ æternæ largitio. Hæc gloria conferri poteſt vel ſolo titulo *hæreditatis*, illis nimirum, qui gratis per Christum juſtificati, ejusque cohæredes effecti, in hac gratia finali decedunt, priusquam operibus bonis aliquid mereri potuerint, uti infantes & perpetuo amentes poſt Baptiſmum, & ante uſum rationis defuncti. Vel ſimul titulo *coronæ*, & *mercedis*, illis nimirum, qui poſt adeptam juſtificationem ſuo labore, atque certamine gloriam in executione merentur. Prædeſtinatio *in intentione* conſiderata iterum duplex eſt: *adæquata*, & *inadæquata*. Prior eſt decretum Dei conferendi gratiam ſimul & gloriam, ſeu totam beneficiorum ſeriem, vocationem ad gratiam primam, juſtificationem, perſeverantiam, & glorifica-

ficationem, inadæquata eſt præparatio vel gratiæ, vel gloriæ: *gratia* alia eſt *prima*, ſeu habitualis juſtificans: alia *ſecunda*, nimirum prioris augmentum. Quamquam autem prædeſtinationis decretum in Deo ſit unicus & ſimpliciſſimus actus, communiter tamen Theologi ex omni ſchola admittunt, cum fundamento a nobis concipi plura in Deo decreta, prioritate naturæ ſibi invicem ſubordinata, de quorum ſerie hic etiam agam.

Cauſa FINALIS prædeſtinationis haud du- 259
bie eſt gloria Dei, *qui prædeſtinavit nos in laudem gloriæ gratiæ ſuæ*: ad Eph. I. 5. EFFICIENS eſt ipſe & ſolus Deus. Cauſa MORALIS, ſeu motiva & meritoria prædeſtinationis adæquatæ hominis lapſi eſt CHRISTUS redemptor; nam ut ait Paulus loc. cit. ad Eph.: *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per JEſum Chriſtum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* An vero etiam ex parte hominis ſit aliqua cauſa, quæ Deum moverit, ut huic præ altero decerneret gloriam, maxime diſputatur.

De *prædeſtinatione* quidem *in executione* 260
ſpectata inter Catholicos convenit, eam adultis ratione utentibus, quatenus præmium & merces eſt, ob merita perſonalia conferri. Videatur TRIDENTINUM concilium ſeſſ. VI. can. 24. & 32. Prædeſtinationem *in intentione* & *adæquate* conſideratam, qua-

tenus involvit primam gratiam vocationis ad fidem, prorſus gratuitam eſſe, de fide definitum eſt, contra ORIGENEM, qui docuit, animas ob bona aut prava anterioris vitæ merita in varia detrudi corpora, in quibus dein gloriam vel damnationem ſortiuntur: contra PELAGIANOS, qui cauſam prædeſtinationis ſtatuebant merita hominis mere naturalia: contra *Semipelagianos*, qui cauſam prædeſtinationis intentivæ ad primam gratiam dicebant eſſe naturalem hominis adulti conatum, ſeu pium credulitatis affectum, aut prævisa parvuli, ſi diutius viveret, bona opera, de quibus in prælect. de gratia actuali.

261 Igitur quæſtio eſt, an cauſa *inadæquatæ* prædeſtinationis ad gloriam ſint prævisa hominis ex primæ gratiæ beneficio provenientia merita: ſeu an Deus primo decreverit homini conferre gratiam *congruam*, & ob prævisum bonum gratiæ hujus uſum conferre gloriam: quod volunt MOLINISTÆ, etſi non omnes: aut an ex adverſo Deus primo gratis decreverit gloriam tanquam finem primo intentum, & dein gratiam, aliaque beneficia, tanquam media: quam prædeſtinationem gratuitam, & a prævisis meritis independentem propugnant AUGUSTINIANI & THOMISTÆ.

262 EFFECTUS prædeſtinationis dicitur id omne, quod aliqua ratione ortum ab illa habet,

bet, ſeu intuitu illius a Deo conceditur. Alius eſt *adæquatus*, qui complectitur id omne, quod intuitu prædeſtinationis conceditur homini. Alius *inadæquatus*, qui aliquid eorum complectitur. Quæritur hic de bonis non ſolum ſuper- ſed & naturalibus, imo etiam de permiſſione peccati.

Proprietates prædeſtinationis tres com- 263
muniter ſtatuuntur. I. *neceſſitas*. II. *certitudo*, ſeu immutabilitas. III. illius *extenſio*, ſeu numerus prædeſtinatorum. Quoad primum quæritur, an ita neceſſaria ſit, ut ſine illa nullus ſalvetur? quo in capite errarunt plures Pelagiani, docentes, Apoſtolos, & nonnullos alios ſublimiores Sanctos, ſpecialiter ad gloriam fuiſſe prædeſtinatos, & in gratia confirmatos: reliquos pro bono uſu liberi arbitrii aut gratiæ verſatilis eandem conſecuturos, etſi ab æterno electi non fuerint. Haud procul inde abludit Ambroſius Catharinus. Quoad alterum quæritur, an ita certa & immutabilis ſit prædeſtinationis lex, ut *omnes*, & *ſoli* prædeſtinati infallibiliter ſalventur, & nullus eorum pereat: quo in puncto errarunt Semipelagiani exiſtimantes, non eſſe certum & determinatum numerum, ſed poſſe prædeſtinatum damnari, reprobum vero ſalvari. Quoad tertium quæritur, quantus ſit numerus prædeſtinatorum reſpectu ſeu Angelorum lapſorum,

ſeu hominum reproborum. His obſervatis ſtatuitur

264 RESOLUTIO I. Prædeſtinatio ad gloriam eſt prorſus gratuita, & independens a prævifis meritis. Ita præter Auguſtinianos & Thomiſtas etiam nonnulli Moliniſtæ.

PROB. I. ex S. Scriptura. CHRISTUS Joan. XV. 16. ad diſcipulos ſuos ait: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat*, in hoc textu *electio*, ſeu prædeſtinatio, aſſignatur tanquam *cauſa* meritorum, non viciſſim merita tanquam cauſa prædeſtinationis: ſecus prædeſtinati *prius* elegiſſent Deum, & non Deus prius illos. Item Lucæ XII. 32.: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* ergo prædeſtinatis gloria confertur ex ſolo Dei beneplacito.

265 PROB. II. ex PAULO, qui in epiſt. ad Rom.: poſtquam demonſtraverat, Judæos & gentiles *gratis* ad fidem CHRISTI vocatos fuiſſe, etiam prædeſtinationem ad gloriam gratuitam docet cap. VIII. 28.: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum* (non ſecundum merita) *vocati ſunt Sancti; nam quos præſcivit, hos & prædeſtinavit, conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit* (in

(in intentione) *hos* (in executione) *& vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, & quos justificavit* (finaliter), *illos & glorificavit. Quis ergo nos separabit a charitate Christi? . . . certus sum, quia neque mors &c.* In hoc textu prædestinatio ad gloriam prior est prædestinatione ad gratiam: ergo gratuita est.

Nec dicant Adversarii, Paulum loqui de vocatione quadam, quæ electis & reprobis sit communis: nam 265

Contra est. Loquitur de illis, qui *secundum propositum* vocati sunt Sancti, seu Electi, quos a charitate finali neque mors separat, quos etiam dicit glorificandos: quæ omnia falsa sunt de reprobis.

Confirmatur hoc argumentum ex eadem epistola ad Rom. IX. 11., ubi de Jacob & Esau, quorum ille prædestinatorum, hic reproborum typus est, sic loquitur: *Cum enim nondum nati essent, aut boni aliquid egissent, aut mali. . .* (id est ante prævisa eorum bona, vel mala merita) *ut secundum* (electionem) *propositum Dei maneret, non ex operibus* (prævisis) *sed ex vocante dictum est ei: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Loqui hic Apostolum de prædestinatione gratuita ad gloriam, non vero ad gratiam, evidens videtur; loquitur enim de *proposito, ele-* 267

ctione, dilectione, non omnium hominum, sed salvandorum. Quod & amplius colligitur ex objectionibus, quas sibi format ibidem; nam postquam dixerat, quosdam ex Israelitis fuisse electos, alios relictos, præoccupat objectionem, quasi Deus non foret fidelis in servanda promissione fidei & hæreditatis facta, & respondet: *non autem quod exciderit verbum Dei;* non enim omnes, *qui ex Israel sunt; ii sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei sunt, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine.*

Objic. sibi II. Si omnes sunt in pari causa damnationis, videtur Deus inique agere, quando aliquos sine ratione eligit: cæteros relinquit: *quid ergo dicemus, nunquid iniquitas apud Deum?*

Ad hoc respondet: *Absit, nam ubi misericordia est, non est iniquitas. Moysi enim dicit; miserebor, cujus miserebor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor, igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. . . . ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat:* (non inspirando malitiam, sed subtrahendo gratiam, ut Augustinus exponit.) ergo prædestinatio ad gloriam ex sola misericordia, non ex prævisis meritis: neque Deus illum, quem velle

le aut currere prævidit, ſed quem gratis ipſe vult, in intentione prædeſtinavit.

Objicit ſibi Paulus III. ſi ſola Dei voluntas eſt cauſa prædeſtinationis, & reprobationis negativæ: cur reprobos punit? *Quid adhuc quæritur? voluntati ejus quis reſiſtit?*

Reſpondet: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Ex hac reſponſione colligitur, nullam poſſe dari rationem prædeſtinationis in intentione, præter liberam Dei voluntatem. ergo eſt gratuita. Apud Adverſarios autem facilis eſt reſponſio, ideo hunc præ aliis ad gloriam fuiſſe prædeſtinatum, quia hujus bona fuerant præviſa merita, non item alterius. Sed D. Paulus recurrit ad inſcrutabilia Dei judicia, & cap. XI. 33. exclamat: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!*

PROB. III. ex eod. PAULO ad Eph. I. 3 *Be-* 268
nedictus Deus, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in

conspectu ejus in charitate. (non quia eramus sancti) *qui prædestinavit nos secundum propositum voluntatis suæ.* Legantur reliqua, & cap. II. 8. *Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Non ex operibus, ut ne quis glorietur: ipsius enim sumus factura, creati in Christo JEsu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in iis ambulemus.* ergo ex prædestinatione ad gloriam sequitur prædestinatio ad opera bona, ut in iis ambulemus, & per ea in executione gloriam mereamur.

269 Denique omissis plurimis aliis scripturæ textibus, Actor. XIII. 48. dicitur: *crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* ergo prædestinatio ad gloriam præcedit prædestinationem ad fidem, tanquam causa effectum. ergo secundum Scripturas gratuita est.

270 PROB. IV. ex S. AUGUSTINO, qui ubique docet, Deum ex communi massa damnata quosdam gratuito eligere ad gloriam, iisque præparare media, quibus in executione eam mereantur; alios autem ibidem relinquere, seu, non assumere. Sic in Enchiridio cap. 98. exponens illud Apostoli ad Rom. IX.: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, distinctionem reprobi a prædestinato, non ex prævisis meritis, sed ex sola Dei misericordia repetens ait: „ qua „ in re si futura opera, vel bona hujus, vel

„ vel mala illius, quæ Deus utique præ-
„ ſciebat, vellet intelligi; nequaquam di-
„ ceret: *non ex operibus*, ſed diceret, *ex*
„ *futuris operibus*, eoque modo ſolveret
„ iſtam quæſtionem; imo nullam, quam
„ ſolvi opus fuiſſet, faceret quæſtionem.
„ ſed qui dixit: *miſerebor*, *cui miſertus ero*,
„ *& miſericordiam præſtabo*, *cui miſertus*
„ *fuero*, Jacob dilexit per miſericordiam
„ gratuitam, Eſau autem odio habuit
„ per judicium debitum, quod cum de-
„ beretur ambobus; in altero alter agno-
„ vit, non de ſuis diſtantibus meritis ſibi
„ eſſe gloriandum, quod in eadem cauſa
„ idem ſupplicium non incurrerit, ſed de
„ divinæ gratiæ largitate; quia neque vo-
„ lentis, neque currentis, ſed miſerentis
„ eſt Dei; . . . ſola enim gratia redemtos
„ diſcernit a perditis, quos in unam per-
„ ditionis concreverat maſſam ab origine
„ ducta cauſa communis.„ Sunt verba Au-
guſtini. At vero apud Molinam & ſequa-
ces prædeſtinatus diſtinguitur a reprobo
ſuis prævifis meritis. Non ergo Molinæ
ſententiam, ſed gratuitam prædeſtinatio-
nem cum D. Paulo, Augustinus aſſeruit.

Prob. V. ratione. Merita ſunt effectus 271
prædeſtinationis ad gloriam in adultis, non
autem cauſa. ergo gratuita eſt, & inde-
pendens a præviſis meritis. Ant. prob.
ex eodem Augustino lib. de prædeſt. SS.
cap. 18. „ Intueamur ergo verba Apoſto-
„ li:

„ li: *Sicut elegit nos in ipso, ut essemus*
„ *sancti & immaculati.* Non ergo QUIA fu-
„ turi eramus, sed UT essemus: nempe
„ certum est, nempe manifestum est: ideo
„ quippe tales eramus futuri, quia elegit
„ ipse prædestinans, ut tales per grati-
„ am ejus essemus. „ Et lib. V. contra Ju-
lianum cap. 3.: „ Nullum elegit dignum,
„ sed eligendo fecit dignum. „

272 PROB. VI. Deus, nostro concipiendi modo, prius intendit gloriam & postea decernit merita: ergo gratuito prædestinat. *Ant. prob.* qui vult ordinate & qui sapienter agit, primo intendit finem, & dein eligit media ad finem conducentia; est enim commune adagium: *Finis est primum in intentione, ultimum in executione*: quod etiam patet v. g. in ægroto; qui primo omnium sanitatem ut finem intendit, & postea medicamenta adhibet ad sanitatem recuperandam. Atqui Deus prædestinans sapientissime agit. ergo. subsumo. Atqui æterna prædestinati gloria est finis; quia ultimum in executione: & merita sunt media, quibus gloria denique acquiritur. *ergo.*

273 PROB. VII. Talis est prædestinatio hominum ad gloriam, qualis est humanitatis CHRISTI ad unionem cum verbo, ad visionem intuitivam; atqui hæc fuit prorsus gratuita: ergo & prior. *minor* certa est contra ARIANOS & NESTORIANOS; quia hu-

humana Christi natura nullò inſtanti extitit ante unionem cum verbo. Atqui non entis nullæ ſunt qualitates, & non exiſtentis nulla ſunt merita. *Major* eſt expreſſa ſententia S. Augustini, qui Lib. de prædeſt. SS. Cap. 15. prædeſtinationem humanitatis Christi pro exemplari noſtræ prædeſtinationis ponit his verbis : „ Eſt
„ etiam præclariſſimum lumen prædeſtina-
„ tionis & gratiæ ipſe Salvator, ipſe me-
„ diator Dei & hominum, homo Chris-
„ tus JEſus ; qui ut hoc eſſet, quibus
„ tandem ſuis vel operum, vel fidei præ-
„ cedentibus meritis natura humana, quæ
„ in illo eſt, comparavit ? reſpondeatur
„ quæſo . . . ſicut ergo prædeſtinatus eſt
„ ille unus, ut caput noſtrum eſſet : ita
„ multi prædeſtinati ſumus, ut membra
„ ejus eſſemus. „

Ne autem Adverſarii Auguſtinum expli- 274
care poſſent de prædeſtinatione ad gratiam ; poſt intervallum pergit : „ Vocat enim
„ Deus prædeſtinatos multos filios ſuos,
„ ut eos faciat membra prædeſtinati filii
„ ſui : non ea vocatione, qua vocati ſunt,
„ qui noluerunt, venire ad nuptias ; illa
„ quippe vocatione & Judæi vocati ſunt,
„ quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt :
„ ſed ea vocatione prædeſtinatos vocat,
„ quam diſtinxit Apoſtolus dicens : *Ipſis*
„ *vocatis Judæis & Græcis* (id eſt, gen-
„ tilibus) *prædicare ſe Dei virtutem & Dei*

„ *ſapi-*

„ *sapientiam*, sciens esse quamdam voca-
„ tionem eorum, *qui secundum propositum*
„ *vocati sunt, quos præscivit & prædestina-*
„ *vit conformes fieri imaginis filii ejus.* . . .
„ Quisquis ergo inde est, omnino non pe-
„ rit: nec erit inde, qui perit.„

275 Prob. VIII. Eo modo ad gloriam in in-
tentione prædestinantur adulti, quo par-
vuli post Baptismum, & ante usum ratio-
nis hinc abrepti: atqui horum prædesti-
natio est gratuita, ut definitum est con-
tra Semipelagianos, nec negant Molini-
stæ. ergo etiam adultorum est gratuita.
Maj. prob. ex Augustino, qui utrorum-
que æqualem & eandem statuit prædesti-
nationem præcipue libro de dono perse-
ver. cap. 9. „ Ex duobus ita parvu-
„ lis originali peccato pariter obstrictis,
„ cur iste assumatur, ille relinquatur, &
„ ex duobus ætate jam grandibus, cur iste
„ ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille
„ autem aut non vocetur (ad fidem ex-
„ plicitam) aut non ita vocetur, ut vo-
„ cantem sequatur: inscrutabilia sunt ju-
„ dicia Dei. Ex duobus autem piis, cur
„ huic donetur perseverantia usque in fi-
„ nem, illi non donetur: inscrutabilia
„ sunt judicia Dei. Illud autem fidelibus
„ debet esse certissimum, hunc ex præde-
„ stinatis, illum non esse.„

276 Prob. IX. Prædestinatio secundum Pau-
lum & Augustinum est inscrutabile my-
ste-

ſterium ; ſi autem non eſt gratuita, ſed a præviſis meritis dependet ; tunc non amplius eſt myſterium ; facillime enim aſſignatur ratio , cur hic præ altero fuerit electus : nempe propter præviſa merita, prout etiam de hac facilitate gloriatur Molina, ut oſtendi Tomo VI. n. 297.

Quæ contra noſtram aſſertionem ex S. 277
Scriptura objici ſolent , facile ſolvuntur per diſtinctionem, gloriam æternam concedi prædeſtinatis titulo *mercedis*, & *præmii*, ſi conſideretur in *executione*, non autem ſi in *intentione.* Ad textus vero Patrum, eorum præcipue, qui Augustinum præceſſerunt, dicendum eſt, eos, utpote ante exortam Pelagii hæreſin ſcribentes, non adeo accurate fuiſſe locutos : quemadmodum & ipſe Augustinus fatetur de ſe & ſuis libris antea conſcriptis. ſed præterea

Objic. I. Si Deus in prædeſtinatione in- 278
tentiva nullo modo reſpicit ad præviſa merita, tunc eſt acceptor perſonarum ; quia uni præ altero ſine ratione favet, ſed hoc vitium in Deo locum non habet propter ejus juſtitiam. *ergo.*

Resp. Hæc & ſequentia argumenta omnia a Semipelagianis excogitata, & Augustino fuere oppoſita, ut patet ex epiſt. Prosperi & Hilarii ad eundem. ergo noſtra

ſtra ſententia eſt Augustini, quam iisdem argumentis impetunt Moliniſtæ.

Resp. in forma. Nego ſequelam majoris. Quando enim donum neutri debetur, tunc uni fit gratia; alteri non injuria: conſequenter nulla eſt perſonarum acceptio; beatitudo autem æterna nulli homini poſt lapſum debetur. Vitium acceptionis perſonarum eſt contra juſtitiam diſtributivam. Deus autem homini lapſo nihil prorſus debet, maxime, defectu pacti, aut promiſſionis.

279 Objic. II. Si prædeſtinatio nulla ex parte hominis præſupponit merita, tunc tollit libertatem, & inducit fatalem neceſſitatem; nam nec prædeſtinatus damnari, nec reprobus ſalvari poteſt, ſequela falſa eſt. ergo.

Resp. Retorqueo in præſcientiam & providentiam, & nego *maj.* etſi enim prædeſtinatus infallibiliter ſalvetur, & reprobus damnetur; uterque tamen quolibet actu libere eligit bonum verum, vel apparens, quod eum magis delectat: ergo ad ſummum adeſt quædam neceſſitas *conſequens*, & *hypothetica*, non autem *antecedens*, & *abſoluta*, quæ ſola repugnat libertati.

280 Objic. III. ex iſta ſententia ſequitur, poſſe aliquem ita ſecum diſcurrere: ſi ſum prædeſtinatus, certo ſalvabor, quidquid mali fecerim: ſi vero ſum reprobus, tunc

tunc quidquid boni egero, certe tamen damnabor, quia gratuitum perſeverantiæ donum mihi negabitur. Hunc igitur hominem bonorum operum ſtudium negligere, fræna libidini laxare, ac denique deſperare continget. Et iſtæ ſequelæ oriuntur ex gratuita prædeſtinatione.

Resp. Neg. *ſequelam*, & retorqueo in ſequentem diſcurſum ægroti. Si Deus me vult, & præſcit fieri ſanum, infallibiliter ſalvabor ex hac infirmitate, etiamſi nullis medicamentis utar: ſi econtra; nunquam reſtituendus ero ſanitati, licet omnem apothecam exhauſero. Quilibet fatetur, hunc ſtulte ratiocinari; quia ſi Deus decrevit ſanitatem, tunc non ſine mediis ordinariis. ergo idem dicendum de prædeſtinatione ad gloriam, quæ in executione non niſi per opera bona poteſt acquiri; ut enim Augustinus alicubi ait: *Qui te creavit ſine te, non ſalvabit te ſine te.* Noſtra ſententia ſuadet ſtudium virtutum, & cum neſciamus, an ſimus odio, vel amore digni, monet *ſatagere, ut per opera bona certam noſtram vocationem, & electionem faciamus, hæc enim facientes non peccabimus aliquando*, ut ait Petrus Epiſt. II. cap. I. 10. Inſuper hæc ſententia nos adducit, ut ſpem noſtram ponamus in ſolo Deo, non autem in nobis, & *cum timore & tremore ſalutem noſtram operemur*. Cum adverſa ſententia doceat, hominem confidere in

ſeipſo ; quia, ut ait Molina, ſemper in manu liberi arbitrii ſalus noſtra poſita eſt.

281 Objic. IV. Illa ſententia eſt præferenda, quæ eſt captu facilior, & tuto etiam publice promiſcuæ plebi explicari poteſt. Atqui prædeſtinatio, dependens a præviſis meritis, facilius capitur, & populo ſimplici tuto prædicatur : cum econtra noſtra ſententia ſit difficillima, & populo vix ſine ſcandalo proponatur. *ergo* &c.

Resp. *Nego maj.*, & retorqueo in SS. Trinitatis, Incarnationis aliaque myſteria rationem ſuperantia, quæ certe non ſunt captu facilia. Falſum quoque eſt alterum, noſtram ſententiam non poſſe publice prædicari, modo adhibeatur prudentia & diſcretio. In publicis enim ſermonibus plerumque de prædeſtinatione *in executione* dicendum eſt, ſi aliquando de *intentiva ;* tunc tepidis. aut nimium de ſe præſumentibus ſalutaris poterit incuti timor : ſed ſimul addenda adhortatio ad filialem erga Deum fiduciam, & ſtudium bonorum operum. Hac ratione nullum erit periculum.

282 Resolutio II. Gratia & gloria ſunt *adæquatus* prædeſtinationis effectus : *inadæquatus* autem, quodlibet ſeorſim beneficium, per ſe ad ſalutem prædeſtinat conducens.

Prob. I.

Prob. I. pars. S. Scriptura utrumque pro adæquato aſſignat Pſal. 83. : *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Ratio eſt. Perfecta hominis liberatio eſt adæquatus prædeſtinationis effectus, ex definitione : atqui per utramque fit perfecta liberatio ; per gratiam quidem a malo *culpæ*, præcipue finalis, quæ in hac vita per fidem, ſpem, & charitatem inchoatur, & per ſingulare perſeverantiæ donum conſummatur : per gloriam vero a malo *pœnæ*, tam damni, quam ſenſus, ergo.

Secunda pars etiam conſtat; quodcunque enim beneficium ad ſalutem conducens prædeſtinato a Deo confertur, ex intentione finis ſuam originem habet.

Resolutio III. Effectus ſupernaturales 283
inadæquati prædeſtinationis ſunt, vocatio, juſtificatio, glorificatio.

Prob. Hos ipſos recenſet Paulus ad Rom. VIII. : *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Ad *vocationem* pertinent omnia Dei auxilia, quæ *juſtificationem* præcedunt. Ad hanc ſpectant omnia, quæ juſtificationem ſequuntur, maxime autem *perſeverantia* usque in finem, ſolis prædeſtinatis propria, ut docetur Tract. de gratia. Nomine *glorificationis* intelligitur tam gloria eſſentialis animæ, quam accidenta-

lis corporis. Vocatio & justificatio, aliaque cum iis connexa, in tantum sunt effectus prædestinationis, quatenus ex intentione Dei cum perseverantia & gloria conjunguntur; nam in se spectatæ, & prout etiam quibusdam reprobis communes sunt, in tantum sunt solum effectus providentiæ Dei supernaturalis.

284 Objic. Justificatio in tantum esset effectus prædestinationis, quatenus esset conjuncta cum perseverantia finali: sed non quælibet justificatio prædestinati ita est conjuncta; quia non raro amittitur, & per grave peccatum interrumpitur. ergo saltem illa justificatio amissa, utpote nihil ad gloriam conducens, non est effectus prædestinationis.

Resp. *Dist. maj.* quatenus est conjuncta cum perseverantia & gloria, saltem remote, & mediate. *conc.* immediate & proxime. *nego.* justificatio prædestinati interrupta, in tantum est prædestinationis effectus; quia in tali per pœnitentiam infallibiliter restituitur, merita quoque prius mortificata reviviscunt, sicque gloriam augent. Non tamen necesse est, ut proxime & immediate sit conjuncta cum morte; sic enim foret perseverantia, quemadmodum in parvulis baptizatis, ante usum rationis decedentibus.

Re-

RESOLUTIO VI. bona naturalia, non quidem *per se*, sed *per accidens*, sunt effectus prædestinationis. . . . 285

PRIMA pars constat; quod enim *per se* non conducit ad salutem, non est proprius & per se effectus prædestinationis: atqui bona naturalia *per se* non conducunt ad salutem; sunt enim indifferentia ad bonum, vel malum usum: sunt peccatoribus & reprobis communia, & non raro sunt impedimenta salutis ex vitio abutentium; *ergo*.

PROB. II. pars. Illud est effectus prædesti- 286
nationis *per accidens*, quo Deus utitur ad æternam salutem prædestinati; atqui bonis naturalibus non raro utitur. Ejusmodi sunt bonum ingenium, circumstantia personarum, loci, temporis, nativitas ex probis parentibus, & innumera alia.

RESOLUTIO V. Mala sive naturæ, sive pœ- 287
næ temporalis sunt per accidens effectus prædestinationis.

RATIO est, quia & his Deus non raro utitur ad prædestinati salutem, v. g. immatura *morte*, *ne malitia mutet intellectum ejus*, Sap. 4.: *afflictionibus*, nam ait PAULUS Philip. I. *vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, sed ut etiam pro illo patiamini*. Eventibus *prosperis* & *adversis*. *Propter electos breviabuntur dies illi*,

li, Matth. 24.: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt &c.* Rom. VIII.

288 Resolutio VI. Malum culpæ, ſeu peccatum, nec per ſe, nec per accidens: permiſſio tamen peccati eſt effectus prædeſtinationis.

Prob. I. pars. Illud non eſt effectus prædeſtinationis, cujus Deus nequit eſſe cauſa: atqui peccati *formalis* Deus cauſa eſſe nequit. II. Quod nihil ad ſalutem conducit, ſed magis avertit, id neque per accidens poteſt eſſe effectus prædeſtinationis; atqui: ergo. III. Quod hominem a nullo malo liberat, non eſt effectus prædeſtinationis; hæc enim eſt *præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur* a malo culpæ & pœnæ: atqui peccatum *formale* non liberat, ſed facit hominem ſervum diaboli. *ergo.*

289 Prob. II. pars. Quod a Deo *poſitive* decernitur, & ad majus prædeſtinati bonum a Deo ordinatur, eſt effectus prædeſtinationis: atqui permiſſio peccati, ſeu ſubtractio gratiæ efficacis, a Deo decernitur ad ſalutem prædeſtinati. *ergo. min. prob.* ad Rom. VIII., *Diligentibus Deum omnia cooperabuntur in bonum*, quibus verbis D. Thomas Lect. 8.: in hanc epiſt. addit: *etiam ipſa peccata.* Et Augustinus de corrept.

rept. & grat. cap. 9. eundem textum exponens ait: „ Usque adeo prorſus omnia, „ ut etiam, ſi qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat „ proficere in bonum, quia meliores redeunt & cautiores. „ S. Gregorius M. L. I. moral. cap. 6. „ fit aliquando, ut ſe „ hæc gratia utiliter ſubtrahat, & præſumenti, quantum infirmatur, oſtendat; tunc enim vere cognoſcimus noſtra bona, unde ſint, quando hæc quaſi amittendo ſentimus. „

Objic. I. Deus utitur peccatis, ut ſuos 290 electos ad gloriam perducat; ſunt enim cauſa humilitatis, pœnitentiæ, ſervoris, cautelæ &c. ergo etiam peccatum *formale* eſt effectus &c.

Resp. *Diſt.* utitur illis, tanquam occaſione & *indirecte. conc.* tanquam medio & *directe. nego.* peccatum enim in ſe ſpectatum non eſt medium ad ſalutem, ſed ſi conſideretur, quatenus a Deo permiſſum, indirecte & in effectu; quando eſt cauſa humilitatis, pœnitentiæ &c.

Objic. II. Effectus prædeſtinationis debet eſſe *beneficium* Dei: atqui permiſſio 291 peccati non eſt beneficium, ſed ſubtractio beneficii. *ergo.*

Resp. *Diſt. min.* Non eſt beneficium, in

 ſe

se consideratum. *conc.* in suo effectu, quem Deus intendit. *nego.*

292 Objic. III. Si permissio peccati est beneficium, tunc possemus pro ea impetranda Deum orare: atqui hoc est absurdum, orationi dominicæ & justorum praxi contrarium, qui nihil magis timent, quam gratiæ subtractionem. Imo David rogat Deum Psal. 50.: *Ne projicias me a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me &c.*

Resp. *Dist. maj.* si in se & *directe* esset beneficium. *conc.* secus. *nego.* Id solum possumus a Deo petere, quod ad salutem nostram *directe* conducit, nosque cum Deo constanter conjungit; quia vero peccati permissio id *directe* & *per se* non facit, sed solum in prædestinatis, de quorum numero nos esse ignoramus; ideo nec eam petere possumus, quia nescimus, an post amissam semel gratiam sanctificantem aliam simus accepturi. Hinc potius sine intermissione Deum orare debemus, ut eam in nobis conservet. Econtra Deus, cui cognitus est numerus electorum, & qui novit de malis bona facere, etiam permissione peccati ad nostram gloriam uti, eamque decernere potest.

293 Objic. IV. quod est effectus prædestinationis, est ex meritis Christi: sed Christus

ſtus non promeruit prædeſtinatis ſubtractionem gratiæ & permiſſionem peccati, ſed potius gratiam & liberationem a peccato. *ergo.*

Resp. *Diſt. min.* quatenus in ſe ſpectatum. *conc.* prout ex intentione Dei ordinatur ad majus bonum prædeſtinati. *nego min.*

Objic. V. Prudens medicus non poteſt 294
permittere morbum , ut poſtea conferat ſanitatem : ergo nec Deus peccatum.

Repsond. *nego ant.* poteſt enim etiam ſapiens medicus permittere morbum minorem , ſi prævideat inde orituram ſanitatem magis firmam & diuturnam, & ut infirmum reddat magis cautum. Nego etiam *conſequens* : diſparitas eſt , quia medicus permittendo morbum ex intentione procurandæ firmioris ſanitatis non poteſt prævidere omnia accidentalia & cauſas, aut ipſam conſtitutionem infirmi , ſicque non eſt certus de obtinendo effectu intento : contra Deus , quem nihil latet, novit ex permiſſione peccati majus prædeſtinati bonum, certo ſubſecuturum.

Resolutio. VII. Decretum prædeſtina- 295
tionis neceſſarium eſt; ita ut ſine illo nullus ſalvetur.

Prob. Soli prædeſtinati, ſeu electi, *qui-*

 bus

bus paratum eſt regnum a conſtitutione mundi, ſalvantur Matth. XXV. 34. : cæteri *vocati* quidem, ſed non *electi*, mittuntur in tenebras exteriores; Matth. XXII. 13. hoc conſtanter docet AUGUSTINUS, qui vocationem efficacem, pœnitentiam ſeriam, perſeverantiam finalem, inter effectus prædeſtinationis numerat: certum eſt autem, ſine perſeverantia neminem ſalvari, & hanc eſſe privilegium ſpeciale, ſolis prædeſtinatis proprium, ut ſupponitur ex prælect. de gratia Tomo VI. n. 184. ſeq.

296 RESOLUTIO VIII. Certa & immutabilis eſt prædeſtinatio; ita ut *omnes*, & *ſoli* prædeſtinati ſalventur.

PROB. Chriſtus Joann. X. 27. ait: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei.*

Ratio eſt. Prædeſtinatio vel ſpectatur ex parte Dei; & ſic ejus decretum eſt immutabile: vel ex parte prædeſtinati; & ſic ob conceſſum perſeverantiæ donum non poteſt damnationem cum decreto gloriæ conjungere: infallibiliter enim gratiæ ab intrinſeco efficaci conſentit & ſtatum gratiæ ſanctificantis cum morte conjungit. At-

Atque hinc patet, certitudinem & immutabilitatem prædeſtinationis non deſumi ex conſenſu præviſo, ſed ex efficacia decreti & gratiæ.

Objic. I. Prædeſtinatio & *liber vitæ* ſunt 297
idem: atqui liber vitæ eſt mutabilis, & poteſt quis ex eo deleri: ſic enim petiit Moyſes a Deo Exod. XXXII. 31: *aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. ergo.* etiam David imprecatur impiis Pſalm. LXVIII. 29: *deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur*, & Paulus optabat eſſe *anathema pro fratribus*. Rom. IX. 3.

Resp. *Diſt. maj.* liber vitæ *æternæ*, & prædeſtinatio ſunt idem. *conc.* liber vitæ *temporalis. nego.* de hoc deleri cupiebat Moyſes & Paulus. Textus Davidis propheticus eſt, non imprecatorius, & habet hunc ſenſum: morientes cum reprobis damnabuntur.

Objic. II. Idem Paulus 1. Cor. IX. 27. 298
timet: *ne reprobus efficiatur.*

Resp. Paulus timet, quia forte neſcivit, ſe de numero prædeſtinatorum eſſe; quod ſi id autem ex revelatione particulari ſcivit, non eſt locutus in perſona propria, ſed ut aliis documentum daret, in timore & tremore ſalutem noſtram nos operari debere.

Objic.

299 Objic. III. Apocal. III. 11. dicitur: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* ergo gloria destinata amitti potest.

Resp. *Dist.* coronam, hoc est, fidem & promissionem tuam. *conc.* coronam cælestem voluntate Dei consequente destinatam. *nego.* cum nemo sciat de quorum numero sit, vigilare & laborare omnes oportet, ut gloriam, quæ in executione non nisi ob merita datur, per bona opera promereamur.

300 Objic. IV. Est adagium Theologorum, ex Augustino, ut ajunt, desumptum: *Si non es prædestinatus, fac te prædestinatum:* ergo etiam ille, qui ab æterno non est prædestinatus, in tempore tamen salvari potest. Cæterum universo systemati doctrinæ S. Augustini repugnat, quod aliquis a Deo non prædestinatus, cui perseverantiæ donum decretum non fuit, salutem consequatur, ideoque istud axioma Augustino imputari non debet.

Resp. Huic adagio iste sensus inesse debet: si dubio angeris, an sis de numero prædestinatorum, ita bonis stude operibus, Deumque ex totis viribus dilige, tanquam scires te prædestinatum, & in hoc amore perseverans haud dubie salvaberis; quia Deus non nisi prædestinatis hunc constantem fervorem inspirat.

Re-

Resolutio IX. Determinatus eſt præ- 301
deſtinatorum numerus, ſoli Deo cognitus: exiguus comparate ad reprobos, & probabiliter æqualis numero Angelorum lapſorum.

Prob. I. pars. Christus Joan. X. ait: *Cognoſco oves meas:* cumque capilli capitis noſtri omnes numerati ſunt, quanto magis prædeſtinati; hinc orat Eccleſia: *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum*, & Augustinus L. de corrept. & grat. cap. 13. „ hæc de his loquor, quorum ita certus eſt numerus, ut nec addatur eis „ quisquam, nec minuatur ex eis. „ Contrariam Semipelagianorum ſententiam tanquam erroneam S. Prosper n. 6., & Hilarius n. 7. ad Auguſtinum perſcripſerunt.

Ratio eſt. Deus novit ſuum decretum, & efficaciam gratiæ tanquam cauſam infallibilem ſalutis prædeſtinatorum: & novit effectum, & quidem ipſe ſolus, cum ſit myſterium nulli hominum pervium.

Prob. II. pars. Certum eſt, quolibet 302
tempore plures fuiſſe infideles, & in peccato mortuos, ſive adultos, ſive parvulos, & conſequenter reprobos, quam vere fideles: ſed & inter ipſos fideles major videtur reproborum, quam electorum numerus; Christus enim electos ſuos, quibus complacuit Patri dare regnum ſuum, *puſillum gregem* appellat propter majorem

jorem reproborum numerum, ut S. Hilarius advertit. Item Matth. XXII. 14. ait: *Multi vocáti, pauci vero electi* : & cap. VII. 13. *lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam, quam angusta & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Idipsum AUGUSTINUS in Psal. 48. ab experientia probat: „ Quot sunt „ illi etiam inter fideles, qui videntur „ observare mandata Dei? vix invenietur „ unus, aut duo, vel paucissimi; ipsos „ solos liberaturus est Deus, cæteros dam„ naturus. „

303 PROB. III. pars. Psalm. 109.: *judicabit Deus in nationibus, implebit ruinas* Angelorum, ut passim exponunt interpretes, præcipue S. AUGUSTINUS Lib. XXII. de civit. Dei cap. 1.

Subjicio hic ordinem illum decretorum, quem secundum systema Augustinianum in Deo concipere licet.

Series decretorum Dei secundum nostrum concipiendi modum.

304 I. DEus per scientiam simplicis intelligentiæ videns suam essentiam imitabilem, decrevit manifestare suas perfectiones ad extra, creando mundum, & in eo Angelos ac hominem, ad sta-

tum

tum ſupernaturalem elevatum, donis ſupernaturalibus ornatum, præditum juſtitia originali, in poſteros etiam Adami propaganda, ſi præceptum non foret transgreſſurus.

II. Tam Angelis, quam Adamo decrevit auxilium *ſine quo* non, & cum quo perſeverare, æternumque beati fieri poſſent.

III. Vidit in æternitate phyſice præſentem Angelorum bonorum perſeverantiam, malorum lapſum.

IV. Vidit, & permiſit Adamum a ſerpente & Eva tentandum, & legem prævaricaturum, ſicque totum humanum genus originali juſtitia & jure ad æternam beatitudinem privandum, atque in unam damnationis maſſam involvendum.

V. Decrevit, condignam ſibi pro offenſa ſatisfactionem exhiberi.

VI. Cum eam vero nulla pura creatura præſtare poſſet, obtulit ſe filius ad eam in carne humana aſſumenda præſtandam, & humanum genus redimendum.

VII. Acceptavit Pater hanc ſponſionem & alienam ſatisfactionem, præceptum moriendi, totumque opus redemptionis filio ſuo impoſuit, atque ex præciſo & acceptato meritorum ejus pretio antece-

den-

dente voluntate voluit omnes homines ſalvos fieri, omnibusque præparavit media ſufficientia, ut Baptiſmum, & adultis ratione utentibus gratias actuales ſaltem ſufficientes, quibus ſalutem æternam conſequi poſſent.

VIII. Propter hæc merita filii ſui præviſa decrevit quosdam efficaciter ex hac maſſa damnationis liberare & ad manifeſtandam ſuam miſericordiam æternam illis concedere gloriam, cæteris in maſſa perditionis relictis, quod dicimus *negative* reprobare.

IX. Ex hac intentione decrevit prædeſtinatis gratias ab intrinſeco efficaces, parvulis quidem & amentibus, ante uſum rationis morituris Baptiſmum: adultis vero gratias actuales, vocationem ad fidem, juſtificationem & ſingulare perſeverantiæ donum, cum morte juſti prædeſtinati conjungendum: cæteris omnibus gratias ſaltem ſufficientes.

X. In hoc decreto vidit prædeſtinatorum adultorum merita, & reproborum libera peccata, præſertim finalem impœnitentiam. Prioribus proin decrevit gloriam, in executione tanquam præmium & coronam meritis eorum reſpondentem conferre: his vero in peccato finali decedentibus ſupplicium æternum, dæmonibus para-

paratum, infligere, ad manifeſtandam ſuam juſtitiam.

§. V.

De juſtitia Dei reprobantis.

LOquor hic de juſtitia Dei judiciali & vindicativa, quam eidem ineſſe, vel ipſa ratio probat. Abſunt enim in Deo omnes cauſæ, ex quibus injuſtitiæ vitium oriri poſſet: nam in Deo neque locum habet error intellectus, propter omniſcientiam; neque malitia voluntatis, propter perfectiſſimam ejus ſanctitatem ſummamque bonitatem. Reprobatio eſt actus juſtitiæ divinæ, & quatenus *prædeſtinationi* opponitur, denotat excluſionem ab æterna gloria, poſt peccatum originale nulli debita, eſtque vel *poſitiva*, vel *negativa*. Illa, eſt decretum Dei peccatoribus æternas pœnas infligendi: hæc, a gloria excludendi, ſeu, eſt amiſſio gratuitæ prædeſtinationis. 305

Hic præcipue notandum eſt impium Calvini dogma, quo docuit, I. Deum ante præviſum quodlibet ſeu actuale, ſeu originale peccatum, ſicut quoſdam gratis prædeſtinavit ad æternam beatitudinem, ita quoſdam non ſolum poſitivo decreto excluſiſſe ab æterna gloria, (in quo 306

etiam nonnulli rigidiores Thomiſtæ eidem conſentiunt) ſed etiam ad æternas pœnas deſtinaſſe. II. Docuit, Deum, ut hoc ſuum in utrosque exerceret ſupremum dominium, electos ad bonum, reprobos ad malum *neceſſario* inflectere, ſicque omnem reprobo bene- & electo male operandi libertatem adimere, ſeque tam boni, quam mali operis authorem conſtituere, quod adeo blasphemum plerisque ejus diſcipulis viſum fuit, ut fere a ſuo magiſtro hodie diſcedant, uti obſervat Bossuetus hiſt. variat. P. IV. L. 2.

307 Catholici ex adverſo omnes confitentur, unicam reprobationis *poſitivæ* cauſam eſſe præviſa hominis peccata: an ſolum actuale, vel etiam originale? non inter ſe conveniunt, quod dependet ab illa quæſtione, an parvuli cum ſolo originali ex hac vita decedentes, ſola pœna damni, aut etiam ſenſus puniantur: de quo in Prælect. de peccatis. Cauſam reprobationis *negativæ* Molina aſſignat præviſa hominis demerita perſonalia: Nonnulli Thomiſtæ ſolam liberrimam Dei voluntatem, manifeſtandi ſuum dominium ſupremum: Reliqui Theologi peccatum originale. Agam hic I. de poſitiva, dein de negativa reprobatione.

308 Resolutio I. Cauſa reprobationis *poſitivæ* ad pœnam damni & ſenſus eſt pecca-

catum mortale, in adultis actuale. Est de fide definitum in concilio ARAUSICANO anno 529 celebrato, can. 2. & can. 25. VALENTINIANO anno 855. can. 3. TRIDENTINO sess. VI. can. 6. & 17.

PROB. I. Christus in extremo judicio causam reprobationis positivæ allegans, eam in neglectum bonorum operum, & commissa peccata refundit Matth. XXV. 41. *Discedite a me maledicti in ignem æternum. . . . esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Oseæ XIII. 9., *perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*: Sap. XI. 25., *diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*: atqui in sententia CALVINI falsa foret judicis sententia, si ante prævisa peccata quosdam *positive* ad ignem creasset: perditio foret ex ipso Deo, ad peccatum necessitante: odisset creaturam, sine ratione ex parte creaturæ.

PROB. II. ex AUGUSTINO, qui lib. 3.309 contra Julian. cap. 18. ait: „ Bonus est „ Deus, justus est Deus; potest aliquos „ sine bonis meritis liberare, quia bo„ nus est: non potest quemquam sine „ malis meritis damnare, quia justus est.

Prosper cap. 7. ad cap. Gallorum. „ Ho„ rum lapsum Deo adscribere, immodi„ cæ pravitatis est, quasi ideo ruinæ ipso-

„ rum impulſor atque author ſit, quia „ eos ruituros propria ipſorum voluntate „ præſcivit, & ob hoc a filiis perditionis „ nulla prædeſtinatione diſcrevit. „

310 PROB. III. ratione. I. ſi reprobatio nullam ex parte hominis cauſam, ſed ſolam Dei voluntatem ſupponit, tunc Deus crudelis, injuſtus, & impius eſt; nam innocentem ſine cauſa ad graviſſima, eaque æterna ſupplicia condemnare impium eſt & crudele; ut enim optime advertit S. AUGUSTINUS, ſub juſto Deo miſer nemo eſſe poteſt niſi mereatur: atqui in ſententia CALVINI reprobus ante omne prævifum peccatum ad pœnas æternas deſtinaretur, & æternum miſerrimus foret.

II. Impius eſt, qui eſt cauſa moralis peccati: atqui Deus eſſet author peccati; utpote qui hominem neceſſitaret ad *formaliter* peccandum &c.: quod ſummæ ejus ſanctitati repugnat.

311 OBJIC. I. Proverb. XVI. dicitur: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* ergo Deus quosdam poſitive ad pœnas creavit.

RESP. *Diſt.* impium creavit ad diem malum, *materialiter* condendo ejus naturam, & ſubtractione gratiæ efficacis permit-

mittendo peccatum, ut ex ejus pro meritis inflicta pœna reluceat gloria divinæ justitiæ. *conc. formaliter*, quasi Deus cogeret ad peccandum. *nego.*

Objic. II. Deus reprobos indurat & excæcat, ut dicitur Joan. XII. 39.: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum.* ergo Deus impios necessitat ad malum. 312

Resp. Deus indurat, non infundendo malitiam, sed non impertiendo gratiam, saltem efficacem: concedendo tamen sufficientem, cum qua potest duritiam evitare.

Objic. III. Actor. II. 23. dicitur, Judæos fuisse *prædefinitos* ad crucifigendum Christum. *Hunc*, ait Petrus, *definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis*: ergo datur prædestinatio ad malum culpæ & pœnæ. 313

Resp. *Definitum consilium* & traditio referri debet ad Christi redemptionem decretam, non vero ad peccatum Judæorum, quod Deus permisit, etiamsi simul gratias illis plurimas concesserit, magnisque miraculis ad fidem & pœnitentiam excitaverit.

Resolutio II. Causa reprobationis *ne-* 314

gativæ hominum non eſt ſola voluntas Dei, antecedens omne peccatum: 2. nec ſunt peccata hominis actualia: 3. ſed ſolum peccatum originale. Contra MOLINAM & rigidiores Thomiſtas.

PROB. I. pars. Reprobatio etiam *negativa* ſupponit odium Dei erga creaturam: ſic enim loquitur PAULUS Rom. IX. 13.: *Eſau autem odio habui*, & quidem ante omnia prævìſa peccata actualia, quæ ſunt cauſa reprobationis *poſitivæ*. Atqui *odium* Dei ſupponit in creatura peccatum. ergo reprobatio negativa ſupponit aliquod peccatum. *min. prob.* Sap. XI. 25.: *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti*: ergo Deus ſolum odit ea, quæ ipſe non fecit, ſed nihil non fecit, præter peccatum: ergo ſolum peccatum Deus odit: ergo Deus nullum reprobat ante prævìſum aliquod peccatum, quod patebit amplius ex probatione partis tertiæ.

315 PROB. II. pars. Eo reſpective modo facta eſt reprobatio *negativa*, quo prædeſtinatio intentiva: atqui hæc facta fuit ante merita perſonalia prævìſa: ergo etiam illa ante demerita actualia. *min.* ſupponitur ex cap. præced. *maj.* probatur. D. PAULUS, AUGUSTINUS & THOMAS de utraque loquuntur æqualiter & eodem inſtanti facta; eodem enim modo & in eo ſigno

gno reprobatus eſt Esau, quo prædeſtinatus fuit Jacob, id eſt ante prævifa bona vel mala opera: ſecus non potuiſſet Paulus præoccupare illam objectionem: videri Deum iniquum, reprobando ſine cauſa aliquem: nec potuiſſet pro reſponſo confugere ad inſcrutabilia Dei judicia, ſi reprobationis cauſam agnoviſſet peccata actualia: atqui ita ſibi objecit, & reſpondit D. Paulus epiſt. ad Rom. cap. VIII. IX. & X. *ergo.* &c.

Inde etiam oritur manifeſta ratio. Reprobatio etiam negativa, ſive ſit decretum poſitivum, quo Deus vult aliquos non eligere ad gloriam, aut mera omiſſio decreti prædeſtinantis, in eo ipſo ſigno fieri concipitur, quo fit electio ad gloriam; qui enim non eligitur, eoipſo reprobatur: *Erunt duo*, ait Chriſtus Matth. XXIV. 40. *in agro uno: unus aſſumetur, & alter relinquetur:* atqui in illo ſigno nulla videntur bona vel mala merita: ergo reprobatio negativa fit ante omnia peccata actualia.

Prob. III. pars principalis: S. Scriptu- 316
ra loquens de myſterio prædeſtinationis & reprobationis, ſupponit ubique communem aliquam maſſam perditionis generis humani, vi cujus omnes ſunt peccatores, privati jure regni; ut adeo aliqui inde liberentur ex ſola miſericordia:

Cæteri ibidem relinquantur ex justitia. Sed hæc massa non est ex peccatis actualibus, ut patet vel in solis parvulis, ante usum rationis defunctis: ergo est ex solo peccato originali. *maj. prob.* I. PAULUS Rom. IX. 20. ad explicandum hoc mysterium utitur comparatione figuli: *an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam.* II. Dum Paulus loquitur de extractione quorumdam e massa communi, eam semper in solam Dei misericordiam refundit; nam loco cit. illud ad Moysen dictum profert Exodi IX. 16.: *Miserebor, cujus miserebor, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

317 PROB. II. Præsules in Sardinia exulantes in epist. synodica sic loquuntur: „ Esau & Jacob nondum natis, Jacob per „ misericordiam gratuitam eligitur; Esau „ autem originali peccato detentus justo „ judicio Dei odio est habitus. „ De mente S. AUGUSTINI non potest dubitari; millenis enim locis reprobationis causam allegat, peccatum originale, ut ex cap. præced. colligitur & clarissime ex lib. de corrept. & gratia cap. 7. n. 12. „ Ac per „ hoc, qui Evangelium non audierunt, „ & qui eo audito in melius commutati „ perseverantiam non acceperunt. . . . & „ qui per ætatem parvulam credere non „ potuerunt, & qui non accepto lavacro „ mor-

„ morte perierunt , non ſunt ab illa
„ conſperſione diſcreti ; quam conſtat eſ-
„ ſe damnatam euntibus omnibus ex uno
„ in condemnationem . . . quicunque er-
„ go ab illa originali damnatione ipſa di-
„ vinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt . . .
„ usque in finem perſeverant ; . . . qui
„ vero perſeveraturi non ſunt , & ſic a
„ fide chriſtiana & converſatione lapſuri
„ ſunt . . . procul dubio nec illo tempo-
„ re , quo bene pieque vivunt , in iſto
„ numero computandi ſunt. Non enim
„ ſunt a maſſa illa perditionis præſcientia
„ Dei & prædeſtinatione diſcreti. „ De-
nique epiſtola 105. „ Quid oderat in
„ Eſau , antequam feciſſet aliquid mali,
„ niſi originale peccatum ? „

Prob. III. S. Thomas q. 6. de verit. 318
art. 2. ad 3. „ Dicendum , quod electio
„ Dei , qua unum eligit , & alium re-
„ probat , rationalis eſt ; nec tamen opor-
„ tet, quod ratio electionis ſit meritum ;
„ ſed in ipſa electione ratio eſt divina bo-
„ nitas. Ratio autem reprobationis eſt in
„ hominibus peccatum originale , ut dicit
„ Augustinus. „ Idem S. D. 2. 2. q. 2.
a. 5. ad 1. docet auxilium gratiæ efficacis,
maxime finalis , denegari in pœnam pec-
cati ſaltem originalis. „ Hoc auxilium,
„ inquit , quibuscunque divinitus datur,
„ miſericorditer datur : quibus autem
„ non datur , ex juſtitia non datur , in

„ pœnam præcedentis peccati ſaltem ori„ginalis, ut Auguſtinus dicit in Lib. de „ corrept. & grat. „

319 Prob VI. Ratione. I. Deus voluntate ſaltem *antecedente* vult omnes homines ſalvos fieri: ſed ſi ante præviſum omne peccatum ex ſola ſua voluntate vult aliquos excludere a gloria, tunc non cenſetur illos velle ſalvare, ſaltem *ſerio*: ergo nullum reprobat ante præviſum peccatum originale.

320 II. Homo ad æternam beatitudinem a Deo elevatus jus habet ad gloriam, ita ut ab eadem ſine ſua culpa excludi nequeat: ergo reprobatio *negativa*, quæ eſt excluſio a gloria, ſupponit aliquam culpam ſaltem originalem. *ant. prob.* ſi homo excluderetur ab æterna gloria, ad quam eſt conditus, eſſet ſumme miſer: ſed ſine ſua culpa homo ſub juſto Deo miſer eſſe non poteſt: ergo neque ſine ſua culpa excludi a gloria. *maj.* eſt certa, ſaltem inter illos Theologos, qui negant pro hoc ſtatu naturæ elevatæ beatitudinem mere naturalem, contra Semipelagianos & Moliniſtas; ſumma enim miſeria eſt pœna damni, ſeu, non conſequi finem tam nobilem & ſumme felicem, ad quem eſt conditus, & cujus habet vehementiſſimum deſiderium; ut enim

enim ait AUGUSTINUS de morib. Eccl. cap. 3. : *Qui appetit , quod adipiſci non poteſt, cruciatur,* Major confirmatur hoc dilemate pariter Auguſtiniano ſerm. 14. de verb. Apoſtoli cap. 6. homo excluſus a patria vel amat eam , vel non ? ſemper eſt miſer : „ ſi amatur, ait, patria ; magna „ pœna : ſi autem non amatur patria, „ pejor eſt cordis pœna. „ *min.* quoque ſyllogiſmi eſt S. AUGUSTINI in terminis l. 1. op. imperfecti : „ ſub Deo juſto miſer „ eſſe quisquam , niſi mereatur , non „ poteſt. „

III. Illud ſolum eſt cauſa reprobationis negativæ , quod eſt cauſa primi effectus reprobationis : ſed ſolum peccatum originale eſt cauſa primi effectus ; *ergo. min. prob.* primus effectus reprobationis eſt denegatio auxilii efficacis ad vocationem, juſtificationem & perſeverantiam. At ſolum peccatum originale eſt cauſa hujus denegationis, ex n. 318., & omnibus hactenus dictis. *ergo.* 321

OBJIC. I. Prædeſtinatio juxta Thomiſtas fit ante omne meritum : ergo etiam reprobatio ante omne peccatum. 322

RESP. *Diſt. conſ.* ante omne peccatum perſonale. *conc.* originale. *nego.* in hoc pares ſunt prædeſtinatio & reprobatio ; quod

quod utraque fiat ante præviſa merita vel demerita *perſonalia ;* attamen poſt originale peccatum , unde aliqui gratuito per merita Chriſti liberantur : reliqui juſto Dei judicio in maſſa damnationis relinquuntur.

323 OBJIC. II. Sola Dei voluntas cauſa eſt tam prædeſtinationis , quam reprobationis : juxta Rom. IX. 11. : *Cujus vult, miſeretur , & quem vult , indurat :* ergo fit ante omne peccatum etiam originale.

RESP. *Diſt.* ſola voluntas Dei eſt cauſa reprobationis negativæ *abſolute* ſpectatæ. *nego. comparative* ſpectatæ *conc.* reprobatio *abſolute* ſpectatur , ſi conſideratur genus humanum tanquam maſſa communis originali peccato infecta : *comparative* vero , ſi unus comparetur cum altero : ſi quæratur : quare hic prædeſtinetur , alter reprobetur ? quod ex ſola Dei voluntate dependet ; quia uterque erat in eadem maſſa ; quod autem aliquos indeterminate & abſolute reprobet , non ex ſola voluntate Dei , ſed ex peccato originali provenit.

324 OBJIC. III. Reprobatio , ſicut prædeſtinatio fundatur in mera Dei libertate & abſoluto dominio ; ita ut nulla ſit ratio movens ex parte hominis. ergo etiam reprobatio eſt ante peccatum. *Ant. prob.* Pau-

Paulus loc. cit. utitur comparatione figuli; ex eadem maſſa pro libitu facientis vas in honorem, vel contumeliam: etiamſi ex parte luti nulla in utramque partem ſit cauſa.

Resp. *nego. ant.* loquendo de reprobatione *abſolute* ſpectata, aut *diſt.* Paulus loquitur de figulo ex eadem maſſa, jam *contaminata. conc. pura. nego.*

Objic. IV. S. Augustinus una cum 325
Scriptura reprobationis negativæ aliquorum non aliam cauſam allegat, præter inſcrutabilia Dei judicia: ergo ſola Dei voluntas ante omne peccatum prævifum eſt cauſa reprobationis.

Resp. *diſt.* reprobationis negativæ *abſolute* ſpectatæ. *nego. comparative* ſumptæ. *conced.*

Objic. V. S. Thomas hic q. 23. a. 53. 326
ait: „ quare hos elegit in gloriam, & „ illos reprobavit, non habet rationem „ niſi divinam voluntatem.„ Ita quoque in I. ad Annibald. diſt, 41. q. un. a. 3. ergo ſola voluntas, non vero peccatum, eſt ratio reprobationis negativæ.

Resp. Eodem modo ut num. præced. ipſe enim D. Thomas hujus diſtinctionis fun-

fundamentum ſuppeditat. Nam lect. 4. in cap. IX. eipſt. ad Rom. : „ Conſide-
„ randum eſt , ait, quod circa electio-
„ nem bonorum & reprobationem malo-
„ rum duplex quæſtio moveri poteſt :
„ una quidem in generali, quare Deus
„ velit quosdam indurare, quorumdam mi-
„ ſereri ; alia vero in ſpeciali : &
„ poteſt quidem ratio hujus (primæ) quæ-
„ ſtionis aſſignari : ſecundæ autem non
„ poteſt aſſignari , niſi ſimplex Dei vo-
„ luntas : eodem modo loquitur in cap.
„ 6. Joan.

327 Objic. VI. Saltem in baptizatis non ſolum peccatum originale , ſed actuale finale eſt cauſa reprobationis negativæ. *ergo. ant. prob.* Illud non poteſt eſſe cauſa reprobationis, quod eſt remiſſum, atque deletum : atqui fidelibus originale peccatum eſt remiſſum per Baptiſmum : *ergo.* &c. *Maj. prob.* ex Apoſt. Rom. VIII. 1. : *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JEſu ;* quod Tridentinum ſeſſ. V. can. 5. explicat de baptizatis, & declarat, *Deum in renatis nihil odiſſe :* ſed ſi peccatum originale eſt cauſa damnationis reproborum fidelium, tunc Deus in baptizatis aliquid odit : ergo originale non eſt cauſa reprobationis fidelium, ſed peccata actualia.

Resp. *nego ant.* ad *prob. diſt. maj.* Illud non

non poteſt eſſe cauſa reprobationis *proxima*, quod eſt remiſſum, quoad omnes effectus, & quatenus prævidetur ut remiſſum. *conc. maj.* illud non poteſt eſſe cauſa ſaltem *remota*, quod eſt remiſſum quoad aliquos effectus, & quoad aliquos adhuc manet, & qua ante remiſſionem prævifum. *nego maj. diſt. min.* peccatum originale fidelibus eſt remiſſum quoad ſubſtantiam, & quatenus eſt peccatum afficiens perſonam, & quoad effectus proximos. *conc. min.* eſt remiſſum quatenus eſt afficiens totam naturam, & quoad aliquas pœnalitates. *neg. min.* & *conſeq.* peccatum originale, quatenus eſt infectio perſonæ propria, per Baptiſmum tollitur quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ: ſed quatenus eſt corruptio & infectio communis totius naturæ, in tantum etiam in baptizato habet aliquos effectus, pœnalitates, & conſectaria, uti eſt ignorantia, concupiſcentia, mors, morbi &c., quo etiam referenda eſt privatio juris, ac gratiæ efficacis, & doni ſingularis perſeverantiæ. Hæc autem omnia ſaltem *remotum* ſunt damnationis principium, etiam in fidelibus adultis, & per Baptiſmum minime ſublatum.

RESOLUTIO III. Permiſſio peccati actualis 328
nunquam remittendi, excæcatio, & induratio; denegatio doni perſeverantiæ, denique pœna damni & ſenſus, ſunt reprobationis effectus.

PROB.

Prob. I. Ut aliquid sit effectus reprobationis, requiritur I., ut sit a Deo, qui est causa efficiens reprobationis: II. ut conducat ad finem reprobationis, & quidem III. ex intentione Dei. Atqui hæ conditiones conveniunt effectibus enumeratis, non vero ipsi peccato, quod non est a Deo: neque peccati originalis permissioni; quia hæc reprobationem tanquam causa præcedit, ex dictis. Et hæc quidem de Deo, prædestinatorum remuneratore, & reproborum vindice, cujus *misericordiam & judicium* in æternum cantemus.

PRÆLECT-

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE DEO TRINO.

DEum, quem paulo ante ut UNUM in natura cum ſuis perfectionibus contemplandum propoſui, modo ut TRINUM in Perſonis, in eadem natura ſubſiſtentibus, prævio fidei lumine conſiderandum adgredior.

Equidem primarium hoc eſt Religionis Chriſtianæ myſterium, quo ab omnibus aliis ſectis teſſeræ adinſtar diſcernitur, de reliquo autem adeo profundum, humanæque rationi ſibi ſoli relictæ adeo impervium, ut mortalium nullus, donec in Patria

Deum videat, ut eſt in ſe, clare illud aſſequi valeat.

Enimvero lugubri experientia conſtat, quam multi Veteres juxta & Recentiores dum myſterii hujus immodica perveſtigatione Majeſtatem ſcrutari tentabant, gloria illius oppreſſi, atque in oppoſitos errores prolapſi fuerint.

Qui ſcopulos evadere cupit, infirmæ rationi non nimium fidat, oportet, ſed veluti præviam lucernam in loco caliginoſo lucentem, divinam revelationem ſequatur, ſeu in SS. litteris exaratam, ſive Patrum traditione, & Eccleſiæ Catholicæ auctoritate propoſitam, ut hac ratione ſcyllam inter atque charybdin medio tutiſſimus eat.

Fides autem catholica, ut compendio nos docet ſymbolum, S. Athanasii dictum, hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur, neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. . . . In hac Trinitate nihil majus, aut minus, ſed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.

In eo itaque conſiſtit SSS. Trinitatis ineffabile Myſterium, quod tres in una natura ſibi conſubſtantiales Perſonæ credantur exiſtere, quarum prima ſecundam, & hæc utraque ſimul tertiam producit, de quo per aliquot capita, in ſuos iterum diſtin-

distincta §§. sequentia pertractanda sunt. Cap. I. Ipsum dogma trium Personarum in una natura divina earumque consubstantialitas vindicabitur. II. agam de divinis Processionibus. III. de divinis Relationibus & Notionibus. IV. de essentia & proprietatibus Personarum in communi, earumque Missione. V. de divinis Personis in particulari, ac de modo loquendi circa SS. Trinitatem. Quod Deus benevertat.

CAPUT I.

De Trinitate Personarum in una Natura divina.

DIversos olim hæreticos ad oppositos scopulos a fide naufragasse, jam in limine monui. Alii enim *Personas confundebant*, in una natura non nisi unicam Personam sub diversis nominibus admittentes. Alii *substantiam separabant*, totidem statuentes substantias, seu naturas distinctas, quot personas, dicti propterea TRITHEITÆ. Alii divinitatem Filii, aut Spiritus S. ex instituto impugnabant. Horum errorum §. I. synopsin dabo. §. II. evincam, tres esse SS. Personas, realiter ab invicem distinctas, §. III. ejusdem tamen naturæ, & sibi consubstantiales, quod præcipue de Filio: & §. IV. de Spiritu S. ostendetur. §. V. patefaciam, Myste- 1

rium istud, eoquod rationem quidem transcendat, ei tamen non repugnet, haud equidem *positive*, sed solum *negative* demonstrari posse.

§. I.

Synopsis errorum circa dogma SS. Trinitatis.

2 EOrum, qui *personas confundebant*, primus refertur SIMON Magus, de quo legendus LUCAS Actor. VIII. quamquam ex hæreticorum albo eum nonnulli expungere malint, eoquod nullum Christo honorem habuerit, atque Samaritanis potius accensendus sit. Testibus autem S. IRENÆO & THEODORETO docuit, semetipsum esse, qui inter Judæos quidem quasi Filius apparuerit; in Samaria autem quasi Pater descenderit; in reliquis vero gentibus quasi Spiritus S. adventaverit. Secundum S. AUGUSTINUM vero lib. de hæres. cap. 1. „ dixerat, se in monte Sina legem Moysi „ in Patris Persona dedisse Judæis; tempo- „ re Tiberii in Filii Persona putative ap- „ paruisse; postea se in linguis igneis Spi- „ ritum sanctum super Apostolos venisse. „

3 MONTANISTÆ nonnulli, qui secundum Æschinem dicebantur, privatam hanc habebant blasphemiam, qua adjiciunt etiam hoc

hoc, Chriſtum ipſum eſſe Filium & Patrem, ut ſcribit Auctor de hæreſibus Cap. 52. poſt librum Tertulliani de præſcript.

De PRAXEA idem auctor ignotus Cap. 4
53. teſtatur eam introduxiſſe hæreſin a Victorino corroboratam, ut Deum Patrem omnipotentem JEſum Chriſtum eſſe diceret, huncque crucifixum, paſſumque contenderet, mortuum præterea, ſe ipſum ſibi ſedere ad dexteram ſuam. Praxeanis etiam HERMOGENIANOS Auguſtinus de hæreſ. Cap. 41. adjunxit.

Mediante ſæculo III. NOËTUS Smirnen- 5
ſis teſte S. AUGUSTINO de hæreſ. Cap. 36. dicebat, Chriſtum eundem ipſum eſſe Patrem, & Spiritum ſanctum. Ejus diſcipuli Noëtiani appellati, apud THEODORETUM Hæret. fabul. III. 3. „ Unum dicunt „ eſſe Deum & Patrem omnium opificem, „ latentem quidem quando voluerit, rur„ ſus autem operantem, quando placuerit, „ & eundem eſſe inviſibilem, & videri, „ & genitum, & ingenitum; ingenitum „ quidem ab initio, genitum autem, quan„ do naſci voluit ex Virgine: impatibilem „ & immortalem, rurſus patibilem & mor„ talem. Cum enim eſſet impatibilis, cru„ cis paſſionem ſua ſponte ſuſtinuit. Eum „ & Patrem & Filium nominant, prout „ uſus exegerit, vel hoc vel illud appel„ lantes.„

6 Circa idem fere tempus eundem errorem propagavit, Sabellius, Noëti discipulus, istique hæresi deinceps *Patripassianorum* nomen adhæsit, eoquod teste S. Augustino Tract. 36. in Joan. dicant, ipsum Patrem passum fuisse. „ Horum ut „ scribit S. Epiphanius hæresi 62. hæc opi- „ nio est: Eundem esse Patrem & Filium „ & Spiritum S. ut ad eandem hyposta- „ sin (personam) tres appellationes con- „ veniant. Aut perinde atque in uno ho- „ mine corpus, anima, & spiritus inest, „ ita ut corporis instar sit Pater, animæ „ filius, Spiritus denique in ipsa di- „ vinitate humani Spiritus instar habeatur. „ Quod & solis similitudine declarant; in „ quo cum una sit hypostasis, triplex ni- „ hilominus actus est, nimirum illustran- „ di vis, & calefaciendi, & orbicularis „ figura. Ac vim quidem illam calefaci- „ endi, hoc est calorem atque æstum, „ Spiritui respondere, illuminandi vero „ vim Filio, Patrem denique totius hy- „ postasis velut quamdam esse formam. „

7 Eundem errorem Paulo Samosateno, Antiochiæ Episcopo tribuit Epiphanius hæresi 67. „ Est autem illius, inquit, hæc „ opinio. Deum Patrem & Filium & Spi- „ ritum S. unum esse Deum. Verbum Dei „ ejusque Spiritum inesse Deo perpetuo, „ sicut hominis in corde proprium ver- „ bum inesse cernimus. Filium Dei sub-

„ sisten-

„ ſiſtentiam habere per ſeſe nullam, ſed
„ in Deo ſubſiſtere; id quod Sabellio quo-
„ que placuit, & Noëto, aliisque non-
„ nullis. . . . Ad hæc Dei verbum in ter-
„ ram delapſum, in JEſu, qui homo me-
„ rus eſſet, habitaſſe. Ita unus, inquit il-
„ le, Deus eſt.„

8 Paulo Samoſateno Photinum, Epiſcopum Sirmienſem propter erroris communionem ſtatim ſubjungit S. Augustinus hæreſ. 45., & Marcellum Ancyranum, Photini Magiſtrum, in eundem cenſum refert Theodoretus hæret. fabul. II. 10. ita ſcribens: „ Marcellus autem Galata
„ Sabellio quidem conſimiliter negavit Tri-
„ nitatem Perſonarum: quamdam autem
„ extenſionem Patris dicebat ad Chriſtum
„ veniſſe, & eam vocabat Deum Verbum.
„ Spiritum autem ſanctum dixit eſſe exten-
„ ſionem extenſionis (ad modum ceræ li-
„ quefactæ) & eam Apoſtolis eſſe exhi-
„ bitam: & omnino exiſtimabat, Trinita-
„ tem & extendi & contrahi pro conſilio-
„ rum & œconomiarum diverſitate.„

9 Agmen hæreticorum, qui perſonas confundebant, claudunt Priscillianistæ, quos ut ſcribit S. Augustinus hæreſ. 70. „ in
„ Hiſpania Priſcillianus inſtituit, & Gnoſti-
„ corum ac Manichæorum dogmata per-
„ mixta ſectantur. Quamvis & ex aliis
„ hæreſibus in eas ſordes tamquam in

 „ ſen-

„ sentinam quamdam horribili confusione „ confluxerint. . . De Christo Sabellianam „ sectam tenent, eundem ipsum esse di„ centes, non solum Filium, sed etiam „ Patrem, & Spiritum sanctum. „

10 Sed & posteriora Saecula suos protulerunt Anti-Trinitarios, quorum antesignanus merito praedicatur Michael SERVETUS, natione Hispanus, professione Medicus, propter suam in impietate pertinaciam, agente praesertim CALVINO, vivus Genevae combustus. Docuit autem *primo*, omnes, qui Trinitatem statuunt in essentia Dei, esse Tritheitas, veros Atheos, nec Deum habere nisi tripartitum & aggregativum. 2. Tres illas res incorporeas distinctas in Dei unitate non posse stare, & esse triadem imaginariam. 3. non esse inter verbum & spiritum realem differentiam. Nullam fuisse in Deo realem generationem vel spirationem.

11 Sectatores blasphemiarum plures habuit SERVETUS, atque in primis VALENTINUM GENTILEM, Neapolitanum, cujus ista erat errorum summa: tria concurrere in Trinitate, essentiam, quae dicitur Pater; Filium, & Spiritum S. Patrem esse unicum illum Deum Israel, Deum legis & Prophetarum, solum verum Deum, Essentiatorem, Filium essentiatum, & precario Deum: Sophisticum esse commentum attri-

tribuere Patri propriam Perſonam in eſſentia Deitatis: Qui id aſſerunt, quaternitatem, non Trinitatem agnoſcere &c.

Prætereo Georgium Blandratam, Joannem Paulum Alciatum, Bernardinum Ochinum, Franciſcum Davidis, omnes Anti-Trinitarios, & ſolos commemoro SOCINIANOS hac etiam ætate famoſos, qui cum nihil credere velint, quod ratione naturali comprobari non valet, etiam in eſſentia divina unicam eſſe perſonam docent; implicare enim contradictionem arbitrantur, unum eſſe Deum, & plures in eo perſonas: iſtam diſtinctionem (unus in eſſentia & trinus in Perſonis) nec exſtare in SS. litteris, & rationi ac veritati repugnare. Hinc & Chriſtianos Trinitatem adorantes cerberi tricipitis adoratores per irriſionem calumniantur. Filium Dei non proprie ſed metaphorice vocari Deum ob ſublimem poteſtatem ab illo uno & vero Deo participatam. Chriſtum verum, non tamen merum eſſe hominem, ſed divina filiatione ab ortu inſignitum. Spiritum S. non eſſe perſonam diſtinctam, ſed virtutem & efficientiam Dei &c., de quibus poſt alios legendus Cardinalis GOTTI Verit. Relig. Chriſt. Tom. VII. parte V. cap. 115. 12

Hæreticorum, qui SS. Trinitatis *ſubſtantiam ſeparabant*, catalogum texere, longiuſculum foret. Quare hic illos præter- 13

mittam, qui triginta cum VALENTINO AEònas, aut cum CERDONE & MARCIONITIS duo finxerunt principia æterna, ſed plane oppoſita, unum natura bonum, alterum malum, quæ & MANICHÆI ſtatuebant, præterea autem & Trinitatem, perverſo tamen ſenſu docentes. Ita enim FAUSTUS, inſignis ſectæ hujus propugnator fidem ſuam profitetur apud S. AUGUSTINUM lib. 20. contra Fauſtum Cap. 2. „ Nos, inquit, „ Patris quidem Dei omnipotentis, & „ Chriſti Filii ejus, & Spiritus ſancti unum „ idemque ſub triplici appellatione colimus Numen „ ſed mox ſubjungit: „ „ Patrem quidem ipſum lucem incolere „ credimus ſummam ac principalem, quam „ Paulus alias inacceſſibilem vocat; Filium „ vero in hac ſecunda ac viſibili luce conſiſtere; qui quoniam ſit & ipſe geminus, ut eum Apoſtolus novit, Chriſtum dicens eſſe Dei virtutem & Dei „ ſapientiam, virtutem quidem ejus in ſole habitare credimus, ſapientiam vero „ in luna: nec non & Spiritus ſancti, „ qui eſt Majeſtas tertia, aeris hunc omnem ambitum ſedem fatemur ac diverſorium, cujus ex viribus ac ſpiritali „ profuſione terram quoque concipientem „ gignere patibilem JEſum, qui eſt vita „ & ſalus hominum. „ E quibus facile colligitur, non unius ejusdemque ſubſtantiæ, ſed plane diverſæ tres Perſonas ab illis fuiſſe admiſſas.

Eodem fere ſæculo III. alios quosdam, 14
nullius tamen nominis, Dionyſius Alexandrinus commemorat in Ægypto graſſantes, Sabellianis e diametro oppoſitos, „ qui dividunt & ſecant & evertunt religioſiſſimum dogma Eccleſiæ Dei, Monarchiam in tres quasdam virtutes partientes, & diviſas hypoſtaſes, ac Deitates tres. . . . qui ex diametro, ut ſic dicam, pugnant cum Sabellii placitis. „ Hic enim blasphemat, Filium ipſum eſſe Patrem, & e converſo Patrem eſſe Filium. At iſti tres quodammodo Deos prædicant, dum ſanctam monadem dividunt in tres hypoſtaſes peregrinas, a ſe invicem plane ſeparatas. „ Forte per *hypoſtaſes* Dionyſius intelligit *ſubſtantias*, quod olim apud Patres non erat infrequens.

Erant alii ſæculo IV., qui communem 15
quamdam divinitatem & ſubſtantiam comminiſcebantur, cujus unam partem obtineat Pater, aliam Filius, & aliam Spiritus S. apud S. Hilarium lib. 6. de Trinit. Alii, quorum meminit S. Basilius M. epiſt. ad Epiſcopos Galliæ & Italiæ, unum fatebantur ſupremum Deum, Filium minorem, Spiritum S. creaturam. Alios recenſet S. Augustinus de hæreſ. Cap. 58. dictos Metangismonitas, qui Filium ita dicebant eſſe in Patre, ut vas minus in majore.

Alii triformem faciebant Deum, ut quædam pars ejus ſit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus S. Hoc eſt, quod Dei unius partes ſint, quæ iſtam faciunt Trinitatem, velut ex his tribus partibus compleatur Deus, nec ſit perfectus in ſe ipſo vel Pater, vel Filius, vel Spiritus S. apud S. AUGUSTINUM de hæreſ. Cap. 74. Haud aliter APOLLINARIUS, qui teſte GREGORIO Nazianzeno epiſt. 1. ad Cledonium, Trinitatem ex magno, majore, & maximo conflavit.

16 Sæculo VI. commemorantur TRITHEITÆ auctore Joanne PHILOPONO, inſigni grammatico & philoſopho, qui unam ſtatuebant in Deo naturam communem, ſed in tribus Perſonis numero diviſam.

17 Sæculo XI. ROSCELINUS, inſignis dialecticus de ſecta Nominalium, negabat ullo modo intelligi poſſe, quomodo Filius Dei humanam carnem aſſumere potuerit, non vero Pater & Spiritus S. niſi ſtatuatur, tres in Deo perſonas eſſe tres Res, ſeu naturas ſeparatim exiſtentes, quales ſunt tres angeli, & tres animæ, quamvis una trium rerum voluntas ſit & potentia. Itaque vere tres Deos dici poſſe, ſi uſus ferret. Ita S. Anſelmus lib. de fide Trinit. & epiſt, 35.

18 Sæculo XIII. floruit JOACHIM, Florenſis in Calabria Monaſterii Abbas, non bene capi-

capiens verba Magiſtri ſententiarum (*quoniam quidem ſumma res eſt Pater & Filius, & Spiritus S., & illa non eſt generans, neque genita, neque procedens*) prædictam doctrinam hæreticam reputavit, imponens ei, quod quaternitatem induceret in divinis, ponens tres Perſonas, & communem eſſentiam, quam credebat ſic poni a Magiſtro Petro, quaſi aliquid diſtinctum a tribus Perſonis, ut ſic poſſit dici quaſi quartum. Credebat enim, quod ex hoc ipſo, quod dicitur, eſſentia divina nec eſt generans, nec genita, nec procedens, diſtinguatur a Patre, qui generat, & a Filio, qui generatur, & a Spiritu S., qui procedit. Et ideo ipſe Joachim proteſtatur, quod in divinis non eſt aliqua res una, quæ ſit Pater, & Filius, & Spiritus S., ſive res illa dicatur ſubſtantia, ſive eſſentia, ſive natura; (his enim tribus nominibus idem intelligimus) ſed ne videretur totaliter a fide Nicænæ Synodi recedere, concedebat, quod Pater, & Filius, & Spiritus S. ſunt una eſſentia, una ſubſtantia, aut natura, quaſi una eſſentia poſſit prædicari de tribus Perſonis, ut dicamus, tres Perſonæ ſunt una eſſentia, non autem e converſo, ut dicatur, una eſſentia eſt tres Perſonæ, ſed in hoc ipſo, quod concedebat tres Perſonas eſſe unam eſſentiam &c. non habebat ſanum intellectum. Non enim putabat unitatem eſſentiæ trium Perſonarum eſſe veram, realem,

lem, & ſimplicem, ſed quaſi ſimilitudinariam, & collectivam, id eſt, quaſi ex pluribus congregatam, ſicut multi homines dicuntur unus populus, & multi fideles dicuntur una Eccleſia. Ita narrat auctor opuſculi 24. S. Thomæ Aquinati adſcripti. Sed iſte Joachimi error a Concilio Lateranenſi IV. proſcriptus fuit. vid. Cap. 2. de S. Trinitate.

§. II.

Vindicatur Trinitas Perſonarum.

19 Resolutio. Tres ſunt in Deo Perſonæ, non nomine ſolum aut operatione, ſed re ipſa diſtinctæ. Eſt dogma Chriſtianum, contra omnes hæreticos, qui Perſonas confundebant.

Prob. I. e veteri Teſtamento. Quamvis enim Judæorum vulgo myſterium iſtud fere incognitum, nec omnibus *explicite* revelatum fuerit, ut oſtendi in diſſertatione *de diſciplina arcani* P. I. §. VI. nonnulla tamen exſtant loca, quæ pluralitatem Perſonarum demonſtrant, ſaltem accedente nunc explicita novi Teſtamenti revelatione, & Eccleſiæ traditione; ſic Geneſ. I. 1. legitur: *In principio creavit Deus.* (hebraice *Elohim, Dii*) *cœlum & terram,* ubi per verbum *creavit*, una natura, per *Elo-*

Elohim, quod eſt pluralis numeri, pluralitas Perſonarum deſignatur.

Ibidem 26. dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Quæ verba THEODORETUS quæſt. 19. in Geneſ. hunc in modum exponit: „ Dum dixit, *faciamus*, numerum expreſſit Perſonarum: dum dixit, *ad imaginem*, eandem naturam oſtendit. „

Item Geneſ. III. 22. de Adamo quamdam antea divinitatem affectante, ſed per ſerpentem fœde deluſo, & tunica pellicea nuditatem veſtito per ironiam dicit Deus: *Ecce Adam quaſi unus ex* NOBIS *factus eſt &c.* ubi Deus quidem unus, ſed de pluribus æqualibus Perſonis (*unus ex nobis*) loquitur.

Idem plane argumentum peti ſolet ex illis Geneſ. XI. 5. 7. Dei verbis: *Deſcendit Dominus, ut videret civitatem & turrim* (Babylonicam) *quam ædificabant filii Adam* . . . *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum &c.*; & ex illis ab Iſaia Cap. VI. relatis: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* utroque in loco per to *deſcendit*, & *mittam*, unitas naturæ: per verba autem, *deſcendamus*, & *nobis*, Perſonarum numerus deſignatur.

PROB. II. aliis V. T. aſſertis, ubi duæ, 20
imo tres diſtinctæ, ſed omnino æquales

Per-

Personæ exprimuntur. Psal. XLIV. 8.: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te* (Messia) *Deus, Deus tuus* (Pater) *oleo lætitiæ* (Spiritus S. gratia) *præ consortibus tuis.* Psalm. CIX. 1. *dixit Dominus Domino meo*, quæ verba de Deo Patre, & Filio æquali Messia Christus ipse exposuit, suamque divinitatem Pharisæis demonstravit XXII. 24. Psalm. XXXII. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, ubi per *Dominum* Pater, per *verbum*, Filius, per *Spiritum* oris Spiritus sanctus nonnullis indigitari videtur; est enim ibi sermo de creatione, quæ ceu opus ad extra, toti Trinitati communis est.

21 Prob. III. e novo Testamento cum Christus Baptismum in Jordane a Joanne susciperet, *apertum est cælum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & vox de cælo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Luc. III. 21. ubi *Pater* exprimitur in voce, *Filius* præsens erat in natura, & *Spiritus S.* in specie columbæ.

Idem dogma colligitur ex forma Baptismi a Christo instituti Matth. ultimo, ubi præcipitur Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Quibus quidem verbis tres personæ singillatim in unitate na-

naturæ exprimuntur; quia, uti ratiocinabantur SS. Patres adverſus Arianos, non dixit Chriſtus *in nominibus*, ſed in *nomine*, ad identitatem ſubſtantiæ deſignandam.

Plurimis aliis in locis Chriſtus non ſolum ſuam divinitatem aperte demonſtravit, ſed Patrem quoque ſuum Deum eſſe teſtatus eſt, & Spiritum veritatis, ſeu qui per eſſentiam eſt verax, mittere promiſit, atque adeo tres in Deo perſonas clariſſime expreſſit.

Prob. IV. e famoſis illis verbis I. Joan. 22
V. 4. ſeq. „ Omne quod natum eſt ex „ Deo, vincit mundum: & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam JEſus eſt Filius Dei. Hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem, JEſus Chriſtus, non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. (in Baptiſmo, & paſſione) & Spiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas. *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, &* HI TRES UNUM SUNT. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: ſpiritus, & aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt. Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt; quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod majus eſt, quoniam teſtatus eſt de filio ſuo. Qui credit Fili-

„ um Dei, habet teſtimonium Dei in ſe.
„ Qui non credit Filio, mendacem facit
„ eum: quia non credit in teſtimonium,
„ quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.
„ Et hoc eſt teſtimonium, quoniam vi-
„ tam æternam dedit nobis Deus: & hæc
„ vita in Filio ejus eſt. Qui habet Filium,
„ habet vitam: qui non habet Filium,
„ non habet vitam. Hæc ſcribo vobis, ut
„ ſciatis, quoniam vitam habetis æternam
„ (in ſpe) qui creditis in nomine Filii
„ Dei.„ Hoc eſt illuſtre illud teſtimonium, quod tantopere torquet Socinianos, quod ideo ſecundum integrum contextum apponere volui, ut de ſcopo Apoſtoli facilius judicarent lectores. Erat autem ejus intentio, rectam eſſe eorum fidem atque ſalvificam, qui credunt, Chriſtum non ſolum verum hominem, ſed & verum Deum eſſe; cum enim in ore trium ſtet omne verbum, tres in cælo teſtantur, Chriſtum eſſe Deum, & horum teſtimonium veriſſimum eſt, qui tres unum ſunt. Sed & tres in terra teſtantur, videlicet Spiritus, quem Chriſtus in cruce emiſit, ſanguis, & aqua, quæ fluxit e latere ejus, verum eundem fuiſſe hominem, non phantaſticum.

23 Ut autem teſtimonium iſtud eludant, varia reſpondent non Sociniani modo, ſed & Richardus Simonius e Congregatione Oratorii Gallicani Presbyter, in ſua hiſto-

ſtoria Critica textus N. T. ac I. quidem, verſum ſeptimum non eſſe ab ipſo Apoſtolo ſcriptum, ſed ſerius ab aliquo, forte HIERONYMO, intruſum, quod inde evincere conantur, quia 1. Eccleſiæ Orientales in ſuis verſionibus eum non habent. 2. Quia Patres adverſus Arianos pro tuenda filii conſubſtantialitate agentes eodem uſi non fuerunt. 3. Quia deeſt in pluribus codicibus latinis & græcis, cum manuſcriptis, tum impreſſis.

CONTRA eſt. I. Orientalibus Eccleſiis 24
præferri utique debent latinæ, & græcæ, numero atque authoritate potiores, quæ concorditer iſtum verſiculum legunt, præſertim quod haud paulo recentiores ſint illæ Orientalium verſiones. Sed & dudum ante Hieronymum verſiculum illum allegarunt Tertullianus & Cyprianus, ut mox oſtendam.

CONTRA eſt II. Ex argumento mere ne- 25
gativo, quando eidem opponi poſſunt poſitiva, nihil evinci, Critici jam fere conſentiunt. Liberum erat SS. Patribus, quibus argumentis & textibus Scripturæ ad dogma probandum uti vellent. Forte autem Patres illi in ejusmodi inciderant codices, in quibus amanuenſium incuria verſiculus ille ſeptimus deerat; facile enim fieri potuit, ut poſtquam aliquis deſcripſiſſet hæc verba verſiculi ſeptimi: *Tres*

ſunt, qui teſtimonium dant, fugitivo oculo delaberetur ad illa verſus ſequentis, *in terra, ſpiritus & aqua, & ſanguis*, prætermiſſis intermediis *in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S.* De qua quidem amanuenſium oſcitantia conqueritur auctor præfationis in epiſtolas canonicas; qui licet forte non ſit Hieronymus, pervetuſtus tamen eſt, eoquod in codicibus ante 900. annos exaratis reperiatur. Sic autem ille loquitur tomo X. operum Hieronymi pag. 1057. edit. noviſſ. Veronenſis. „ Quæ (epiſtolæ) ſi ut ab eis digeſtæ ſunt, ita quoque ab interpretibus fideliter in latinum verterentur eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec ſermonum ſeſe varietas impugnaret, illo præcipue loco, ubi de unitate Trinitatis in prima Joannis epiſtola poſitum legimus. In qua etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum eſſe a fidei veritate comperimus, trium tantum vocabula, hoc eſt, aquæ, ſanguinis, & ſpiritus, in ſua editione ponentes; & Patris, Verbique, ac ſpiritus teſtimonium omittentes, in quo maxime & fides Catholica roboratur, & Patris, & Filii ac Spiritus ſancti una divinitatis ſubſtantia comprobatur. „ Sicut autem non deſunt codices, in quibus prætermiſſus eſt verſiculus octavus de teſtimonio in terra, exſtat autem verſus ſeptimus, ita mirum non eſt, in aliis excidiſſe verſum ſeptimum.

Iſtud

Iſtud præterea a veritate omnino abludit, primorum ſæculorum Patribus verſiculum iſtum fuiſſe incognitum, aut nunquam ab illis contra Arianos allegatum: citavit illum I. TERTULLIANUS libro contra Praxeam Cap. 25. „ connexus, inquit, Pa- 26
„ tris in Filio, & Filii in Paracleto tres „ efficit cohærentes, alterum ex altero, „ *qui tres unum ſunt non unus* ; quomodo „ dictum eſt : *ego & Pater unum ſumus*, „ ad ſubſtantiæ unitatem, non ad nume- „ ri (perſonarum) ſingularitatem. „

II. S. CYPRIANUS epiſt. ad Jubajanum de 27
baptizato ab hæreticis ita ſcribit: „ Si „ peccatorum remiſſam conſecutus eſt, & „ ſanctificatus eſt, & templum Dei factus „ eſt, quæro, cujus Dei? Si Creatoris; „ non potuit, quia in eum non credidit. „ Chriſti; nec hujus fieri poteſt tem- „ plum, qui negat Deum Chriſtum. Si „ Spiritus ſancti; cum TRES UNUM SINT, „ quomodo Spiritus ſanctus placatus ei eſ- „ ſe poteſt, qui aut Patris, aut Fi- „ lii inimicus eſt? „ clarius autem libro de unitate Eccleſiæ. „ Dicit Dominus, ego „ & Pater unum ſumus. „ & iterum de Patre & Filio & Spiritu ſancto (non de Spiritu, ſanguine & aqua, ut exponunt Sociniani, ſed) de Patre & Filio & Spiritu ſancto ſcriptum eſt I. Joan. V. 7.: *Et hi tres unum ſunt.*

28 III. S. FULGENTIUS Ruſpenſis Epiſcopus non modo ſæpius hunc verſum ceu Joannis Apoſtoli laudat, ut lib. de Trinit. Cap. 4. In opere contra Pintam Epiſcopum Arianum, ſed & S. Cyprianum eodem textu uſum fuiſſe teſtatur in reſponſ. ad objection. X. Arianorum. „ In Patre ergo, „ inquit, & Filio & Spiritu ſancto unitatem ſubſtantiæ accipimus, Perſonas confundere non audemus; Beatus enim Joannes Apoſtolus teſtatur dicens, *Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & tres unum ſunt.* Quod etiam beatiſſimus Martyr Cyprianus in epiſtola de unitate Eccleſiæ teſtatur dicens: Qui pacem Chriſti rumpit, adverſus Chriſtum facit. „ Atque ut unam Eccleſiam unius Dei eſſe monſtraret, hæc confeſtim teſtimonia de Scripturis inſeruit: dicit Dominus, Ego & Pater unum ſumus: & iterum de Patre & Filio & Spiritu ſancto ſcriptum: *& tres unum ſunt*: „ ita Fulgentius ſæc. VI.

29 IV. Ante Fulgentium autem ſæculo V. ad finem vergente EUGENIUS Epiſcopus Carthaginenſis in fidei profeſſione, quam ſuo, omniumque Africæ, Mauritaniæ, Sardiniæ & Corſicæ Epiſcoporum, numero 400. nomine Henrico Wandalorum Regi Ariano obtulit, eundem verſum allegavit apud Victorem Vitenſem, alias Uti-

cen-

censem, de persecutione Wandalica lib. 3. „ Et ut adhuc, ajunt, luce clarius
„ unius divinitatis esse cum Patre & Fi-
„ lio Spiritum sanctum doceamus, Joannis
„ Evangelistæ testimonio comprobatur; ait
„ namque : *Tres sunt, qui testimonium per-*
„ *hibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spi-*
„ *ritus sanctus: & hi tres unum sunt.* „

Superessent adhuc alii auctores e sæculo IV. & sequentibus commemorandi, quorum testimonia indicata videri possunt apud CALMETUM in singulari ad hunc Joannis locum dissertatione : atque hoc unum addo, CASSIODORUM diligentissimum sæculo VI. sacrorum Codicum conquisitorem in suis *complexionibus* commemorare. E quibus omnibus consequitur, non solum Ecclesias Africanas, sed Romanam quoque, cui addictus erat CASSIODORUS, in suis Codicibus versiculum istum legisse. 30

CONTRA est III. Catholicorum nemo negat, in multis Codicibus istum, de quo sermo est, versiculum desiderari; sed & Adversarii inficiari nequeunt, in multis antiquissimis non in margine solum, sed in ipso contextu exstare, de quo post alios idem legendus CALMETUS. Certe enim, ut alios taceam a diversis auctoribus commemoratos, uterque versus, inverso licet ordine, legitur in pervetusto Codice Ecclesiæ Toletanæ, nongentos annos supe- 31

 ran-

rante, apud D. P. Josephum BIANCHINUM in Vindiciis Canonicarum Scripturarum Tom. I. pag. CCIII. editionis Romanæ de anno 1740. his verbis: „ Quia tres sunt, „ qui testimonium dant in terra, spiri- „ tus, & aqua, & sanguis; & hi tres unum „ sunt in Christo JEsu. Tres sunt, qui „ testimonium dicunt in cælo, Pater, „ Verbum, & Spiritus, & hi tres unum „ sunt. „

32 Sed & ipse contextus verborum JOANNIS manifeste declarat, duplex testimonium, cæleste, & terrestre ab eo præmissum fuisse; dicit enim versu nono: *Si testimonium hominum* (trium in idem conspirantium) *accipimus, testimonium Dei majus est.* Itaque evidenter supponit, divinum quoddam testimonium a se prius allegatum fuisse, quod Christo, ut Dei Filio, præstitum in cælo fuit: quemadmodum a terra testimonium suæ humanitatis accepit per spiritum, aquam, & sanguinem. Verum ista pluribus pertractare non patiuntur instituti limites.

33 RESPONDENT Sociniani II. permissa etiam authentica versiculi septimi, inde tamen nullatenus demonstrari trium Personarum in eadem natura consubstantialitatem; quamvis enim versu octavo eodem modo dicatur de spiritu, aqua, & sanguine: *Hi tres unum sunt*: inde nullatenus sequi-

ſequitur, unius eſſe naturæ atque ſubſtantiæ: ergo id neque e verſu antecedente ſequitur, ſed hoc ſolum, quod tres ſint unum, unitate conſenſus, idem atteſtantes.

34 Contra eſt I. Hoc loco magis agitur de divinarum Perſonarum diſtinctione, quæ ex trium teſtimonio evincitur, quam de earum conſubſtantialitate, quæ poſtea pertractabitur.

35 Contra eſt II. Si græcam verſus octavi lectionem attendere velimus, ſtatim apparet diſparitas: dicit enim: *Hi tres in unum ſunt*, ſeu in unum conſpirant, ſive, ut habet Codex Toletanus n. 31.: *hi tres unum ſunt in Chriſto JEſu*, quoad naturam humanam è corpore & anima conſtantem; in verſu autem ſeptimo conſtanter legitur: *hi tres unum ſunt.* Cum etiam aliunde repugnet, ſpiritum cum aqua & ſanguine ceu materia & corpore eandem naturam conſtituere; hinc quisque facile intelligit de unitate ſubſtantiali in verſu octavo ſermonem eſſe non poſſe. Verſiculum autem ſeptimum, ubi de trino Spiritu agitur, de unitate non ſolum *morali*, ſed *naturali* Eccleſia conſtanter expoſuit.

36 Prob. V. Traditione SS. Patrum, & auctoritate Eccleſiæ Univerſalis. Et quidem quod Patres poſt Concilium Nicænum at-

 tinet,

tinet, fatentur Sociniani illos noſtræ ſententiæ eſſe addictos, a fide tamen apoſtolica Patrum ante-Nicænorum deflexiſſe arbitrantur: in quo certe falluntur, aut fallunt; clara enim a primo ſæculo ſuperſunt teſtimonia pro iſto dogmate. Sic I. Presbyteri & Diaconi Achaiæ, qui acta martyrii S. Andreæ Apoſtoli Eccleſiis perſcripſerunt, cujus epiſtolæ græcum textum pro deperdito plurimis creditum e tenebris nuper eruit Clar. WOOGIUS SS. antiquitatum Lipſiæ Profeſſor, hunc in modum iſtum articulum ceu fundamentalem profitentur pag. 235. noviſſ. edition. græco-latinæ Lipſienſis de an. 1749. „ Pax „ vobis & omnibus, qui credunt in unum „ Deum, perfectum in TRINITATE, ve„ rum Patrem, qui genuit, verum Fi„ lium unigenitum, verum Spiritum ſan„ ctum procedentem ex Patre, & in Fi„ lio permanentem, ut intelligatur, unum „ eſſe Spiritum ſanctum in Patre & Filio, „ & eundem eſſe unigenitum Filium, qua„ lis & eſt, qui genuit eum. Hanc re„ gulam fidei didicimus a S. Andrea Apo„ ſtolo &c. „ plura de his actis dixi in hiſtoria theologiæ chriſtianæ ſæc. I. pag. 187.

37 II. Eodem ſæculo I. CLEMENS I. R. P. in epiſtola I. ad Corinthios, quam genuinam Critici pene omnes venerantur, eandem perſonarum Trinitatem diſerte tradit p. 42. apud COTELERIUM Patrum Apoſtol.

vol.

vol. I. pag. 171. Edition, Amſtelodam. „ Apoſtoli, inquit, nobis evangelizave„ runt a Domino JEſu Chriſto, Chriſtus „ a DEO, & Apoſtoli a CHRISTO „ Itaque acceptis mandatis & certo per„ ſuaſi per Reſurrectionem Domini noſtri „ JEſu Chriſti, & in fide confirmati per „ Verbum Dei cum SPIRITUS SANCTI ple„ nitudine . . & n. 46. ut quid inter vos „ ſunt contentiones, iræ, diſſenſiones, „ ſchismata & bellum? Nonne unum DE„ UM habemus, & unum CHRISTUM, at„ que unus eſt SPIRITUS gratiæ, qui effu„ ſus eſt ſuper nos? „ utroque in loco tres perſonas commemorat.

III. Hymnus ille *glorificationis*, δοξολογία 38 brevior his verbis comprehenſus: *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto in ſæcula ſæculorum Amen*, alter longior: *gloria in Excelſis* Deo &c. ad ipſa chriſtianæ Eccleſiæ initia referri ſolet, de quo legi meretur BINGHAM vol. V. pag, 128. & Vol. VI. pag. 29., SUICERUS in theſauro V. δοξολογία, & SMITH in miſcellaneis pag. 123. Sed & S. IGNATIUS Antiochenus SOCRATE referente hiſtor. eccleſ. lib. VI. Cap. 8. „ Vidit aliquando Angelos hymnis al„ ternatim decantatis ſanctam TRINITATEM „ celebrantes, & canendi rationem, quam „ in illa viſione animadverterat, Eccleſiæ „ Antiochenæ tradidit: unde iſta traditio „ ad omnes poſtea Eccleſias promanavit.„

Ut

Ut adeo dogma iſtud trium perſonarum cum ipſa voce τριάδος *Trinitatis* chriſtianis jam primo ſæculo creditum fuerit.

39 E Sæculo II. plurima commemorare poſſem teſtimonia; ſed hæc pauca ſufficiant, illuſtria tamen: reliquis ſuo tempore in *Hiſtoria Theologiæ chriſtianæ ſæcul. II.* recenſendis.

I. S. Ignatius M. in epiſtola ad Magneſianos n. 13. tres Perſonas diſtinctas recenſet his verbis: „ Studete igitur, ut confirmemini in dogmatibus Domini & Apoſtolorum, ut omnia quæ facitis, proſpere vobis ſuccedant, carne & ſpiritu, fide & charitate, in Filio, & Patre, & Spiritu S. in principio & fine. . . . Subjecti eſtote Epiſcopo & vobis mutuo, ut JEſus Chriſtus Patri ſecundum carnem, & Apoſtoli Chriſto & Patri & Spiritui: ut unio ſit & carnalis & ſpiritualis. „

40 II. Eccleſia Smyrnensis in epiſtola encyclica de Martyrio S. Polycarpi apud Ruinart in actis ſinceris SS. Martyrum pag. 43. hunc Sanctum paulo ante ſuum agonem hunc in modum precatum fuiſſe teſtatur: „ Quapropter de omnibus laudo te (Deus omnipotens) benedico te, glorifico te, cum ſempiterno & cæleſti JEſu Chriſto, dilecto tuo Filio,

„ cum

„ cum quo Tibi & Spiritui ſancto gloria, „ & nunc, & in futura ſæcula. Amen. „ Hic eadem glorificatio & cultus latriæ tribus Perſonis a Viro apoſtolico tribuitur. Ipſa autem Eccleſia Smirnenſis epiſtolam ſuam ita concludit loc. cit. pag. 45. „ Valere vos optamus fratres, ac incedere in evangelico ſermone JEſu Chriſti; cum quo *gloria Deo Patri & Spiritui ſancto &c.* „

III. S. Epipodius Martyr apud eundem Ruinartum pag. 76. inter tormenta mixtis cruore dentibus hæc verba profudit: „ Chriſtum cum Patre & Spiritu ſancto „ Deum eſſe confiteor, dignumque eſt ut „ illi animam meam refundam, qui mihi „ & Creator eſt & Redemptor. „ 41

IV. S. Justinus Martyr in apologia I. alias ſecunda, num. 6. Atheiſmi crimen a Chriſtianis propulſans, ita ſcribit in noviſſima editione. „ Sed eum (quem prius dixerat *veriſſimum Deum* Patrem) & „ Filium, qui ab eo venit, ac nos iſta „ docuit, . . . & Spiritum propheticum „ colimus & adoramus, ratione & veritate venerantes. „ & num. 13. „ Quis „ igitur ſanæ mentis homo non fateatur, „ atheos nequaquam nos eſſe, qui opificem hujus Univerſitatis colimus „ Noſtrum autem harum rerum Doctorem, Chriſtum veri Dei Filium eſſe 42

„ edo-

„ edocti, ipsumque secundo loco, Spiri-
„ tum autem propheticum tertio haben-
„ tes ordine non sine ratione a nobis co-
„ li demonstrabimus. „

43 V. ATHENAGORAS legatione pro Christianis num. 24. „ DEUM dicimus, & FILIUM „ ipsius, & SPIRITUM sanctum, unitos secundum virtutem (substantiam) Patrem, „ Filium, & Spiritum S., quia mens, verbum, & sapientia, Filius Patris, effluvium autem ut lumen ab igne, Spiritus. „

44 VI. S. Theophylus ad Autolycum lib. II. n. 15. „ Similiter tres illi dies (creationis) qui ante luminaria fuerunt, imago sunt *Trinitatis* τρίαδος Dei, ejus verbi, ejusque sapientiæ: „ quo nomine Spiritum S. intelligit.

Prætermitto reliqua, quæ ex IRENÆO, CLEMENTE Alexandrino, & constitutionibus apostolicis depromere possem testimonia, quia brevitati studendum atque

45 Ad sæculum III. transeo, ubi præter S. CYPRIANUM supra num. 27. allegatum notandus occurrit TERTULLIANUS lib. contra Praxeam Cap. 2. „ Et nihilominus custodiatur oiconomias Sacramentum, quæ „ UNITATEM IN TRINITATEM disponit, tres „ dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. „ item lib. de pudicitia Cap.

21.

21. „ Eſt TRINITAS unius divinitatis, Pa-
„ ter, & Filius, & Spiritus S. „

S. GREGORIUS Thaumaturgus in ſymbolo fidei. „ Et Deus Filius, qui per omnia eſt TRINITAS perfecta, quæ gloria ac æternitate & regno atque imperio non dividitur, neque abalienatur. Non igitur creatum quid aut ſervum in Trinitate, neque ſuperinductitium aliquid & adventitium, quaſi prius non exiſtens, poſtea vero adveniens. Non ergo deficit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus, ſed immutabilis, eadem ſemper manet Trinitas. „ Hæc clara eſſe exiſtimo. 46

Denique univerſa Eccleſia ortas contra Trinitatem perſonarum opiniones, ut SABELLII perſonas confundentis, ARII Filium creaturam pronunciantis, MACEDONII Spiritus S. Divinitatem impugnantis, tanquam hæreticos ſummo conſenſu damnavit. Igitur conſtans Eccleſiæ Catholicæ, in hoc dogmate fuit doctrina, iſtamque veritatem, in præſcriptione fundatam, omni jure propugnamus. Iſtas autem tres ſanctiſſimas perſonas ejusdem naturæ & ſubſtantiæ eſſe, e ſequentibus §§. patebit. 47

Objic. I. Chriſtus Joan. XVII. ait: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti JEſum Chriſtum.* ergo Deus Pater eſt ſolus, & plures perſonæ non dantur. 48

RE-

RESPOND. *Dist.* textum te *solum* verum Deum, in natura, *Conc.* solum, per exclusionem personarum. *nego.* Dici enim potest, quod Deus dicatur solus verus, comparate ad falsos gentium Deos.

49 OBJIC. II. Christus ipse profitetur, se unum esse cum Patre, *sicut homines sunt unum inter se.* Loc. cit.: atqui isti tantum sunt unum *unitate morali* & consensu, non autem unitate naturæ: ergo neque Christus cum Patre.

RESP. *Dist.* Christus profitetur se esse unum cum Patre, eo solo & unico modo, quo homines sunt unum inter se. nego *Maj.* eo, & insuper alio modo, nimirum *consubstantiali. Conc. Maj.* datur igitur in Trinitate duplex unitas; moralis per concordiam, & *consubstantialis* per naturam. De priori tantum ibi loquitur Christus, non autem de omnimoda & naturali unitate: sicut dum dixit Matth. V.: *Estote perfecti, sicut Pater cœlestis perfectus est:* non potest intelligi de omnimoda & naturali perfectione, sed de imitatione possibili.

50 OBJIC. III. Si tres essent consubstantiales personæ in una natura divina, tunc etiam vetus Ecclesia primique PP. & Christiani idem dogma fuissent professi, nec potuissent a Paganis infamari tanquam Athei, seu

ſeu nullius DEI Cultores. Atqui &c.

Respond. Nego, primos Chriſtianos idem dogma non fuiſſe profeſſos: Contrarium enim patet ex dictis & porro dicendis; etiamſi illud non ſemper evulgaverint ob *diſciplinam Arcani*. Athei vero vocati fuerunt, quia non colebant, imo negabant Deos vulgares. Quæ ex ratione contra hoc myſterium objiciuntur, diſſolventur §. V.

§. III.

De Filii cum Patre conſubſtantialitate, ſeu naturæ unitate.

CUm ex dictis conſtet, tres eſſe ſanctiſſimas Perſonas, indagandum ulterius eſt, an ejusdem inter ſe naturæ ſint, ita, ut quælibet ſit verus & unicus tamen in natura Deus. Et de Patre quidem nemo eorum, qui non plane Athei ſunt, Deum eſſe non fatetur; cum & ipſa naturalis ratio Dei unitatem demonſtret, & S. Scriptura ſingulis fere paginis aperte teſtetur. Patrem autem non modo verum Deum, ſed & diſtinctam a reliquis eſſe Perſonam, definitum eſt in Conc. Lateranenſi IV. contra Joachimum Abbatem Florenſem, qui ajebat, Deum exſurgere e trium Perſonarum collectione, quemadmodum populus e pluribus civibus. Qui tamen & ratione confutari poſſunt; quælibet enim Perſo- 51

na debet habere naturam, eamque vel finitam, vel infinitam. Non finitam; quia hæc Deo repugnat, & ex pluribus finitis non poteſt exſurgere aliquod infinitum. Si autem quælibet Perſona habet naturam infinitam, hoc ipſo quælibet Deus eſt.

52 Præcipua tamen hic eſt controverſia, an Verbum, ſeu Filius, ſit verus Deus, unius, ejusdemque cum Patre naturæ atque ſubſtantiæ, quod plures e Veteribus negarunt, quorum tamen duplex ſecernenda eſt claſſis. Nonnulli enim Chriſto divinitatem abrogabant, merum eum hominem eſſe aſſerentes, qui ante Mariam non exſtiterit. Qui in Prælectionibus de Deo Incarnato recenſendi & confutandi ſunt. Alii Verbum & Filium Patris, non Deum, ſed creaturam venditabant, quorum poſt SIMONEM Magum Anteſignanus fuiſſe videtur VALENTINUS, qui teſte S. IRENÆO docuit, Patrem æternum cum infinitis retro ævis in ſumma quiete tacuiſſet, e ſilentio tandem genuiſſe Verbum, adeo ab ipſo diſtans, ut Patrem ignoraret.

53 II. PAULUS Samoſatenus, de quo ſupra num. 7. aliquod verbum quidem admiſit, ſed non niſi principio mundi conditi a Patre prolatum, & ſic aliquando non exſtitiſſe, ut teſtis eſt Epiphanius hæreſi 65.

54 III. Præcipuus tamen verbi divini adverſarius fuit ARIUS Presbyter Alexandrinus,

nus, tot malorum, quæ Eccleſiam ſæculo IV. & deinceps turbarunt, auctor, in concilio Nicæno I. damnatus, at in errore pertinax fæda morte extinctus. In eo autem conſiſtebat erroris ſumma, quod unum & ſolum Deum admitteret æternum & immutabilem, qui tamen non ſemper fuit Pater, ſed in tempore produxerit Filium, creaturam quidem, ſed reliquis excellentiorem, quam & verbum appellabat, ſed externum & in tempore prolatum, quod aliquando non exſtiterit. Sectatores habuit plurimos, neque tamen inter ſe concordes. Alii enim erant Ariani rigidi, Anomæi etiam, Eunomiani, & Aëtiani appellati, qui verbum dicebant meram creaturam, & Patri prorſus diſſimilem ἀνόμοιον. Alii erant molliores, Semi-Ariani, Filium per omnia, etiam quoad ſubſtantiam ſimilem ὁμοιούσιον eſſe fatebantur, imo & aliquando Deum appellare non dubitabant, ὁμοούσιον ſeu conſubſtantialem dicere renuebant. Alii inter utroſque medii Filium Patri ſimilem ὅμοιον aſſerebant, in quo autem illa ſimilitudo conſiſteret, non exponebant.

IV. Arianum errorem poſtremis hisce 55
ſæculis inſtaurarunt Sociniani, non niſi unicam in Deo perſonam Patris ſtatuentes, & Filio æque ac Spiritui ſancto divinitatem detrahentes. Contra quos omnes ſtatuitur dogma Catholicum, &

56 Resolutio. Verbum, ſeu Filius Patris eſt verus & ab æterno Deus, ejusdem cum Patre ſubſtantiæ.

Prob. I. ex S. Scriptura. Quidquid non eſt creatum, illud ab æterno, & Deus eſt; inter creatum enim, & non creatum, non datur medium, ſecundum principium primum lumine naturæ notum: *quodlibet eſt, vel non eſt.* Atqui Filius Dei non eſt creatus: ergo æternus, & Deus eſt. *min.* prob. ex Evangelio Joan. Cap. 1.: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* In quo textu habetur & ipſa æternitas, per voces: *in principio*, id eſt, ab æterno; & Filium non eſſe factum; quia ipſe eſt verbum, per quod facta ſunt omnia. Si enim & ipſum factum eſſet, daretur Verbum Verbi, ut ratiocinatur S. Augustinus. *Min.* ulterius *prob.* Filius eſt ſapientia Patris ad Cor. I. 34., atqui hæc ſapientia & Perſona, & æterna eſt: ergo Filius æternus eſt. Quidquid autem æternum eſt, hoc Deus eſt; quia omnis creatura incipit in tempore, eique æternitas *ab ante* repugnat. *min. prob.* ſapientia divina de ſe ipſa loquitur Prov. I.: *Deus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata ſum . . . nondum erant abyſſi,*

&

& ego jam concepta eram . . quando præparabat cœlos aderam, cum eo eram cuncta componens.

Prob. II. Qui Patriarchis & Prophetis olim apparuit, verus erat Deus, quippe toties appellatus nomine Jehova, quod nomen eſt ſoli Deo proprium; atqui ille, qui apparuit, non fuit Pater; dicitur enim ſæpe *Angelus*, id eſt, miſſus; Pater autem non mittitur: neque Spiritus ſanctus, qui ſecundum Socinianos nequidem eſt perſona. ergo apparuit Filius: ergo Filius eſt verus Deus Jehova. *Maj.* prob. Ille qui apparuit, verum ſe Deum dixit: *Ego Dominus*: vere ſe adorari permiſit, & voluit, quod Legatus Dei permittere non potuiſſet; nam cum Angelus apparuiſſet Joanni Apoc. XIX. 10., hicque Deum eſſe exiſtimans eum adorare voluiſſet, ſtatim eum Angelus prohibuit dicens: *vide ne feceris, conſervus tuus ſum &c. min. prob.* unanimi pene conſenſu Patrum: qui illum, qui Patriarchis & Prophetis apparuit, Filium Dei fuiſſe, hacque apparitione incarnationi quodammodo præluſiſſe affirmant, indeque Chriſtum verum Deum eſſe inferunt. 57

Nec dicant Adverſarii, Angelum apparuiſſe Dei vices gerentem, & nomine Dei adinſtar Legati loquentem. 58

Contra eſt. Si fuiſſet merus Legatus,

 non

non potuiſſet cum veritate dicere: *ego ſum: qui ſum: ego Dominus &c.*, ſed debuiſſet, quemadmodum Prophetæ ſolebant, dicere: *qui eſt, miſit me ad vos: hæc dicit Dominus &c.*

59 Nec obſtat II., quod ille, qui apparuit, qui legem dedit in Monte Sina, dicatur Angelus Act. 7. nam

Respond. *Diſt.* vocatur Angelus, ab *officio*, quia Filius vere fuit miſſus a Patre. *Conc.* vocatur Angelus a *natura*, tanquam fuiſſet Spiritus creatus, Dei ſolum vices gerens & nomen aſſumens. *nego.* ipſe Dei Filius in S. Scriptura vocatur *magni Conſilii Angelus.* Certe enim de Filio Dei intelligi debet, quod eſt apud Malachiam III. 1.: *Ecce ego mitto Angelum meum* (id eſt, Joannem Baptiſtam Præcurſorem) *qui præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator* (Chriſtus) *quem vos quæritis, &* Angelus Testamenti, *quem vos vultis.*

Denique dici poteſt ad textus contrarios, cum Filio Dei apparuiſſe etiam Angelos ad inſtar famulitii latus ejus ſtipantes.

60 Prob. III. Nomen Jehova eſt ſoli Deo proprium, ut fatentur Judæorum doctiſſimi, & patet ex eo, quia Deus ſeipſum hoc nomine appellavit ſæpiſſime: atqui hoc

hoc nomen etiam Filio tribuitur: ergo eſt Deus: *min. prob.* Iſai. VIII. 13. *Dominum* (Jehova) *exercituum ſanctificate: Ipſe pavor veſter, & ipſe terror veſter: & erit vobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis & in petram ſcandali, duabus domibus Iſraei, in laqueum, & in ruinam habitantibus Jeruſalem*; atqui iſte lapis offenſionis & petra ſcandali eſt Filius Dei incarnatus, ita exponente SIMEONE, qui Spiritu Dei erat repletus Luc. II. 34. exponente PAULO Rom. IX, 33., exponente PETRO Ep. I. Cap. 2.

Sed & in novo Teſtamento nomen græ- 61
cum Δεοσ *Deus*, ſoli Deo proprium eſt, nec unquam in ſignificatione propria alicui creaturæ tribuitur: uti tamen *Elohim* in vet. Teſt. quandoque tribuitur Angelis: atqui Filius Dei veriſſimus dicitur Deus. Joan. I.: *Deus erat Verbum*; Rom. XI. 5.: *ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia* DEUS *benedictus in ſæcula.* I. Joan. V. 20.: *ſcimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus: hic eſt verus* DEUS *& vita æterna.*

PROB. IV. Verbo conveniunt proprieta- 62
tes divinæ.

I. ASEITAS, & exiſtendi neceſſitas. Apocalypſis I. dicit de ſe Filius Dei: *ego ſum*

A & Ω, *principium & finis*, *dicit Dominus*, græce Δεοσ, *qui est*, *& qui erat*, *& qui venturus est omnipotens.*

II. Immutabilitas: Paulus ad Hebr. I. de Filio Dei loquens ait: *Tu autem idem ipse es*, *& anni tui non deficient.*

III. Immensitas. nam Christus in terra existens de se dicebat Joan. III. 13.: *Nemo ascendit in cœlum*, *nisi qui descendit de cœlo*: *Filius hominis*, *qui est in cœlo*: nempe secundum naturam divinam, qua est ubique.

IV. Æternitas I. Joan. I. 1. *quod fuit ab initio*, *quod audivimus*, *quod vidimus oculis nostris*, *quod perspeximus*, *& manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ*, *& vita manifestata est*, *& vidimus & testamus & annuntiamus vobis vitam æternam*, *quæ erat apud Patrem*, *& apparuit nobis.*

V. Omnipotentia: Sap. XVIII. 15. *omnipotens sermo tuus &c.*

63 Prob. V. Filio Dei conveniunt operationes soli Deo propriæ. I. Creatio. Coloss. I. 15.: *omnia per ipsum*, *& in ipso creata sunt.* Heb. I. *per quem fecit & sæcula*: si ergo per Filium factum est tempus; utique ipse fuit ante tempus, consequenter Creator æternus. II. Rerum Conservatio. Coloss. I. *omnia in ipso constant.*

III. Concursus. Joan. XV. 5. : *ſine me nihil poteſtis facere.* IV. peccatorum Remissio Luc. V. 20. Chriſtus ait Paralytico: *homo remittuntur tibi peccata*: cumque hoc ſcandalizaſſet Judæos, in ſignum ſuæ poteſtatis remittendi in terra peccata, etiam novo miraculo ei ſanitatem reſtituit ut loc. cit. legitur. V. *Conceſſio* Gratiæ ſupernaturalis Rom. XVII.: *Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino JEſu Chriſto.*

VI. Mortuorum *reſuſcitatio.* Joan. XI. 15. *ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet.*

VII. Conceſſio Gloriæ Joan. XX. 28.: *ego vitam æternam do eis.*

Prob. VI. Filio Dei debetur cultus ſu- 64
premus ſoli Deo vero debitus. Et *primo* quidem Adoratio. Hebr. I. 6., *& cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* II. Fides in eum. Joan. XII. 44.: *qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui me miſit.* Atqui in ſolum Deum credi poteſt; non enim *in* hominem, ſed *homini* credimus.

III. Eſt Spes noſtra. Non licet ſpem ponere in creatura: atqui Filius Dei eſt ſpes noſtra; ſic enim ait Paulus I. ad Timoth. I.: *ſecundum imperium Dei Salvatoris noſtri, & Chriſti JEſu ſpei noſtræ.*

IV. Eſt Diligendus ut Deus Joan. XIV. 21. : *qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me; qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & manifeſtabo ei me ipſum.*

V. Eſt Invocandus, Joel. II. : *omnis, qui invocabit nomen Domini, ſalvus erit:* quem textum de Chriſto exponit Paulus Rom. X. 14.

65 Prob. VII. Traditione Eccleſiæ univerſæ usque ad Concilium Nicænum I.; Quod enim poſt illa tempora Eccleſiæ Catholicæ omnes Filii divinitatem, & cum Patre conſubſtantialitatem a PP. Nicænis definitam profeſſæ fuerint, Adverſarii ipſi haud inficias eunt. Et Patrum quidem ſæculi I. teſtimonia plura recitavi in Hiſt. Theolog. Chriſt. pag. 70., nunc ex altero ſæculo aliquos producam, præſertim autem Martyres, qui pro iſto dogmate inter tormenta plurima ſanguine ſuo veritatem confirmarunt; quorum auctoritas tanto potior nobis eſſe debet, quanto certius conſtat, Spiritum S. in illis fuiſſe locutum; ſic enim promiſerat Chriſtus Matth. X. 19. : *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Igitur S. Symphorosa, cum propter Chriſti confeſſionem morte eſſet afficienda, reſpondit Imperatori Hadriano: „ Et unde mihi tantum boni, ut

„ ego

„ ego merear cum filiis offerri hostia Deo? . . . Dii tui me in sacrificium accipere non „ possunt, sed si pro nomine Christi Dei „ mei incensa fuero, illos dæmones tuos „ magis exuro. „ In actis martyrii S. Felicitatis ita loquuntur ejus Filii: „„ omnes, qui non confitentur Christum verum esse Deum, in ignem æternum mittentur. „ S. Justinus Martyr, qui toties in suis libris Christi divinitatem asseruerat, eandem professionem etiam paulo ante Martyrium confirmavit; interrogatus enim a Præside quodnam esset Christianorum dogma, respondit: „ Rectum dogma, quod christiani homines cum pietate servamus, hoc est, ut unum Deum existimemus factorem atque creatorem omnium, & Dominum JEsum Christum Dei Filium confitemur, olim a „ Prophetis prænuntiatum. Ego quidem „ ut homo imbecillis sum & longe minor, „ quam ut de infinita illius Deitate aliquid „ magnum dicere possim: Prophetarum hoc „ esse munus fateor &c. „

S. Epipodius Martyr Lugdunensis in hunc modum Præsidi respondit: „ sempiternum Dominum nostrum JEsum Christum, quem crucifixum memoras, resurrexisse non nosti, qui ineffabili mysterio homo pariter & Deus famulis suis „ tramitem immortalitatis instituit. Christum cum Patre & Spiritu S. Deum es-

„ se

„ ſe confiteor. Dignum eſt, ut illi animam „ meam refundam, qui mihi & Creator „ eſt & Redemptor. „ Hæc omnia ex actis ſinceris SS. Martyrum a RUINARTO editis deſcripta ſunt. Omitto plurima alia ex hoc ſæculo teſtimonia, quæ parata ad manum forent, ne nimium diffundar.

66 PROB. ult. Ipſi Pagani teſtabantur, hanc fuiſſe Chriſtianorum fidem. Nam PLINIUS junior ceu Præſes provinciæ Bythiniæ, cum ſollicite in vitam & dogmata Chriſtianorum inquiſiviſſet, ita reſcripſit ad TRAJANUM Imperatorem: „ affirmabant (Chri- „ ſtiani ſeducti) hanc fuiſſe ſummam vel „ culpæ ſuæ vel erroris, quod eſſent ſo- „ liti ſtato die ante lucem convenire, car- „ menque Chriſto quaſi DEO dicere ſecum „ invicem &c. „ LUCIANUS Philoſophus pariter Ethnicus, Religionis omnis hominumque irriſor in Dialogo PHILAPTRIS quemdam induxit Chriſtianum, qui Ethnicum chriſtiano modo jurare docet: „ De- „ um, inquit, alte regnantem, magnum, „ immortalem, cæleſtem, Filium Patris, „ Spiritum ex Patre procedentem, unum „ ex tribus, & ex uno tria. Hoc tu Jo- „ vem puta, hunc exiſtima Deum. „ Hæc Paganus ſcriptor de Chriſtianorum dogmate, quod haud dubie e Chriſtianis hauſit, & falſe deriſit. Teſtimonia SS. PP. ex aliis ſæculis paſſim proſtant apud dogmaticos.

OBJIC.

Objic. I. Ex S. Scriptura Filius Dei in 67
ſacris litteris appellatur *creatura*: ergo non eſt Deus, natura, ſed authoritate: quemadmodum Moyſes dicebatur Deus Pharaonis. *Ant. prob.* ipſe Filius ſub nomine ſapientiæ de ſe dicit Eccleſiaſtici XXIV. 14. *ab initio & ante ſæcula creata ſum.*

Resp. *Diſt.* dicitur creatura ſumendo vocabulum creationis pro generatione æterna. *Conc.* pro creatione proprie tali, ex nihilo & in tempore facta: *nego.* nam de eadem ſapientia dicitur Prov. VIII. 23. *ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret, &c.* de Filio dicitur Pſal. II. 7.: *Filius meus tu es, ego hodie*, id eſt, ab æterno, *genui te*: & Pſalm. 109. *tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te.*

Objic. II. Dicitur primogenitus omnis 68
creaturæ ad Coll. I. 15.: ergo eſt primus inter creaturas, non autem increatus.

Resp. *Diſt. ant.* Primogenitus, id eſt, ante omnes creaturas æternaliter genitus. *Conc.* prima inter creaturas creatura, *nego.* nam ait ibidem Paulus: *Qui eſt imago Dei inviſibilis primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt univerſa, viſibilia & inviſibilia, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, &*

omnia

omnia in ipſo conſtant. Si ergo per ipſum creata ſunt omnia, utique ipſe non eſt creatus, ſed creator.

69 OBJIC. III. Verbum fuit Patris inſtrumentum in creatione aſſumtum: Joan. I.: *omnia per ipſum facta ſunt, per quem fecit & ſæcula,* Hebr. I. 2.

RESP. *Diſt.* omnia per verbum facta ſunt, tanquam per cauſam *exemplarem. Conc. inſtrumentalem.* nego. Deus Pater per verbum tanquam ſuam ideam, in qua agendorum rationes conſpicit, operatur.

70 OBJIC. IV. Filius dixit ſe Patre minorem: *Pater major me eſt.* Joan. XIV. 28. dicitur factus obediens, facere mandata Patris &c. *ergo.*

RESP. *Diſt.* Filius eſt Patre minor, factus obediens &c. ſecundum naturam humanam in tempore aſſumtam. *Conc.* ſecundum divinam. *nego.* de hoc enim intelligitur illud Pſal. 109. Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis: quem locum pro ſua divinitate Chriſtus ipſe expoſuit. Imo dixit Joan. X. 13.: *ego & Pater unum ſumus, non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* ſecundum eandem nempe naturam divinam.

71 OBJIC. V. Dum Chriſtus Joan. X. 30. ſe

ſe Filium Dei dixit, & Judæi tanquam blasphemum lapidare volebant, mitigavit aſſertum dicens, ſe eo modo eſſe Deum, quo olim ad antiquos dictum eſt: *ego dixi, Dei eſtis*: ergo ſolum eſt metaphorice Deus.

Resp. Argumentatur ibi Chriſtus ad hominem a minore ad majus hoc modo: vos ſcandalizamini, quod me Deum dicam, qualis re ipſa ſum: cum tamen & puri homines aliquando dicantur Dii: ſi ergo illi dicuntur Dii, qui meri homines ſunt, multo magis ego me Deum appellare poſſum, qui ſum unus natura cum Patre Deus, Filius ejus unigenitus.

Objic. VI. Apocal. V. 12. dicitur de Chriſto: *dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem & divinitatem & ſapientiam.* ergo non eſt natura Deus. 72

Resp. *Diſt.* Dignus eſt accipere divinitatem, id eſt, qui dicatur & adoretur tanquam verus Deus. *Conc.* accipere ipſam divinitatem, tanquam prius eam non habuiſſet. *nego.* qui Deitatem ab æterno non habet, eam in tempore accipere non poteſt, quia æternitas & aſeitas Deo eſſentialis eſt.

Objic. VII. a PP. Nicænis Filius male declaratus fuit *homouſios* Patri; nam I. iſta vox non reperitur in S. Scripturis. II. a 73

PP.

PP. Catholicis in Concilio Antiocheno, sexaginta circiter annis ante Nicænum congregatis contra PAULUM Samoſatenum reprobata fuit, ergo ſi Filius non poteſt dici, tunc neque eſt conſubſtantialis.

RESP. Nego *ant.* ad I. dico, etſi non reperiatur in ſacris Scripturis quoad litteram & grammaticaliter, continetur tamen ibi quoad rem & ſenſum theologicum. Eſt inſuper in Eccleſiæ poteſtate, ut etiam novas ſtatuat voces ad exprimendum dilucide dogma, & declinandas hæreticorum fraudes. Alterum *Diſt.* hæc vox fuit reprobata in pravo ſenſu, quem Catholicis affingebat PAULUS Samoſatenus. *Conc.* in ipſorum Catholicorum ſenſu. *nego.* vox ὁμοούσιος de ſe ſignificat Communionem ſubſtantiæ & ejuſdem naturæ; & hoc ſenſu Patres recte dicebant Filium homouſion Patri. Quia autem in rebus creatis nulla datur ſubſtantia, quæ ſit pluribus communis, cum quælibet ſit individua & finita, hinc vulgo illa etiam dicebantur homouſia, quæ erant ejuſdem generis & ſpeciei, v. g. duo homines, licet unus ab altero vel participatione, vel profluvio, vel propagatione oriretur. Unde Paulus Samoſatenus, qui non niſi unam perſonam admittebat, & Chriſtum purum hominem dicebat, occaſionem arripuit aſſerendi, Filium ſi non eſt eadem cum Patre Perſona, ex particula patris genitum,

&

& vulgari ſenſu homouſion fore. Hoc perverſo ſenſu, quem Catholicis Paulus affinxerat; vox homouſios ab Antiochenis PP. reprobata, legitimo autem ſenſu a Nicænis approbata & inſtar teſſeræ aſſumta fuit.

§. IV.

De Spiritus S. Divinitate, & conſubſtantialitate.

QUemadmodum ſuos Verbum, ita & 74
Spiritus ſanctus paſſus eſt inimicos, communi vocabulo *Pnevmatomachos*, ceu Spiritus impugnatores, compellatos. Non hic commemorabo SADDUCÆOS, Judæorum ſectam, qui Luca Apoſtolo atteſtante Actor. XXIII. 8. dicebant, nec Angelum, nec Spiritum eſſe. De SIMONE Mago ſcribit S. EPIPHANIUS, quod Helenam, infame ſcortum, Spiritus ſancti nomine honoraverit.

MONTANUS, & MANES ipſum Spiritum Paraclytum ſeſe jactabant. EUNOMIUS Anomæorum, ſeu rigidorum Arianorum Princeps, uti Verbum, ita & Spiritum S. ad ſortem creaturæ depreſſit, quod majore adhuc conatu executus eſt MACEDONIUS Epiſcopus CP. in Concilio generali II. ſeu CPlitano I. condemnatus. De Socinianis jam ſupra num. 12. obſervatum fuit, adeo indigne illos de Spiritu ſancto ſen-

ſentire, ut non modo Deum illum eſſe pernegent, ſed ne perſonam quidem eſſe fateantur, nonniſi Patris quoddam attributum, vim ſeu efficientiam, aut qualitatem creatam hominibus inditam aſſerentes. Impium hoc dogma, etſi illius falſitas facile ex dictis §. II. colligi poſſit, hic tamen ex inſtituto breviter confutandum eſt.

75 Resolutio. Spiritus ſanctus eſt vera, propria, & diſtincta perſona, Patri Filioque conſubſtantialis.

Prob. I. Cui S. Scriptura omnes actiones perſonæ proprias attribuit, eſt vera, & propria Perſona: atqui Spiritui S. attribuit: *ergo.* prob. *min.* propria perſonæ actio eſt I. Loqui. atqui hæc tribuitur Spiritui S. Matth. X. 19. : *non vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* II. Docere. atqui Joan. XVI. 13. dicitur de Spiritu S., ille vos docebit omnem veritatem. III. Testimonium *dicere*, Joan. XV. 26. *ille*, id eſt Spiritus S. *teſtimonium perhibebit de me.* IV. revelare *futura.* Joan. XVI. 13., *quæ ventura ſunt, annunciavit vobis.* V. intelligere & perſcrutari profunda Dei : I. Cor. II. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei; quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.*

VI. Præcipere, & aſſumere quosdam ad miniſterium Eccleſiaſticum Actor. XIII. 2.: *miniſtrantibus autem illis Domino . . . Dixit Spiritus S., ſegregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos.* VII. Largiri *dona* ſpiritualia. I. Cor. XII. 11.: *hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* Omnes iſtæ actiones ſupponunt voluntatem & intellectum libere operantes, quod non niſi perſonæ proprium eſt.

Prob. II. Conſubſtantialitas. Spiritus S. ab ipſa Scriptura appellatur Deus, & quidem proprie Jehova: ergo eſt verus Deus. *ant. prob.* David dicit II. Reg. XXIII. 2.: *Spiritus Domini locutus eſt per me:* & Vers. 3., *Dicit Deus Iſrael mihi: locutus eſt fortis Iſrael &c.:* Iſai. VI. 9.: *dixit Dominus exercituum* Jehova, *vade & dices populo huic: audite audientes &c.:* atqui hunc Deum fuiſſe Spiritum S. docet Paulus citans hunc verſum Act. XXVIII. 25. *bene Spiritus S. locutus eſt per Iſaiam dicens: vade &c.;* ſic etiam Paulus ad Heb. I. 1. teſtatur, Deum locutum fuiſſe Patribus in Prophetis: atqui teſte S. Petro ep. 2. Cap. 1.: *Spiritu S. inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*: unde oritur argumentum. Qui in Prophetis loquebatur, Deus erat: atqui Spiritus S. loquebatur in Prophetis: ergo Deus eſt. Omiſſis plurimis aliis probatur ex Actor. V. 3., ubi Pe- 76

TRUS ad Ananiam dixit : *cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui S.? .. non es mentitus hominibus, ſed Deo.* E quibus verbis hoc eruitur ratiocinium : Ille, cui Ananias fuerat mentitus, diſerte dicitur, & eſt Deus, quippe ſcrutans ſecreta cordis humani : atqui mentitus fuerat Spiritui ſancto, iſtud ſecretum D. Petro inſpiranti : ergo dicitur, & eſt Deus.

77 PROB. III. Spiritui S. attribuuntur in ſacris litteris attributa divina & proprietates. I. IMMENSITAS pſal. 138., *quo ibo a Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam?* II. OMNIPOTENTIA & CREATIO. pſal. 32., *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & SPIRITU oris ejus omnis virtus eorum.* III. Suprema MAJESTAS, cui ſoli competit Templum I. ad Cor. III. : *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus ſanctus habitat in vobis? ſi quis autem Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* IV. Corporum RESUSCITATIO. Rom. VIII. 11. : *quod ſi Spiritus ejus, qui ſuſcitavit JEſum a mortuis, habitat in vobis, vivificabit & mortalia corpora veſtra.* V. MIRACULORUM patratio Matth. XII. 28. : *ſi in Spiritu Dei ejicio dæmones &c.*

78 PROB. V. ex traditione Baptiſmus ſemper fuit collatus in nomine *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus S.* tanquam unius Dei, ut PP. frequenter urgent. 2. Spiritus S., ut Deus ab Eccleſia adoratus fuit, ex dictis.

3. An-

3. Antiquissimus hymnus seu ritus glorificationis, *Doxologia* dictus, quo eadem est *gloria Patri, Filio, & Spiritui S. sicut erat in principio &c.*; jam S. IGNATII tempore in usu erat. 4. Tota Ecclesia Macedonianos mox ab ortu suo & constanter in hunc usque diem tanquam hæreticos damnat: atqui universa Ecclesia in fidei dogmata definiendo infallibilis est, ergo verum est dogma, quod Spiritus S. sit verus Deus.

OBJIC. Sociniani I. Spiritus S. Christo teste Joan. XVI. 13. a semetipso non loqui- 79
tur, sed quæcunque audiverit a Patre & Filio: ergo non est Deus, quia non *a se*.

RESP. *Dist.* textum: non loquitur a semetipso, quia a Patre & Filio procedit, & ab utroque, quid loquatur, accepit, *Conc.* aliter. *nego.* nam & ipse Filius non loquitur a semetipso, sed quod audivit a Patre, & tamen est Deus.

OBJIC. II. Spiritus S. Rom. VIII. 26. di- 80
citur, *postulare*, & *gemere* pro nobis: atqui hoc Deo non convenit: *ergo.*

RESP. *Dist.* dicitur postulare, *causaliter*, quia facit, ut nos postulemus, gemamus &c. *Conc. formaliter. nego.*

OBJIC. III. In Evang. Joan. I. *per verbum* 81
omnia facta sunt: ergo etiam Spiritus sanctus, consequenter est creatura.

Resp. *Dist.* per verbum omnia facta sunt, quæ facta sunt. *Conc.* omnia *absolute.* nego. Versus enim sequens clare explicat præcedentem: *sine ipso factum est nihil, quod factum est*: Spiritus S. non est factus, sed *spiratus*, seu procedens.

82 Objic. IV. Veteres Christiani Spiritum S. non habuerunt pro Deo; nam & sæculo IV. non appellabant Deum, ut constat 1.) ex S. Hilario Pictaviensi, qui in suis de Trinitate libris nunquam eum Deum nominat. 2.) S. Basilius Magnus de Spiritu S. loquens, studiose nomine Dei abstinuit teste Gregorio Nazianzeno orat. 30. 3.) Synodus CPtana I. adversus Macedonium congregata non definivit Spiritum S. esse Deum. 4) Nunquam Ecclesia suas preces ad Spiritum S. direxit. ergo non adoravit ut Deum.

Resp. Neg. *ant.* ad primam probationem dico, quod S. Hilarius alibi eum clare Deum appellet Comment. in Matth. ad finem, ubi ait: „ Baptizantur autem in nomine „ Patris & Filii & Spiritus S., ut quorum una est divinitas, sit una largitio, „ nomenque Trinitatis unus est Deus. „ Ad 2. dico, S. Basilium œconomiæ causa ab appellatione Spiritui S. tribuenda abstinuisse, ne hæreticorum furore tam ipse, quam alii præsules a suis sedibus pellerentur cum maximo plebis christianæ & fidei de-

detrimento; gemini enim hoſtes Baſilii tempore Eccleſiam vexabant; hinc Ariani, illinc Macedoniani, non tamen inter ſe ſatis concordes. Ne igitur, ſi utrosque ſimul impugnaret, conjunctis viribus in Catholicos aſſurgerent, Macedoniorum errorem pauliſper diſſimulare voluit; haud dubie hunc etiam diſſerte confutaturus, quamprimum res cum Arianis confecta fuiſſet. Nam ceſſante ſummo illo diſcrimine Spiritum S. clare Deum pronuntiavit ep. 141. „ Confitendum eſt, inquit, Deum eſſe Patrem, Deum Filium, Deum „ Spiritum S. „ Ad probat. 3. dico, ſufficit, quod Concilium terminis æquivalentibus idem definiverit, nempe Spiritum S. *cum Patre & Filio ſimul adorandum & conglorificandum, qui ex Patre procedit, qui locutus eſt per Prophetas.* Resp. ad prob. 4. Eccleſia ſemper conſuevit preces ſuas dirigere ad Deum Patrem, non utique excluſis Filio & Spiritu S. Ita ſanxit Concilium Carthaginenſe III. Can. 23.: *Ut cum ad altare aſſiſtitur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio.*

§. V.

An SS. Trinitatis myſterium naturali ratione demonſtrari valeat?

DUpliciter rei cujusdam exiſtentia probari poteſt: 1. *poſitive*, ſeu ex ipſis 83

rei visceribus, principiis intrinsecis, aut necessaria cum aliis connexione, idque vel a *priori*, vel a *posteriori*. 2. *Negative*, solvendo ea, quæ contra existentiam, aut ejus possibilitatem opponi possunt. Claudius MAMERUS Presbyter Ecclesiæ Viennensis sæcul. V. docuit, sola ratione, etiam non præsupposita revelatione, mysterium Trinitatis demonstrari posse. Petrus ABAËLARDUS, Raymundus LULLUS, & pauci alii saltem supposita fide se hoc mysterium demonstrare asserebant. Reliqui Theologi communiter etiam hoc negant, & solum admittunt, quasdam in rebus creatis sed valde imperfectas dari similitudines, quæ aliquo modo SS. Trinitatis mysterium adumbrant.

Quin ne probabili quidem ratione hoc mysterium adstrui posse, contendit Clar. WITASSIUS. S. THOMAS ejusmodi conatum etiam periculosum existimat P. I. Q. XXXII. Art. I., ubi ita scribit: „ Qui „ autem probare nititur Trinitatem perso„ narum naturali ratione, fidei dupliciter „ derogat. Primo quidem quantum ad di„ gnitatem ipsius fidei, quæ est, ut sit „ de rebus invisibilibus, quæ rationem „ humanam excedunt. Unde Apostolus „ dicit ad Hebr. XI. 1. quod *fides est de* „ *non apparentibus*, & idem Apostolus I. „ Cor. II. 6.: *Sapientiam loquimur inter* „ *perfectos: sapientiam vero non hujus sæ*„ *culi*,

„ *culi; ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt.* Secundo quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandum fidem inducit rationes quæ non ſunt cogentes (convincentes) cedit in irriſionem fidelium. Credunt enim quod hujusmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus.„

Resolutio. Myſterium SS. Trinitatis etiam præſuppoſita fide ſola ratione naturali *poſitive* demonſtrari non poteſt, ſed ſolum *negative.* 84

Prob. I. Pars. Sine generatione Filii intelligi nequit Trinitatis myſterium: atqui hæc tranſcendit intellectus naturalis aciem; *generationem enim ejus quis enarrabit?* Iſai. LIII. 18., & ut Chriſtus affirmat Matth. XI. 27.: *Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Ideo & ad Petrum, poſtquam eum *Filium Dei vivi* confeſſus fuerat, dixit Matth. XVI. 17., *Beatus es, . . . quia caro, & ſanguis*, hoc eſt, naturalis ratio, *non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.*

Prob. II. teſtimonio SS. Patrum. Sic Athanasius ad illa Chriſti verba, *omnia mihi tradita ſunt a Patre*, contra Arianos, ſola ratione utentes, ita loquitur Tom. I. 85

pag. 107. nov. edit. „ Quid igitur impii „ his de rebus, quas ſcrutari nefas eſt, „ effutire non verentur? Illi inquam, qui „ & homines ſunt, nec vel ipſam rerum „ terreſtrium naturam poſſunt evolvere. „ Sed quid dico rerum terreſtrium? imo quæ „ vel ipſos ſpectant, ipſi explicent no„ bis, num videlicet ſuam ipſorum natu„ ram percipere queant. Temerarii cer„ te illi &c. „

S. Hilarius Lib. I. de Trinit. in princ. „ Non putet homo ſua intelligentia ge„ nerationis Sacramentum poſſe conſequi. „

S. Ambrosius Lib. II. de fide ad Gratianum Cap. 5. „ Impoſſibile eſt genera„ tionis ſcire ſecretum. Mens deficit, vox „ ſilet, non mea tantum; ſed & Ange„ lorum; ſupra poteſtates, ſupra Ange„ los, ſupra Cherubim, ſupra Seraphim, „ ſupra omnem ſenſum eſt. „

Denique S. Bernardus lib. V. de conſiderat. Cap. 8. „ Sacramentum hoc ma„ gnum eſt, & quidem venerandum, non „ ſcrutandum. Quomodo pluralitas in „ unitate, aut ipſa in pluralitate? ſcruta„ ri hoc, temeritas eſt; credere, pietas; „ noſſe, via & vita æterna. „

86 Prob. III. Ab orbe condito ad noſtra usque tempora innumeri extiterunt Philoſophi acutiſſimo ingenio præditi, qui ma-

maximo ſtudio hoc myſterium perveſtigare voluerunt, ut inter alios conſtat de Magno Auguſtino; ſed nulli hactenus contigit tam eſſe felici, ut rationem hoc myſterium demonſtrandi inveniret. Quod autem nunquam factum eſt, pro impoſſibili non immerito reputatur.

Prob. IV. Non poteſt demonſtrari *a priori*; quia Ss. Trinitas nullam ſui cauſam agnoſcit, & ipſa Dei ut Trini eſſentia humano captui impervia eſt. Quis enim ſolo naturæ lumine vel ſuſpicari poſſet, Deum, utpote ſubſtantiam & Spiritum ſimpliciſſimum, ſe ipſum intelligendo generare Filium, a ſe quidem realiter diſtinctum, ejusdem tamen omnino ſubſtantiæ? hunc ipſum autem Filium, qui æque eſt ſubſtantia intelligens, ſeipſum intelligendo non iterum generare Filium? Deum ſeipſum amando producere amorem ſubſtantialem, ſibi prorſus ſimillimum, qui tamen non ſit Filius? & ita porro. 87

Neque *a poſteriori*; Deus enim ut trinus nullum ad extra producit effectum, e quo in notitiam Trinitatis perveniri poſſet, ſed ſolum quatenus eſt omnipotens, juſtus, miſericors &c.

Quod autem nonnullæ in rebus creatis reluceant imagines, quæ præſuppoſita fide quamdam S. Trinitatis ſimilitudinem adumbrant, conſtat e SS. Patri- 88

tribus, qui ejusmodi comparationes non raro adhibuerunt. Sic S. Athanasius utitur comparatione solis, radii, ac splendoris, ex utroque emicantis. Alii cum S. Dionysio Alexandrino adhibent similitudinem fontis, rivi, & fluminis ex utroque profluentis. Tertullianus & S. Augustinus, radicis, trunci, & rami ex eadem arbore. S. Gregorius Nazian. trium Lucernarum in eodem cubiculo positarum, quæ unum idemque lumen effundunt. S. Augustinus intellectus, voluntatis & memoriæ in una eademque anima: Alii denique ignis, splendoris, & caloris, quæ licet tria, unum tamen lumen sunt.

II. pars resolutionis, hoc mysterium *negative* demonstrari posse, ex solutione objectionum patebit.

89 Objic. 1. Contra 1. part. I. Lumine naturæ notum est, 1. Deum habere intellectum & voluntatem. 2. Deum intelligendo & volendo producere actionem, & actione aliquem terminum immanentem. 3. Utrumque terminum a suo principio debere esse distinctum, tanquam productum a producente. 4. Isti duo termini producti debent esse substantiales; quia accidens, tanquam imperfectio quædam, Deo repugnat. 5. Non posse dari in Deo nisi unam naturam, quia, quidquid in Deo est, Deus ipse est, sed

ſed ex his naturali ratione præcognitis demonſtrari poteſt Trinitas. Nam I. Deus intelligendo producit verbum mentis, & volendo producit alterum terminum, quem appellamus Spiritum S. II. Verbum & Spiritus S. ſunt a principio producente diſtincti. III. Uterque terminus eſt ſubſtantia per ſe ſubſiſtens. IV. & quidem Deus in una natura. *ergo.* &c.

Resp. Non omnia certa & indubitata ſunt. quæ ſupponuntur, maxime ſecundum & tertium, quod hodie a multis negatur. Quod ſi autem omnia ſe ita haberent, non ſequitur, quod Philoſophus ſolo lumine rationis naturalis ex iſtis rebus creatis arguere etiam poſſit ad divina: imo neceſſario dubitaret, an termini producti ſint ejusdem prorſus naturæ & conſubſtantiales, quod ad Trinitatis myſterium requiritur. Sed ſi eo denique eluctaretur, adhuc demonſtratum non foret, quod verbum ſit *Filius*, & *generetur*, non vero generetur Spiritus S., nec dici poſſit Filius, etſi eandem prorſus acceperat naturam. Item neſciret perſonam utramque eſſe independentem: Spiritum S. procedere ab utraque, & alia.

Objic. II. Omne bonum eſt ſui commu- 93
nicativum, ſed Deus eſt bonum infinitum: ergo *infinite* ſe communicat; ſed ad extra tantum communicat ſe *finite:* ergo ad in-

tra

tra ſe communicat *infinite*, & quidem per intellectum & voluntatem. ergo natura infinita communicatur duabus aliis perſonis, per intellectum verbo, per voluntatem Spiritui S.

Resp. Naturali ratione Philoſophus hoc unum ex iſto argumento inferret, Deum ſe communicare infinite, quoad modum operandi, non vero quoad rem communicatam: & ſic communicationem ad intra non deprehenderet.

91 Objic. III. In Deo datur omnis perfectio: atqui generare ſibi ſimile, eſt perfectio. ergo hæc datur in Deo, conſequenter datur generatio Filii.

Resp. *Diſt. min.* generatio eſt perfectio, in creatis. *Conc.* in divinis. *ſubdiſt.* ſuppoſita revelatione. *Conc.* ſecus. *nego.* ſi ſoli rationi inhæreatur, tunc illa quatuor & plures perſonas ſuſpicabitur; debebit enim etiam generare Filius & Spiritus S. & quod ab his generatum eſt, debebit iterum generare ſibi ſimile, & ita porro, aut potius concludet, in Deo unitatem eſſe ſummam perfectionem.

92 Objic. IV. Non poteſt demonſtrari impoſſibilitas hujus myſterii. ergo poteſt demonſtrari ejus poſſibilitas.

Resp.

Resp. *Dist.* Consequens. ergo potest demonstrari possibilitas, *negative.* conc. *positive.* nego.

Objic. V. Dicebat Lullus: in Deo debet esse bonificativum, bonificabile, & bonificans: sed bonificativum est Pater: bonificabile est Filius, & bonificans est Spiritus S.: ergo datur Trinitas. 93

Resp. Nego *min.* sequeretur enim, Spiritum S. non procedere a Filio, quia bonificans non profluit a bonificabili.

Objic. Contra II. part. I., quod involvit contradictionem, repugnat: sed mysterium S. Trinitatis involvit contradictionem. ergo repugnat. *min. prob.* Deus esset unus, & non esset unus, quia trinus. Idem communicaretur simul, & non communicaretur; communicaretur enim natura, non communicaretur persona, quae tamen cum natura est identificata. 94

Resp. *neg. min.* probationem *dist.* Deus esset unus & non unus sub diverso respectu; nimirum unus in *natura*, & trinus in *personis*: eadem natura communicaretur quoad *absoluta*, non vero quoad *relativa.* concedo. sub eodem respectu. *nego.*

Objic. II. Repugnant tres personae in una natura, secundum principium lumine naturae notum: *quaecunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se:* atqui Trinitas 95

tas

tas in hoc consistit, quod sunt tres personæ in una eademque natura: ergo repugnat.

Resp. Hoc axioma philosophicum vel tantum locum habet in creatis, e quibus mala fit argumentatio ad divina, prout patet in hoc principio: *ex nihilo fit nihil*, quod in Deo creatore non procedit. vel transmisso axiomate, *dist.* quæcunque sunt eadem uni tertio *incommunicabili*, sunt eadem inter se, *Conc.* quæ sunt eadem uni tertio *communicabili.* nego. sic enim in humanis duo homines sunt quid unum in natura; sed quia natura humana, ut universalis, est communicabilis, ideo non sequitur, quod duo homines sint unum. Ita in divinis: natura divina utut singularis, sed qua *infinita*, est communicabilis; & ideo non sequitur, quod Pater & Filius sint unum in persona, etsi sint unum in natura eadem tribus communicata. Potest etiam aliter distingui hoc axioma: quæcunque sunt eadem uni tertio etiam communicabili, sunt eadem inter se, quoad illud tertium communicabile, id est, quoad *naturam communem. Conc.* quoad *hypostasin*, quæ non est communis, sed relative opposita. *nego.* sic Petrus & Paulus, quia in natura humana conveniunt, sunt idem specie homo, sed distinguuntur numero, quia natura humana tota communicatur, & hac communicatione exhauritur, cum sit finita: quia autem natura divi-

divina infinita eſt, hinc pluribus communicari poteſt.

Objic. III. Si darentur tres perſonæ, 96
quarum quælibet Deus eſt, tunc tres darentur Dii, ſed hoc repugnat: ergo repugnat Trinitas.

Respond. *Diſt. Maj.* ſi quælibet eſſet Deus, per diſtinctam & diviſam naturam. *Conc.* ſi ſit Deus per eandem naturam tribus communem. *nego.*

Objic. IV. Si eſſent tres perſonæ, tunc 97
quælibet contineret perfectionem, quam non continet altera; ſed qui non continet omnem perfectionem infinitam, non eſt Deus: ergo nulla iſtarum perſonarum eſſet Deus, quod iterum repugnat.

Resp. *Diſt. Maj.* Tunc quælibet contineret perfectionem *relativam*, & non ſimpliciter ſimplicem. *Conc.* abſolutam, & ſimpliciter ſimplicem. nego. *Diſt.* etiam alterum membrum; quam non continet altera perſona, *immediate*, & *formaliter*. *Conc.* *mediate*, & *identice.* nego. perfectio relativa v. g. Paternitas, eſt identificata cum natura divina, & per communicationem ac identitatem *mediate* etiam eſt in Filio & Spiritu S., etſi non *formaliter*, quod non requiritur; quia non eſt perfectio *ſimpliciter ſimplex.*

CAPUT II.

De divinis Processionibus.

98 PROCESSIONIS nomine intelligitur rei cujusdam ex alterius substantia emanatio; sicuti emissio fructus e radice, quo exemplo utitur S. BASILIUS M.; est autem duplex, *immanens*, & *transiens*. Hæc est potestas aliquid extra se producendi, cujus terminus est extra producentem; *immanens* vero, seu *ad intra*, cujus terminus productus est in producente, sicut intellectio in intellectu: de transeunte nulla hic est quæstio; immanens vero iterum dividitur in processionem unius ab alio tanquam *a causa*, vel tanquam *a principio*. Non dari in divinis processionem ab alio tanquam *a causa*, inde constat; quia persona procedens tanquam Deus, debet esse *a se*, & independens ab omni causa; dari vero processionem ab alio tanquam *a principio*, clare innuit S. Scriptura. Sic Christus de se ipso Joan. VIII. 42.: *Ego ex Deo processi &c.* de Spiritu S. ibidem XV. 26.: *Spiritus, qui a Patre procèdit, ille testimonium prohibebit de me &c.*; quod autem Pater non possit dici ab aliquo procedere, ex symbolo Athanasiano constat: *Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus &c.*: ex PP. qui eum passim appellant *ingenitum*, *innascibilem*, per exclusionem omnis processionis: & etiam pro-

probari poteſt ratione ; nam pater neque producitur a ſe ipſo ; ſecus eſſet ſe ipſo prior & poſterior. Neque producitur a cauſa ; quia ſic diſtingueretur realiter ab illa : neque producitur a Filio aut Spiritu S. cum ipſe ſit illorum principium. Hoc igitur capite pertractandum I. de numero & proprietatibus divinarum Proceſſionum. II. De Proceſſione Filii. III. De Proceſſione Spiritus ſancti. IV. De principiis divinarum Proceſſionum.

§. I.

De *numero & proprietatibus divinarum proceſſionum.*

PRoceſſio divina dupliciter ſumi poteſt: 99
active, & *paſſive*. active ſumta eſt ipſa actio, per quam Perſonæ divinæ communicatur eſſe divinum. *paſſive* ſumta eſt ipſa receptio eſſe divini, ſeu terminus proceſſionis activæ.

Resolutio I. Duæ ſolum ſunt in Deo 100
proceſſiones *activæ*, virtualiter inter ſe diſtinctæ.

Prob. Tot ſunt proceſſiones, quot ſunt actiones ſeu facultates immanenter operativæ & communicativæ divinæ naturæ: atqui nonniſi duæ ſunt, nimirum intellectio, ſeu generatio verbi, & volitio, ſeu ſpiratio activa Spiritus S. : *ergo* &c. eti-

amſi autem iſte actus, quo verbo & Spiritui S. communicatur eſſe divinum, ſit realiter & a parte rei unicus, cum actus Dei ſit ipſe Deus, nihilque abſolutum in eo diſtinguatur; quia tamen actus immanentes intellectus & voluntatis virtualiter diſtinguuntur, ideo etiam proceſſiones activæ virtualiter diſtinguuntur, etſi realiter una ſit proceſſio.

101 Resolutio II. Duæ ſunt proceſſiones paſſivæ.

Prob. Tot ſunt proceſſiones paſſivæ, quot ſunt perſonæ procedentes, ſeu termini producti: ſed ſolum duo ſunt, nimirum Filius, & Spiritus S., ut S. Scriptura & PP. unanimiter teſtantur. *ergo.* &c. hæc patebunt amplius ex dicendis.

102 Objic. Contra I. &II. reſolutionem. Omnis proceſſio repugnat Deo: ergo nulla datur. *ant. prob* proceſſio ſupponit originem, ſeu principium: ſed quod ſupponit originem, repugnat aſeitati, quæ Deo eſſentialiter competit: ergo proceſſio repugnat Deo.

Resp. Neg. *ant.* ad prob. *Diſt. Maj.* proceſſio ſupponit originem, tanquam *a principio. Conc.* tanquam *a cauſa* extrinſeca. nego *Maj.* & *Diſt. min.* quod ſupponit originem tanquam *a cauſa*, repugnat aſeitati. *Con.* tanquam *a principio,* nego *min.* Aſeitas *adæquata* ſolum competit naturæ, ſive eſſentiæ, quæ tribus perſonis com-

communis, & eadem eſt: in ratione autem perſonæ nulla eſt alterius principium; dicitur enim in ſymbolo Nicæno: *Deum de Deo, Deum verum, de Deo vero.*

Objic. II. In divinis non poteſt dari prius & poſterius: ſed proceſſio ſupponit prius & poſterius. *ergo.* 103

Resp. *Diſt. Maj.* non poteſt dari prius & poſterius, poſterioritate *temporis* & dignitatis. *Conc.* prioritate *originis.* nego. In hac Trinitate, ut loquitur ſymbolum S. Athanaſii dictum, nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales. Per quod tamen non excluditur proceſſio unius ab alio, quæ pariter æterna eſt; quia Deus ab æterno diligit & amat.

Objic. III. Si datur divina proceſſio, 104 tunc debet eſſe infinita: ſed quod infinitum eſt, nonniſi unum eſt: ergo ad ſummum datur una proceſſio.

Resp. *Diſt. Min.* quod infinitum eſt, in *omni* genere, hoc unum eſt. *conc.* quod infinitum eſt in *certo* genere. *ſubdiſt.* id unum eſt, in iſto eodem genere. *conc.* ita ut excludatur aliud in alio genere, *neg.* Deus, quia infinitus eſt in omni genere ideo etiam unus eſt; ſed quia proceſſio duplicis eſt generis, una per intellectum, & altera per voluntatem, ideo unaquæque infini-

ta est in suo genere, & etiam una. Quia ergo Deus infinitus est, tam quoad intellectionem, quam quoad volitionem; ideo etiam una est & infinita processio per intellectum, & una ac infinita per voluntatem.

105 Objic. IV. Si ideo dantur in Deo processiones, quia in Deo est operatio intellectus & voluntatis, tunc sequitur, plures dari processiones, quam duas: sequela falsa est: ergo & antecedens. sequela probatur. Etiam Filio & Spiritui S. communis est intellectus & voluntas: ergo etiam deberent admitti processiones a Filio & Spiritu S. & sic plures, quam duæ.

Resp. ad hoc: Nego sequelam majoris. *prob. dist.* etiam Filio & Spiritui S. communicatur intellectus & voluntas essentialis *conc.* notionalis Patri, & quoad voluntatem Filio propria. *nego*, vel *dist.* aliter. communicatur intellectus jam *exhaustus* per processionem Filii. *conc.* intellectus adhuc *fœcundus*. *nego*. Voluntas tamen communicatur Filio ut nondum exhausta, & una est in Patre, ac Filio, spirativa Spiritus S. seu unum principium.

106 Resolutio III. Processiones divinæ sunt immanentes, substantiales, necessariæ, æternæ, metaphysicæ & omnis imperfectionis expertes.

Et

Et *primo* ſunt IMMANENTES ; nam *Verbum erat apud Deum*; termini enim producti manent intra principium producens, cum ſint ejusdem cum principio ſubſtantiæ : & intellectus atque voluntas immanenter operantur.

II. Sunt SUBSTANTIALES ; quia termini 107
producti ſunt perſonæ, quæ ſunt eſſentialiter ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentes : cum econtra actus intellectus & voluntatis humanæ ſolum producant accidentia.

III. Sunt NECESSARIÆ ; Pater enim ne- 108
ceſſario ſe ipſum comprehendit , & cognoſcendo producit Verbum, neceſſario quoque ſe amat tanquam ſummum bonum, ſicque ſpirat Spiritum S.

IV. Sunt ÆTERNÆ; quia nullum poteſt 109
concipi inſtans, quo Pater ſe non intellexerit & amaverit : ſecus Filius & Spiritus S. eſſent creaturæ, quibus repugnat eſſe ab æterno, uti arguebant PP. contra Arianos.

V. Sunt METAPHYSICÆ, id eſt, ſine om- 110
ni mutabilitate, & dependentia, quæ repugnat naturæ divinæ.

VI. Denique omnis imperfectionis ex- 111
pertes ; quia Deus eſt ens, omni poſſibili perfectione præditum, omnemque imperfectionem excludens.

§. II.

De Processione Filii.

112 QUatuor hic investiganda sunt: I. an Filius, seu Verbum, procedat a Patre, & quidem *solo*: II. an sola processio Verbi sit & dicatur generatio: III. quam ob rationem generatio dicatur: IV. e quarum rerum cognitione procedat Filius? pro quorum resolutione notandum, generationem communiter cum S. THOMA definiri, quod sit *origo viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem naturæ.* Dicitur: *origo*: id est, emanatio, seu processio: quod est commune cuilibet productioni. Et quidem *viventis*; illa enim, quæ per se vivunt, proprie dicuntur *generari.* dicitur *a principio vivente*; quia, quod non vivit, vitam dare non potest. Dicitur: *a principio conjuncto*; debet enim esse principium activum, & esse conjunctum producto per aliquid sui, nimirum per communionem substantiæ propriæ. Denique additur: *in similitudinem naturæ*; quia ex vi generationis, in genere saltem natura specifica communicari debet; *simile* enim, ut fert Philosophorum adagium, *producit sibi simile.*

113 Processionem Filii dicendam esse *generationem*, negabant Ariani; quia nolebant eum Patri *consubstantialem agnoscere.* Cur au-

autem proceſſio Filii potius, quam Spiritus S. dicatur *generatio*, etſi hoc videatur eſſe definitum in ſymbolis Conciliorum NICÆNI, CONSTANTINOPOLITANI, LATERANENSIS IV., & ATHANASIANO, evidens tamen & undequaque convincens ratio dari non poteſt, prout etiam confeſſi ſunt plerique PP. agentes contra MACEDONIUM, qui hoc argumento utebatur adverſus Spiritus S. divinitatem; *ſi creatura non eſt*, ajebat, apud ATHANASIUM epiſt. ad Serapionem, *neque ullus ex Angelis, ſed a Patre procedit: igitur & ipſe Filius eſt, & duo ſunt fratres. Quod ſi frater eſt, quomodo verbum unigenitus eſt?* hoc tamen non obſtante Catholici varias, ſed modeſte afferunt rationes. Et alii quidem cum RICHARDO a S. Victore hanc; quia Filius accepit naturam fæcundam, non vero Spiritus S. Alii cum S. BONAVENTURA; quia proceſſio verbi eſt ſecundum naturam, non item Spiritus ſancti, quæ fit ſecundum voluntatem. Alii cum VASQUEZ; quia Filius procedit ut imago Patris per mentem expreſſa. SUAREZ exiſtimat, hoc ideo dici; quia verbum eſt Filius & a Patre procedit ſub ratione *intellectionis actualis*, quæ eſt ultima Dei differentia, & veluti gradus conſtitutivus. SCOTISTÆ putant, nullam omnino aſſignari poſſe rationem. Denique S. THOMAS & communis Theologorum exiſtimat, ideo proceſſionem Filii eſſe generationem; quia procedit per in-

tellectum, cui proprium eſt aſſimilare ſibi terminum: cum econtra Spiritus S. procedat per voluntatem, cujus natura non eſt, ut terminum ſibi aſſimilet. Quoad ultimam denique quæſtionem, ex qua rerum cognitione verbum procedat, variæ ſunt iterum opiniones, maxime, an ſicut procedit e cognitione divinæ eſſentiæ, attributorum abſolutorum, & Perſonarum, ita etiam e cognitione creaturarum, non tantum poſſibilium, ſed etiam futurarum & exiſtentium.

114 RESOLUTIO I. Filius procedit a Patre, & quidem *ſolo*. eſt de fide.

PROB. Pars I. Chriſtus Joan. VII. 29. dicit: *Ab ipſo* (Patre) *ſum*, *& ipſe me miſit.* ibidem VIII. 42. *Ego enim ex Deo proceſſi, & veni: neque enim a me ipſo veni, ſed ille me miſit.* Ita etiam definierunt Concilia NICÆNUM I., CONSTANTINOPOL. I., LATERANENSE IV., ſymbolum ATHANASIANUM, & Patres omnes.

RATIO eſt I. Secunda Perſona, ſeu Verbum, eſt Filius Pſalm. II. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Atqui de ratione Filii eſt, ut procedat a Patre. *ergo.* II. Juxta commune SS. PP. ratiocinium nulla datur in divinis diſtinctio, ubi non occur-

currrit oppoſitio relativa : ſed, ſi Filius non procederet a Patre, non diſtingueretur ab illo; quia eidem non opponeretur relative. Atqui diſtinguitur ex dictis Cap. I. *ergo.*

PROB. II. pars iisdem fere momentis; nam 115
S. Scriptura Filium a *ſolo* Patre, non autem a Spiritu S. procedere dicit. Sic etiam Concilium LATERANENSE IV. Cap. 5.: *Pater a nullo, Filius a ſolo Patre, ac Spiritus S. ab utroque pariter absque initio ſemper & ſine fine*; & ſymbolum Athanaſianum: *Filius a Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.*

Ratio eſt. Si procederet ab alio quam 116
a ſolo Patre, tunc vel ab eſſentia divina, vel a Spiritu S.? aliud enim fingi nihil poteſt. Sed non a natura; quia cum illa eſt identificatus, & non niſi virtualiter ab ea diſtinguitur: diſtingueretur autem realiter, ſi ab eadem procederet, ob oppoſitionem relativam. Neque procedit a Spiritu S., quia viciſſim hic a Filio procedit, ut dicitur §. ſequente.

RESOLUTIO II. Proceſſio verbi proprie, & 117
quidem ſola, eſt generatio. *eſt iterum de fide.*

PROB. I. pars. S. Scriptura eam ita appellat, Pſal. 109.: *ex utero ante Luciferum genui te*; Iſai. LIII. 18., *generationem ejus quis enar-*

enarrabit? Joan. III. 16.: *ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum* UNIGENITUM *daret.* Ratio eſt. Proceſſio Verbi eſt *origo viventis a vivente principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ*: ergo eſt *generatio* ex ipſa definitione. *Ant. prob.* eſt *origo*; quia proceſſio eſt viventis a vivente, ſecundum illud Joan. V. 26.: *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo.* Eſt *a principio conjuncto*: quia Filius eſt Patri conſubſtantialis. Et denique, *in ſimilitudinem naturæ*: quia ſecundum Paulum ad Hebr. I. 2. Filius eſt *Splendor Patris & figura ſubſtantiæ ejus*: *nec rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Philipp. II. 6.

118 PROB. II. pars, ſolam Verbi, non autem Spiritus S. proceſſionem, eſſe, & dici generationem. Nullibi enim Spiritus S. dicitur *Filius*, aut *Genitus*: ſed Verbum vocatur *Unigenitus*. Concilium LATERANENSE IV. & ſymbolum Athanaſianum expreſſe definiunt, Spiritum S. *non genitum*, ſed *procedentem*. Eccleſia illos declaravit hæreticos, qui plures admittebant filios, cujusmodi fuerunt Valentiniani & Marcionitæ. SS. Patres quoque in hoc unanimiter conſentiunt. Rationem autem dabit ſequens reſolutio.

119 OBJIC. I. generatio importat mutabilitatem, diviſionem & ſectionem ſubſtantiæ: ſed

ſed hoc Deo repugnat: ergo in divinis non datur generatio.

Resp. Diſt. *Maj.* Generatio dicit mutabilitatem, in rebus creatis. *conc.* in divinis. *nego.* Ratio differentiæ eſt; quia natura humana, *finita*, & limitata, non poteſt *tota* communicari Filio, & *tota* eſſe in Patre; ſi enim Pater *totam* daret, ſe ipſum exhauriret. Econtra natura divina *infinita*, inexhauribilis, & communis eſt tribus. Aliunde etiam conſtat, quod perfectiones creaturarum in Deo contineantur eminenter, id eſt, ſecluſis imperfectionibus.

Objic. II. Chriſtus dicitur *primogenitus*: 120
atqui primogenitus ſupponit plures fratres. ergo dantur plures filii.

Resp. *Diſt. Maj.* dicitur *primogenitus*; quia nullus ante ipſum eſt genitus. *Conc.* aliter. *nego.* item dicitur *primogenitus hominum*, quos Pater ob merita Filii *adoptare* dignatur in filios, & ſic Chriſtus eſt primogenitus inter multos fratres; hac tamen differentia, quod ipſe ſemper ſit Filius Dei *naturalis*.

Objic. III. vel Spiritus S. eſt *genitus*, 121
vel *ingenitus*: atqui non eſt *ingenitus*; hoc enim eſt proprium Patri: ergo eſt *genitus*: conſequenter Filius.

Resp.

Resp. Nego *Maj.* Neque enim eſt genitus, neque ingenitus, ſed *procedens*, ut docet Eccleſia, cui in hoc abſtruſo myſterio quoad modum loquendi maxime ſtandum eſt.

122 Objic. IV. Proceſſio viventis a vivente principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ, eſt generatio: atqui talis eſt proceſſio Spiritus S., qui & ipſe a Patre & Filio in ſimilitudinem naturæ procedit. ergo etiam eſt generatus.

Resp. *Diſt. maj.* Proceſſio in ſimilitudinem naturæ, eſt generatio, ſi hæc fiat *ex vi* ipſius proceſſionis, & formaliter. *conc. Maj.* ſi non fiat *ex vi* ipſius proceſſionis, ſed quaſi materialiter & identice. nego *maj.* Spiritus S. procedit quidem in ſimilitudinem naturæ, ſed non *ex vi ipſius* proceſſionis, ut patet ex reſolutione.

123 Resolutio III. Ideo proceſſio filii, non autem Spiritus ſancti dicitur, & eſt *generatio*; quia Filius procedit per *intellectum*, vi ſua aſſimilantem in natura: Spiritus S. per *voluntatem*. eſt communis Thomiſtarum.

Prob. I. pars: *negative.* Nulla aliarum ſententiarum ſatisfacit: ergo noſtra eſt præferenda. *Ant. prob.* I. Filii proceſſio non ideo dicitur generatio; quia accepit natu-

ram

ram fæcundam. Nam ad rationem Filii non requiritur *fœcunditas*, cum multi filii generentur steriles; si enim ad esse filii requireretur fæcunditas, tunc in verbo illa deberet esse fæcunditas, quæ est in Patre: atqui talis non est in Filio, ut qui per intellectum non generat. Denique si similitudo naturæ consisteret in fæcunditate, sequeretur, Spiritum S. nequaquam esse Patri & Filio similem, utpote qui nulla ratione, neque per intellectum, neque voluntatem fæcundus est. Sequeretur etiam, quod neque Filius esset Patri perfecte similis, quia non recipit fæcunditatem intellectus.

II. Filii Processio non ideo est generatio, 124
quia fit secundum naturam, non item Spiritus S., quæ est secundum voluntatem. Redit enim eadem quæstio, cur processio Verbi sit secundum naturam non autem processio Spiritus S.? Dein procedere secundum naturam, vel est idem, ac procedere necessario, non libere: vel est idem, quod procedere ex natura fæcunda? Neutrum sufficit; quia etiam Spiritus S. procedit necessario & ex fæcunda natura Patris.

III. Processio Verbi non ideo est gene- 125
ratio, quia procedit ut imago Patris; nam iterum supponitur, quod est in quæstione, cur nempe Verbum procedat ut imago Patris, & non etiam Spiritus S.? Dein illa ratio imaginis, vel est positiva in *reali* naturæ

turæ ſimilitudine, vel in *intentionali?* Neutrum dici poteſt. Non primum; quia *realis* ſimilitudo naturæ eſt etiam in Spiritu S. Non ſecundum; quia *intentionalis* illa repræſentatio ad generationem non requiritur, nec per ſe eſt fæcunda.

126 IV. Verbi proceſſio non ideo eſt generatio, quia procedit per intellectum *actualem*, tanquam rationem conſtitutivam naturæ divinæ; nititur enim hæc explicatio falſo ſuppoſito, tanquam eſſentia Dei metaphyſica eſſet *intellectio actualis*, quod refutatum eſt Parte I.

127 PROB. eadem pars *poſitive*: ſecunda perſona ideo appellatur *Filius*, quia eſt Verbum: ideo autem eſt Verbum, quia procedit per intellectum: ergo ideo eſt Filius, ſeu genitus, quia procedit per intellectum. *Maj.* conſtat ex SS. PP.; nam AMBROSIUS de Incarnatione Cap. 3. dicit: *Si multa verba; multi filii.* S. AUGUSTINUS Tract. 44. in Joan.: *Eo ipſo Filius, quod Verbum*; & L. 9. de Trinitate. Ideo Verbum dicit Filium, non vero Spiritum S.; *quia mens notitiam ſuam gignit, cum ſe novit, & amorem ſuum non gignit, cum ſe amat*: ita & alii, e quibus oritur ratio. Ille actus eſt cauſa, cur proceſſio Verbi ſit generatio, qui facit, quod ſecunda perſona procedat *in ſimilitudinem naturæ*: atqui intellectio divina vi ſua eſt cauſa, quod

quod ſecunda perſona procedat *in ſimilitudinem naturæ.* ergo hæc eſt cauſa, cur dicatur generatio. *min. prob.* Intellectio in genere *ex vi ſua* tendit in ſimilitudinem, quam efformat, quæ appellatur *verbum mentis.* Sicut autem intellectio eſt duplex, creata, & increata, ita etiam terminus intellectionis, ſeu verbum, eſt duplex: *intentionale*, & *ſubſtantiale:* ſicut ergo intellectio, creata tanquam imperfecta, *vi ſua* tendit ad ſimilitudinem imperfectam, ſeu intentionalem; ita intellectio divina tanquam perfectiſſima, *vi ſua* tendit in ſimilitudinem perfectiſſimam, ſeu ſubſtantialem: conſequenter ratio *proxima*, cur proceſſio Filii ſit generatio, eſt; quia procedit per intellectum divinum *vi ſua* ſubſtantialiter aſſimilativum in natura.

Prob. II. pars. Spiritus S. procedit per 128
voluntatem, quod patet ex Scriptura & Patribus; dicitur enim *donum*, *charitas*, *amor* &c.: atqui proceſſio per voluntatem non eſt generatio: ergo proceſſio Spiritus S. ideo non poteſt dici generatio, quia procedit per voluntatem. *min. prob.* ut aliqua actio poſſit dici generatio; debet ex vi & natura ſua tendere in ſimilitudinem ſubſtantialem naturæ: atqui volitio divina *ex vi* & natura ſua non tendit in ſimilitudinem *ſubſtantialem* naturæ. *ergo. min. prob.* voluntas in genere tendit ad unitatem ſolum *metaphoricam;* nam quaſi extra

se fertur in objectum amatum, & ipsamet per suum amorem fit similis objecto, & quasi transformatur: igitur etiam voluntas divina ex vi *sui amoris* non tendit in similitudinem *substantialem* naturæ: & hinc generatio dici nequit.

129 Objic. I. procedere per intellectum, non dicit per se generari substantiam naturæ similem: ergo adducta ratio nulla est. *ant. prob.* Esse, quod acquiritur per intellectum, solum est *intentionale*: sed acquirere esse intentionale, non dicit generari substantiam in naturæ similitudinem. *ergo.*

Resp. *Dist. ant.* procedere per intellectum, *ut sic. conc.* per intellectum perfectissimum. nego *ant.* Intellectus in genere *per se* tendit in similitudinem: provenit autem ex imperfectione & limitatione intellectus *creati*, quod solum producat similitudinem & terminum *intentionalem.* Itaque intellectus perfectissimus & infinitus producit terminum adæquate & substantialiter similem.

130 Objic. II. Spiritus S. per processionem habet naturam similem Patri. ergo & hæc processio est generatio.

Resp. *Dist.* habet naturam similem Per processionem, non tamen ex vi ipsius processionis. *conc.* secus. *nego.* quod Spiritus S. sit Patri & Filio similis, non habet

ex

ex vi ſuæ proceſſionis per voluntatem, cujus proprietas non eſt aſſimilativa; ſed hoc habet ex eo, quia natura divina eſt ſubſtantialiter eadem cum impulſu ſeu amore, per quem a Patre & Filio producitur.

Objic. III. Si proceſſio Filii ideo eſt generatio, quia fit per intellectum; tunc etiam proceſſio Spiritus S. erit generatio, quia intellectus & voluntas Dei realiter idem ſunt. *ergo.* 131

Resp. Nego rationem; etiamſi enim intellectus & voluntas ſint realiter *actualiter* idem, diſtinguuntur tamen virtualiter: quod ſufficit ad hoc, ut Spiritus ſanctus *formaliter* non procedat per intellectum.

Objic. IV. Spiritus S. vi ſuæ proceſſionis a Deo procedit vel ut quoddam *accidens*, vel ut *per ſe ſubſiſtens*? Non ut accidens; quia perſona eſt, & ſubſtantia. ergo procedit ut ſubſtantia, & quidem ſimilis Deo: ergo vi proceſſionis habet ſimilitudinem naturæ. 132

Resp. Nego *Maj.* nam ex vi ſuæ proceſſionis ſolum procedit ut terminus infinitus infiniti amoris: quod autem ſit ſubſiſtens, hoc inde habet, quia in Deo ſunt omnia idem. Terminus voluntatis generaliter eſt pondus, ſeu impulſus: ſive

 fini-

finitus, seu infinitus, abstrahens, an sit accidens, vel substantia.

133 Resolutio IV. Verbum divinum procedit e cognitione 1. divinæ essentiæ & attributorum. 2. personarum. 3. creaturarum possibilium. 4. non vero futurarum. *Est communis Thomistarum.*

Prob. I. pars. Cognitio, e qua procedit verbum, debet esse quidditativa, cum sit comprehensiva. ergo debet se extendere ad objectum primarium, quod est essentia, & attributa identificata.

134 Prob. II. pars. Nam ut loquitur S. Thomas 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. „ Pater intelligendo se & Filium & Spiritum „ S. concipit verbum, ut sic tota Trinitas verbo dicatur. „ Ratio est. Verbum procedit ex cognitione perfectissima, quidditativa, intuitiva, comprehensiva, & beatifica divinæ essentiæ : atqui essentia sic considerata includit tres personas, quæ in cognitione intuitiva & comprehensiva non possunt ab illa præscindi : ergo verbum procedit e cognitione personarum. *Maj.* constat; si enim posset dari perfectior cognitio, posset etiam dari perfectius verbum : & sic non esset Deus, neque Ens, quo melius cogitari nequit. *min.* etiam certa videtur; ut enim cognitio sit quidditativa, intuitiva & comprehensi-

hensiva, ad omnia se extendere debet, quæ sunt in objecto : atqui tres personæ cum essentia, seu naturâ, realiter sunt identificatæ. *ergo.* &c.

Prob. III. pars. Verbum procedit ex co- 135
gnitione comprehensiva divinæ essentiæ : atqui essentia divina comprehendi nequit sine cognitione omnipotentiæ : nec omnipotentia comprehendi potest sine termino, ad quem se extendit, qui terminus sunt omnia possibilia, ut dictum est Tract. de Deo Uno.

Prob. IV. pars. I. Cognitio rerum, ex 136
qua procedit verbum, debet esse necessaria & naturalis ; quia ipsius verbi processio, seu generatio, necessaria & naturalis, non libera est : atqui cognitio rerum futurarum non est *necessaria*, sed *libera*; est enim scientia *visionis*, quæ supponit decretum Dei liberum, vel saltem physicam rerum contingentium in æternitate præsentiam. *ergo.*

II. Illarum rerum cognitio non concur- 137
rit ad productionem verbi, quibus remotis idem omnino & invariatum esset verbum : atqui si nullæ prorsus res essent futuræ, idem tamen esset verbum, & invariatum, uti expresse docet S. Anselmus in Monologia Cap. 30. „ sive Deus „ cogitetur, nulla alia existente existen-

„ tia, ſive aliis exiſtentibus, neceſſe eſt, „ verbum illius coæternum illi cum ipſo „ eſſe. *ergo.*

138 III. Si verbum procederet ex cognitione rerum futurarum, tunc iſta cognitio origine *prius* deberet competere Patri, quam verbo: atqui non competit *prius* Patri quam verbo. *min. prob.* ſcientia futurorum præſupponit decretum liberum: atqui decretum non convenit origine prius Patri, quam Filio, aut Spiritui S., ſed eſt commune omnibus perſonis, ſicut actiones ad extra, quæ innituntur decreto. *ergo.* &c.

139 Objic. I. Cognitio ex qua procedit verbum, debet intelligi prius eſſe & exiſtere, quam ipſum verbum: ergo ex ſui ipſius & Spiritus S. cognitione non procedit verbum: ſecus eſſet ſe ipſo & Spiritu S., cujus Filius eſt cum Patre principium, prius & poſterius.

Resp. *Diſt. ant.* cognitio debet intelligi *prius* exiſtere, *prioritate a quo*, ſeu *originis. Conc.* prioritate *in quo*, ſeu *temporis* nego. cum verbum e cognitione Patris tanquam origine procedat, prius concipitur Pater cognoſcere omnia. In ipſo tamen ſigno, quo Pater ſe ipſum cognoſcit, cognoſcit perfectiſſimam ſui ſimilitudinem, id eſt, verbum: & ſic nulla adeſt prioritas *in quo*, quæ dicit, unum prius altero exi-

existere; nam & Patris cognitio, & verbum, æqualiter æterna sunt.

Objic. II. Si verbum procederet e cognitione rerum possibilium, tunc ab illis aliquo modo dependeret: atqui verbum divinum increatum non potest dependere a creaturis. *ergo.* 140

Resp. Nego sequel. *Maj.* Etiamsi enim unum relativum subsistere nequeat sine correlativo, e. g. Pater sine Filio, per hoc tamen unum ab altero non dependet; dependentia enim dicit subordinationem, quæ in divinis, ubi omnia æterna & æqualia sunt, locum habere nequit.

Objic. III. Si verbum procederet e cognitione rerum possibilium, tunc posset dici imago creaturarum, quemadmodum dicitur verbum earum: atqui hoc videtur absurdum & contra mentem SS. Patrum. *ergo.* 141

Resp. Nego sequel. *Maj.* nam imago dicit imitationem & similitudinem causæ exemplaris: Verbum autem non generatur neque procedit ad imitationem & similitudinem creaturarum: hinc neque est illarum imago. Potest tamen dici illarum verbum; quia res creatas manifestat & repræsentat.

142 Objic. IV. Licet nullæ creaturæ forent possibiles, verbum tamen eodem modo perfectum procederet, sicuti nunc: ergo eo ipso e cognitione rerum possibilium non procedit.

Resp. nego *ant.* si enim nullæ creaturæ essent possibiles, tunc verbum non procederet ut exemplar, ars & virtus productiva creaturarum, quod tamen est de ratione verbi, & sic non esset idem & perfectum verbum. Insuper argumentum est de impossibili; repugnat enim, divinam essentiam non esse imitabilem, nec Deum esse omnipotentem. Igitur impossibilitas creaturarum possibilium nequidem fingi cum fundamento potest.

143 Objic. V. Verbum defacto repræsentat omnes creaturas existentes, & futuras: hæc autem repræsentatio illi convenit *ex vi processionis*; quidquid enim verbum habet, id per æternam a Patre generationem. ergo procedit etiam ex cognitione rerum existentium.

Respond. Nego. *min.* ex processione equidem habet verbum, quod repræsentet res existentes, non tamen ex vi ipsius processionis, per quam solum habet similitudinem naturæ cum Patre.

144 Facile ex dictis colligi potest, Spiritum san-

ſanctum eodem reſpective modo procedere ex amore, quemadmodum Filius ex cognitione, atque adeo ex ſolo amore *neceſſario* divinæ eſſentiæ, attributorum, & perſonarum, inſuper & creaturarum poſſibilium, non autem futurarum; quia ſicut ſola cognitio *neceſſaria* eſt principium proportionatum proceſſionis Filii; ita ſolus Amor *neceſſarius* eſt principium productionis Spiritus S., de cujus proceſſione mox plura dicentur.

§. III.

De Proceſſione Spiritus S.

SPiritum S. a Patre procedere, jam du- 145
dum inter Chriſtianos Catholicos convenit, contra EUNOMIUM, Arianos & Macedonianos, nec hodie negatur ab ullo, qui Spiritus S. divinitatem & conſubſtantialitatem defendunt. Sed celeberrima Græcos inter & Latinos exorta eſt controverſia de ejusdem proceſſione a Filio, quod Græci a longo tempore impugnant: cui errori anſam dediſſe videtur THEODORETUS ſæc. V. impugnans CYRILLUM Alexandrinum, quod principium eſſe Filii Spiritum dixerit. Sæc. VII. Græci contra Latinos inſurgebant, quod hi Spiritus S. a Filio proceſſionem tuerentur, cum quibus tamen contra populares ſuos ſenſit S. MAXIMUS, & ipſe græcus celebris ſcriptor.

146 Acrior orta fuit contentio fæc. VIII. graſſantibus Iconoclaſtis ſub CONSTANTINO Copronymo, LEONIS Iſaurici Filio, qua occaſione plures in Gallia, Italia, & Germania celebratæ fuere ſynodi initio ſæculi IX., an. 809. In concilio AQUISGRANENSI eadem reſuſcitata fuit quæſtio, mota a JOANNE Monacho, quem nonnulli DAMASCENUM ſuſpicantur. In apertum denique ſchisma & incendium erupit gliſcens interim flamma, oleum & ligna ſupponente PHOTIO, in Patriarchalem Sedem Conſtantinopolitanam intruſo; qui cum ob ſuam factionem a NICOLAO Papa I. anathemate fuiſſet perculſus, inaudito ſcelere idem in Pontificem retorſit, ac plurimis calumniis Romanam Eccleſiam proſcidit, variarum hæreſum, & hujus præcipue eam incuſans, quod Spiritum S. non de ſolo Patre, ſed etiam de Filio procedere doceret, ſymbolumque catholicum hac novitate adulteraſſet. Hoc initium fuit diuturni & fatalis ſchismatis, quod variam ſequentibus ſæculis faciem induit. Nam de concordia inter utramque Eccleſiam Tractatum fuit in Concilio BARENSI ſub URBANO II. anno 1098. diſputante pro Latinis S. ANSELMO Cantuarienſi. in concilio LATERANENSI IV. anno 1213. Græci abjurata hæreſi in communionem cum Latinis redierunt, ſed poſt annos circiter 36. in priorem errorem relapſi ſunt. In Concilio LUGDUNENSI II. 1274. ſub GREGORIO X. im-

imperante MICHAELE Paleologo, denuo inter utramque Eccleſiam concordia inita fuit, paulo poſt, anno 1282. ſub imperio ANDRONICI, Michaelis Paleologi Filii confirmata. Tandem anno 1439. imperante JOANNE Paleologo poſt multas, tum Ferrariæ, tum Florentiæ habitas diſputationes, dogma proceſſionis SpiritusS. a Filio a Græcis pariter & Latinis definitum fuit. Sed in patriam reverſi imitante Marco Epheſino ad græcam plerique rediere fidem, ſeu perfidiam, quam poſt annos 14. nimirum anno 1353. urbis Conſtantinopolitanæ expugnatio & totalis imperii Orientis per Turcas everſio in manifeſtam pœnam ſubſecuta fuit, & quidem ipſa Pentecoſtes die Spiritui S. ſpecialiter ſacra. Hæc ſchismatis magni ſynopſis.

Hic igitur agendum I. de Spiritus S. a Filio proceſſione. II. an jure, & III. quo tempore particula, *Filioque*, ſymbolo Conſtantinopolitano a Latinis addita fuerit.

RESOLUTIO I. Spiritus S. procedit a Pa- 147
tre & Filio, tanquam unico principio. *eſt dogma fidei contra Græcos.*

PROB. I. pars. ex S. Scriptura Joan. XV. 26. ait Chriſtus: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* & ibidem XVI.

7. :

7.: *si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero; mittam eum ad vos.* In quæ verba S. *Epiphanius* in Anchorato scribit: „ Jam vero cum Christus ex „ Patre credatur Deus ex Deo, & Spi„ ritus ex Christo, *sive ab ambobus*, „ ut Christus his verbis asserit: *qui a Pa„ tre procedit:* & *hic de me accipiet.* „ Unde & oritur hoc argumentum: Ab illo Persona procedit, a quo mittitur; ideo enim Pater non potest dici *missus*, quia ab alio non procedit: atqui Spiritus S. mittitur a Filio: ex textibus citatis. ergo ab eo procedit. Ita ratiocinatur S. Athanasius epist. ad Serapionem: „ Hic est or„ do naturæ divinæ a Patre & Filio, ut „ qui a nullo est, a nullo mittatur, & qui „ est ab alio, in nomine suo non veniat, „ ita & Spiritus S., qui a se non est, a „ se venire non debuit, sed in nomine „ illius, a quo est, & a quo habet, ut „ hypostasis sit Deus: quemadmodum de „ eo dicit Filius: *Paraclitus Spiritus, quem „ mittet Pater in nomine meo.*

148 Respondent Græci, hanc missionem non esse intelligendam de Persona, sed de donis Spiritus sancti.

Contra est I. Persona ipsa vere nobis communicatur, secundum illud Joan. XIV. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum*

eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Prout infra Cap. IV. §. V. uberius declarabitur.

Contra est II. Non donum & effectus, sed Persona proprie mitti dicitur.

Prob. II. Christus Joan. XVI. 14. ait: 149
Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. . . . omnia quæcunque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet. Ex quibus clarissimis verbis SS. PP. & maxime Florentini hoc generale principium & argumentum desumserunt: quæcunque Patri propria sunt, illa etiam habet Filius, excepta relatione paternitatis: atqui Patri propria est spiratio activa, vi cujus Spiritus S. a Patre procedit: ergo etiam eam habet Filius, & ab eo pariter tanquam ab uno principio Spiritus S. procedit.

Prob. III. Spiritus S. a Paulo ad Galat. 150
IV. 6. dicitur *Spiritus Filii*: & Christus Joan. XX. 22. insufflavit Apostolis & dixit, *accipite Spiritum S.*: e quibus verbis S. Augustinus Tract. 99. in Joan. processionem Spiritus S. a Filio probat. „ Cur „ ergo non credamus, ait, quod etiam de „ Filio procedat Spiritus S.? cum Filii „ quoque ipse sit Spiritus; si enim ab eo „ non procederet, non Filii Spiritus dice- „ retur, neque post resurrectionem se re-

„ præ-

„ præsentans discipulis suis insufflans di-„ ceret: *accipite Spiritum S.*; quid enim „ aliud significat ista insufflatio, nisi quod „ procedat Spiritus S. & de ipso.„ Sic etiam Patres alii passim ratiocinantur.

151 Prob. Rationibus theologicis, quibus usi sunt Patres contra Græcos. I. Filius habet omnia, quæ habet Pater, sola relatione Paternitatis excepta, ex dictis: ergo habet spirationem activam. II. est S. Anselmi Cantuariensis L. de Processf. Spiritus S. contra Græcos C. 2. in divinis omnia sunt unum, nisi ubi obviat oppositio relativa; atqui Spiritus S. & Filius non sunt unum, sed realiter distincti: ergo inter utrumque est relativa oppositio. Sed ubi est oppositio relativa, ibi datur processio unius ab alio, ut patet ex distinctione & processione Filii ac Spiritus S. a Patre. *ergo*. Confirmat hoc argumentum Augustinus Tract. 30. in Joan.: *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt.* III. Si Spiritus S. a Filio non procederet, non distingueretur ab eo realiter, ut S. Anselmus & Joannes Theologus contra Græcos argumentabantur, omnesque fatentur Theologi; exceptis Scotistis: sequela non potest admitti. *ergo. prob. Maj.* si Spiritus S. non procederet a Filio, tunc non daretur fundamentum distinctionis realis; hoc enim sola est oppositio relativa: sed si Spiritus

tus S. non procederet a Filio, ei non opponeretur relative; ſolum enim principium originis eſt fundamentum relationis, quod non daretur in Filio, ſi Spiritus ab eo non procederet. *ergo.*

152 PROB. II. pars. Patrem & Filium eſſe unicum principium, non duo Spiritus S. principia; ita enim contra CREGORIUM Ariminenſem docent Catholici omnes, expreſſe S. BASILIUS M. AUGUSTINUS, ANSELMUS. Concilium quoque LUGDUNENSE II. Cap. unico de ſumma Trinitate in ſexto damnat & reprobat omnes, qui temerario auſu aſſerere præſumſerint, quod Spiritus S. ex Patre & Filio tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedit. Sic etiam FLORENTINUM in formula unionis.

RATIO eſt I. omnia Patris, ſola relatione paternitatis excepta, habet etiam Filius: atqui ſpiratio activa eſt Patris. ergo eſt etiam eadem in Filio. Ergo cum ſit unica ſpiratio activa in Patre & Filio, uterque etiam unicum eſt principium. II. omnia ſunt unum in Patre & Filio, quæ non opponuntur relative: atqui per ſpirationem activam Filius non opponitur Patri: ergo una & eadem: conſequenter unum eſt principium in Patre & Filio.

153 OBJIC. I. Generalis Synodus EPHESINA

non

non damnavit Neſtorianorum ſymbolum quoad proceſſionem Spiritus S. a ſolo Patre: nec etiam CYRILLUS Alexandrinus THEODORETUM, hæc eadem objicientem: ergo.

RESP. Concilium EPHESINUM unice erat congregatum ad damnandos errores incarnationi Chriſti contrarios: ideo illa, quæ ſenſum Catholicum patiebantur, uti ſymbolum Neſtorianum, quoad punctum præfatum intacta reliquit. CYRILLUS autem Medicum imitatus, in Theodoreto duplici morbo laborante unum tantum curare conabatur, ſenſim ad integram ſanitatem reſtituendam gradum facturus.

154 OBJIC. II. S. MAXIMUS Martyr, cum Latini in epiſt. ſynodica dixiſſent, Spiritum S. a Filio procedere, idque diſplicuiſſet Græcis, Latinos excuſat epiſt. ad Marinum, quod etſi dicant Spiritum S. procedere a Filio, non tamen ideo ſentiant, Filium eſſe Principium Spiritus ſancti. *ergo.*

155 RESP. *Diſt.* Latini ex mente S. MAXIMI non ſentiunt Filium eſſe principium, id eſt, *primum fontem*, aut principium diſtinctum. *Conc.* principium *ſimpliciter*, & unum cum Patre. *nego.*

OBJIC. III. LEO III. Rom. Pontifex non probavit additionem particulæ *Filioque* ad ſym-

ſymbolum. ergo neque proceſſionem Spiritus S. a Filio.

Resp. *Diſt.* non probavit, quia tunc nulla erat neceſſitas additionis. *Conc.* tanquam contrarium ſentiret. *nego.* Imo in dogmate cum Legatis conſenſit, ut pluribus docet Natalis Alexander.

Objic. IV. Plerique PP. græci negant, 156
Filium eſſe *cauſam*, quod apud Græcos idem eſt, ac *principium* Spiritus S. Item negant, Spiritum S. procedere *ex* Filio, ſed dicunt procedere *per* Filium. ergo Ecdeſia græca & ipſa traditio contraria eſt Latinorum dogmati, ſeu novitati, ut dicebat Photius.

Resp. *Diſt.* negant Filium eſſe principium, ſeu, cauſam *diſtinctam.* *Conc.* negant eſſe *idem* principium. *nego.* Item negant Spiritum S. procedere *ex* Filio, quia particula *ex* notat cauſam principalem, quæ ſuam producendi vim ab alio non habet, ut colligitur ex illo I. ad Corint.: VIII. 6. *unus eſt Deus Pater*, EX *quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus JEſus Chriſtus*, PER *quem omnia, & nos per ipſum.* Jam autem particula, *per*, idem in Patre & Filio innuit, quod particula, EX.

Objic. V. Si duplex eſt Spiritus S. princi- 157
pium, tunc monarchia in duplicem Dei-

tatem diſſolvitur, ut ait PHOTIUS, ſicque Deus non erit unus.

RESP. nego ſequelam, quia Filius & Pater ſunt *unicum* principium.

158 OBJIC. VI. Si ſpiratio activa Patri & Filio communis eſt, tunc erunt una perſona: quod falſum eſt.

RESP. Nego ſequelam; quia ſpiratio non eſt proprietas *conſtitutiva*, ſed notionalis.

159 OBJIC. VII. Proceſſio Spiritus S. a Patre jam eſt perfecta; ergo neceſſe non eſt, ut procedat a Filio.

RESP. Hoc argumentum nititur falſo ſuppoſito, quaſi Pater & Filius eſſent *duo* diſtincta principia, cum ſit tantum *unica* ſpiratio activa: ideo nulla inter Patrem & Filium inſtitui comparatio poteſt. Inſuper retorqueo in Græcos, creatio mundi facta a Patre, vel eſt perfecta, vel non? ſi perfecta; ergo neceſſe non eſt, ut etiam Filius & Spiritus S. creent. Si non perfecta; igitur imperfecta ſunt opera Dei, & Pater a Perſonis dependet.

160 OBJIC. VIII. Si Spiratio activa eſt Patri & Filio communis, tunc vel eſt ſubſtantialis, vel perſonalis: neutrum. Non *ſubſtantialis*; ſecus enim competeret Spiritui S., &

& ſic procederet a ſe ipſo. Non etiam *perſonalis*; quia quod eſt perſonale, non poteſt utrique perſonæ eſſe commune.

Resp. Spiratio activa eſt *perſonalis*, perſonales proprietates non poſſunt quidem convenire *toti* Trinitati, ſed duabus tamen perſonis; eſt enim hæc ſpiratio amor mutuus Patris & Filii, ſicque principium unicum Spiritus ſancti. Quamvis vero Spiritus S. eandem habeat cum Patre & Filio eſſentiam, non ſequitur, quod debeat a ſe ipſo procedere; quia eſſentiæ, qua eſſentia nuda eſt, non convenit, ut ſpiret Spiritum S. ſed quatenus affecta, ſeu modificata eſt Paternitate & filiatione.

Objic. IX. Si ſpiratio activa eſt Patri 161
& Filio communis, tunc Spiritus S. pluribus proprietatibus diſtinguitur a Patre, quam Filius, & hic erit proximior, quia immediate ab eo ſolo procedit: ſed hæc abſurda ſunt. *ergo* &c.

Resp. Nego ſequel. nam ſola ſpiratione paſſiva, ſeu proceſſione a Patre & Filio, tanquam uno principio, differt: nec ideo unus alteri propinquior; aut remotior eſt; quia a Patre uterque immediate procedit, & eſſentiam accipit.

Resolutio II. Particula *Filioque* opti- 162
mo jure ſymbolo ab Eccleſia latina addita fuit.

Prob. Ecclesia habuit potestatem, & caussam gravem hanc particulam, qua exprimitur processio Spiritus sancti a Filio, fidei symbolo inserendi. ergo hæc additio optimo jure facta fuit. *Ant. prob.* quoad I. Ecclesiæ a Christo concessa fuit illimitata potestas declarandi & definiendi articulos fidei, condendi symbola ad usum fidelium, eadem claritatis gratiâ augendi & explicandi, ut doctrina Catholica discernatur ab hæreticorum falsitate. Id enim omne Ecclesiæ concessum fuisse prudenter supponitur, quod eidem necessarium est: ergo potuit definire, Spiritum S. a Filio procedere, & hanc ipsam declarationem fidei symbolo inserere, tanquam articulum nunc *explicite* credendum, qui prius erat implicite revelatus.

163 Idem Ant. prob. II. ex constanti Ecclesiæ consuetudine. Sic jam I. Sæculo contra Cerinthum & Ebionem Filii divinitatem: sæc. IV. contra Arianos ejusdem cum Patre consubstantialitatem: deinceps contra Macedonianos Spiritus sancti divinitatem: contra Nestorianos S. Mariæ maternitatem Dei, & sic porro definivit. Igitur Ecclesia articulos declarare & definire potest: ergo etiam symbolo inserere, quod & ipsum contigit; nam symbolo Nicæni Concilii plura addita fuere in Constantinopolitano Concilio.

PROB. *Ant.* quoad II. partem. Quando 164
error contra fidem eſt communis, & periculum imminet, ne multi eodem involvantur, tunc graviſſima cauſa & neceſſitas adeſt, eidem præcavendi. Atqui communis erat Græcorum error, proceſſionem Spiritus ſancti a Filio negantium. Aderat inſuper periculum, ne plures in eum prolaberentur. ergo neceſſe erat, ut Eccleſia eidem præcaveret: hoc autem præſtitit per additionem particulæ *Filioque. ergo.*

OBJIC. I. Concilium EPHESINUM Parte 165
III. actione VI. ſtatuit: *alteram fidem nemini licere proferre, vel conſcribere, aut componere præter definitam a PP.* NICÆNIS! ergo a Latinis illicite adulteratum fuit ſymbolum.

RESP. *Diſt.* Concilium Epheſinum prohibuit proferre alteram fidem, id eſt Nicæno CONTRARIAM. *Conc.* eidem conformem, implicite contenta clarius explicantem. nego. *Diſt.* iterum. Non licet privata authoritate. *conc.* publica totius Eccleſiæ, & quidem urgente neceſſitate, vel gravi cauſa. *nego.* Nego etiam ſuppoſitum, quod ſit hæc *proprie* additio; cum ſolum ſit *explicatio*. Denique ſi Nicæno ſymbolo nihil licet addere: cur PP. Conſtantinopolitani I. plura addiderunt ſymbolo Nicæno.

166 Objic. II. Idem Concilium Ephesinum, quamvis definiverit B. V. M. esse vere *Deiparam*, hanc tamen vocem symbolo non addidit: ergo illicitam esse omnem censuit additionem.

Resp. Ideo vox *Deipara* non fuit addita symbolo; quia Christi divinitas & duplex in una hypostasi natura, facile & clare ex aliis definitis articulis colligi poterat; at vero Spiritus S. a Filio processio non adeo clare deducitur: ergo aderat sufficiens ratio, istam addendi particulam.

167 Objic. III. in Concilio Nicæno II. iterum prohibita fuit omnis additio, his verbis actione 7. „ Nos leges Patrum custodimus, nos eos, qui addunt quid vel adimunt, anathematizamus. *ergo.*

Resp. *Dist.* prohibetur additio vel mutatio, fidei Nicænæ contraria. *conc.* conformis. nego. *subdist.* prohibetur *privatis. conc.* Ecclesiæ universæ. *nego.* Neque enim Ephesini, nec Nicæni PP. cogitare, aut minitari poterant excommunicationem, degradationem, depositionem universæ Ecclesiæ irrogandam, quæ pœnæ solos privatos feriunt.

168 Objic. IV. Leo III. ex dictis improbavit additionem a Gallis & Germanis factam, & in duabus argenteis tabulis, quas ad

ad confessionem S. Petri reposuit, symbolum Constantinopolitanum sine hac additione græce & latine exarari voluit, ut refert ANASTASIUS in ejus vita, & Photius epist. ad Patriarcham Aquileiensem. ergo.

RESP. *Dist.* improbavit, quia nulla tunc videbatur necessitas. *Conc.* absolute, & pro omni tempore, *nego.*

RESOLUTIO III. Hæc additio ad symbolum in Ecclesia latina universa facta est ad finem sæculi IX. In Ecclesiis particularibus Germaniæ & Galliæ ad finem sæculi VIII. & initium IX. In Hispania vero jam sæc. V. 169

PROB. I. pars. Initio sæculi IX. an. 809. Concilii AQUISGRANENSIS & CAROLI Magni Legati a LEONE III. Romano Pontifice petierunt, ut particulam *Filioque* a PP. Aquisgranensibus symbolo additam, ratam haberet, ipsumque symbolum cum hac additione Romæ inter missarum solemnia decantari juberet. Atqui Pontifex consensum minime præbuit, sed expresse respondit: „ si prius, quam ita cantaretur, in„ terrogatus fuissem, ne insereretur, uti„ que respondissem. „ ergo initio hujus sæculi nondum authoritate Ecclesiæ Romanæ hæc additio facta erat; quia vero vergente ad finem eodem sæc. IX. PHOTIUS Constantinopolitanus Patriarcha hanc additionem tanquam temerariam Ecclesiæ Romanæ exprobravit, hinc consequi vide-

tur, circa Nicolai I. tempora hanc particulam Romanæ Ecclesiæ authoritate additam fuisse.

170 Prob. II. Pars. nam Concilium Forojuliense anno 799., & Francofordiense ex Germaniæ & Galliæ Episcopis congregatum anno 794., item Aquisgranense anno 809., hæc verba addiderunt symbolo, & una cum symbolo in Missa decantari fecerunt, quod colligitur ex Missa latina a Flacio Illyrico edita, quamque sæculo VIII. recentiorem non esse plerique existimant. Ubi etiam symbolum cum hac additione legitur.

171 Prob. III. pars. Ex Conciliis Hispanicis; nam in symbolis & fidei professionibus ab iisdem editis, processio Spiritus S. a Filio clare exprimitur. Sic in Bracarensi I. anno 401. in Toletano III. anno 589. adversus Arianos celebrato: In Toletano IV. anno 633., Toletano VI. anno 639. in Toletano VIII. anno 653. & pluribus aliis Conciliis eodem sæc. VII. celebratis hæc additio legitur: ergo pluribus ante Græcorum schisma sæculis processio Spiritus S. a Filio in Hispania credita & promulgata fuit.

§. IV.

§. IV.

De Principiis divinarum Processionum.

Actionis cujusdam *principium* duplex communiter a Philosophis & Theologis statuitur: principium *quod*, & principium *quo*. Principium *quod*, est ipsum suppositum, quod operatur, actionem producens; unde est illud axioma: *actiones sunt suppositorum*: principium *quo*, est virtus, per quam principium *quod* operatur. hoc autem est iterum duplex: I. *remotum*, per quod suppositum operatur *mediate*: veluti est natura tanquam principium omnis motus. II. *proximum*, potentia, seu facultas operativa, per quam operatur *immediate*. Exempli causa, dum homo intelligit, *principium quod* est ipse homo seu suppositum, *principium quo remotum*, est natura intelligens: *quo proximum*, est intellectus. Atque ita etiam in divinis processionibus, tanquam actionibus immanentibus discurrendum est. Principium *quod*, est suppositum, seu persona, v. g. Pater generans Filium. Quodnam vero statuendum sit principium *quo*, sive *remotum*, sive *proximum*, non adeo concordes sunt Theologi. Quidam enim cum DURANDO pro principio tam proximo quam remoto assignant naturam divinam, ex qua, etiam præcisis per mentem intellectu & voluntate, Filius & Spiritus S. procedant. Alii

172

pro principio proximo aſſignant relationes v. g. paternitatem reſpectu Filii. Reliqui tamen communiter pro remoto principio ſtatuunt naturam divinam, & proximum aſſignant intellectum & voluntatem. Quia vero tam intellectus quam voluntas omnibus perſonis propria ſunt, ideo diſtinguunt duplicem intellectionem & volitionem: unam *eſſentialem* tribus communem: alteram *notionalem*, quæ eſt ipſa intellectio actualis, quatenus modificata per relationem paternitatis & filiationis.

173 Resolutio I. Eſſentia, ſeu natura divina, præciſo intellectu & voluntate, non eſt principium *quo proximum* divinarum proceſſionum, ſed *remotum.* eſt communis Theologorum contra *Durandum.*

Prob. I. Scriptura, Concilia & PP. ſecundam perſonam appellant *verbum* & *ſapientiam* genitam, Spiritum S. vocant *charitatem* & amorem: atqui hæc natura pertinent ad intellectum & voluntatem: ergo eſſentia ſine ordine ad intellectum & voluntatem, non eſt principium *quo proximum*, ſed intellectus & voluntas.

174 Prob. II. In divinis, ſaltem per aliquam analogiam, eodem modo diſcurri debet, uti in rebus creatis: atqui in rebus humanis eſſentia hominis non eſt principium *pro-*

proximum operationum, ſed intellectus & voluntas. ergo etiam in divinis.

175 Prob. III. In oppoſita ſententia non poteſt explicari I., cur verbum dicatur Filius: non item Spiritus S.: II. cur Filius ſit origine prior Spiritu S.: III. cur Spiritus S. potius procedat a Filio quam hic ab illo: IV. cur ſint tantum duæ proceſſiones: V. cur proceſſio Filii ſit generatio.

176 Quod autem natura divina ſit principium *remotum*, inde conſtat; quia continet, & quaſi a ſe emanat principia proxima, nempe intellectum & voluntatem. Hinc etiam colligitur, non poſſe dici, quod eſſentia producat eſſentiam, ſubſtantia ſubſtantiam; quia hæc tria ſunt omnibus perſonis communia: cum tamen principium *proximum* debeat eſſe diſtinctum a termino producto.

177 Objic. I. Natura divina, etiam præciſo per mentem intellectu & voluntate, intelligitur fæcunda, quatenus eſt infinita. ergo etiam ſic eſt principium.

Resp. *Diſt. ant.* eſt fæcunda, radicaliter & remote. *conc.* proxime. *neg.*

178 Objic. II. Multi Patres dicunt, naturam eſſe principium generationis Filii. *ergo.*

Resp. Diſt. eſt principium remotum. *conc.* proximum *neg.*

Objic.

179 OBJIC. III. Iidem Patres dicunt, Filium eſſe genitum ex *ſubſtantia* Patris. ergo ſubſtantia, ſeu natura, eſt principium.

RESP. *diſt.* tanquam ex principio proximo: *neg.* quia ipſa ſubſtantia Patris, excepta paternitate, communicatur Filio. *conc.*

180 OBJIC. IV. Item docent, Filium procedere ex *toto* Deo, ita ut etiam aſſerant, eum ex voluntate Patris procedere, ergo ipſa eſſentia, ſeu natura, eſt principium.

RESP. *diſt.* ex voluntate Patris, ſenſu *identico*, quo voluntas eſt eadem cum eſſentia tanquam principio remoto. *conc.* in ſenſu virtuali. *nego.*

181 RESOLUTIO II. Principium *proximum* non ſunt ſolæ relationes: eſt communis Thomiſtarum.

PROB. I. Ex S. *Anſelmo*, qui in Monologio Cap. 54. ait: „ Non ex eo procedit Spiritus S., in quo plures ſunt Pater & Filius, ſed ex eo, in quo unum ſunt; nam non ex relationibus ſuis quæ plures ſunt (alia eſt enim relatio Patris alia Filii) ſed ex ipſa ſua eſſentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater & Filius tantum pariter bonum. „

PROB.

Prob. II. Principium *quo* actionis generativæ, vel productivæ est id, in quo productum assimilatur producenti: atqui relationes Paternitatis & spirationis activæ non sunt id, per quod productum assimilatur producenti. ergo. *min. prob.* Personæ non sunt similes in relationibus, sed in prædicatis absolutis: per relationes autem realiter distinguuntur Personæ; si enim Filius Patri esset similis in relatione paternitatis, deberet etiam ipse habere paternitatem, & generare Filium. 182

Prob. III. Si relationes sunt principium *proximum*, tunc v. g. paternitas vel consideratur quatenus est forma hypostatica, vel quatenus est respectus ad Filium? Neutrum dici potest. Non primum; quia paternitas, ut forma hypostatica, constituit quidem Patrem, sed nihil producit. Non alterum; quia quatenus est respectus ad Filium, non est *origine* prior ipso Filio; cum correlativa sint simul natura & cognitione: principium autem debet concipi *prius* producto. 183

Objic. I. Quidam PP. dicunt, Patrem generare hypostasi, sicut creat mandato, ita S. Athanasius: ergo relatio est principium proximum. 184

Resp. *Dist. ant.* hypostasi, tanquam complemento & connotato intellectus Patris.

con.

conc. ſola hypoſtaſi, tanquam principio proximo. *nego.* Ideo dicunt Patres, Patrem generare hypoſtaſi; quia natura tanquam principium remotum, & intellectus Patris tanquam principium proximum, debet modificari relatione paternitatis; nam intellectus *eſſentialis* & communis tribus perſonis, ſi *abſolute* conſideretur, non eſt principium generationis.

185 Objic. II. Illud eſt principium proximum in divinis, per quod prima perſona conſtituitur in eſſe *Patris*, & ſecunda in eſſe *ſpirantis*: atqui hæc ſunt relationes paternitatis & ſpirationis activæ. *ergo.*

Resp. *diſt. Maj.* A quo habet, ut ſit Pater tanquam a principio agendi. & generandi *conc. Maj.* a quo tanquam forma hypoſtatica. *nego.* Ut ergo prima perſona ſit Pater, primo eſt ex natura divina de ſe fæcunda. 2. ab intellectu, per quem fæcunditas exercetur: 3. a Paternitate ut forma hypoſtatica, qua conſtituitur.

186 Objic. III. Principium proceſſionis debet diſtingui a Termino producto: atqui ſolæ relationes in Deo diſtinguuntur. *ergo.*

Resp. *Diſt. Maj.* Principium *quod* debet diſtingui. *conc.* principium *quo. ſubdiſt.* ratione connotati, complementi, modificationis. *conc.* ratione ſui ipſius abſolute ſumti.

ti. *neg.* ſic enim non opponitur, hinc neque diſtinguitur.

Resolutio III. Principia proxima divinarum proceſſionum ſunt ſolum intellectus & voluntas *notionales*, ſeu, quatenus modificati relationibus paternitatis & ſpirationis activæ. *Communis Thomiſtarum.* 187

Prob. I. pars. Proceſſiones divinæ ſunt productiones *ad intra.* ergo harum proceſſionum principia proxima debent eſſe facultates operativæ *ad intra* ; atqui hæ ſunt intellectus & voluntas. *ergo.*

Prob. II. Ad principium proximum duo requiruntur. 1. ut virtualiter diſtinguatur a principio *quod*, & a principio *quo* remoto. 2. ut in actum immediate influat: atqui hæc duo conveniunt intellectui & voluntati divinæ. *ergo* &c. *min. prob.* quoad 1. ex aliunde cognitis de diſtinctione virtuali ; & quoad alterum, quia ſecunda Perſona eſt *Verbum*, quod eſt terminus intellectionis, & altera eſt *amor*, qui eſt terminus & actus volitionis. 188

Prob. III. In hac ſententia omnes difficultates emergentes, n. 175. recenſitæ, facilius ſolvuntur, ut colligitur ex dictis de proceſſione Verbi. ergo eſt reliquis præferenda. 189

190 Prob. II. pars, requiri reſpectum ad relationes. Si intellectus & voluntas eſſentialis, ſine connotatione relationum, eſſent principia proxima, ſequeretur, quod facultas generandi & ſpirandi eſſet communis tribus perſonis; quia quæ ſunt eſſentialia & abſoluta, cuilibet perſonæ communicantur: ſed hoc falſum eſt; nec enim Filius generare, nec Spiritus S. ſpirare poteſt. Idem etiam cum proportione dicendum de natura divina, quod ipſa ſit principium remotum, quatenus connotat relationem paternitatis & ſpirationis activæ; ſecus, quatenus eſt in Filio, eſſet generativa, & quatenus eſt in Spiritu S., eſſet ſpirativa ſaltem remote, quod dici nequit.

191 Objic. I. Principia proceſſionum debent eſſe diſtincta ſicuti termini producti, id eſt, Filius & Spiritus S., qui diſtinguuntur realiter: atqui voluntas & intellectus non diſtinguuntur realiter. ergo non ſunt principia.

Resp. Nego *maj.* poſſunt enim ex uno eodemque principio res diverſiſſimæ provenire, prout videmus in creatis ab uno & eodem Deo productis. Ideo autem in divinis termini diſtinguuntur realiter, non autem principia: quia ſolum illa diſtinguuntur in Deo realiter, quæ opponuntur relative: atqui principia, ut intellectus & voluntas, non opponuntur inter

ſe

ſe relative, ſed tantum principia & termini.

Objic. II. quod eſt principium, non 192
poteſt pluribus perſonis eſſe commune: atqui intellectio & volitio eſt communis etiam Spiritui S. ergo non eſt principium.

Resp. *Diſt. min.* intellectio & volitio, *abſoluta* & *eſſentialis*, eſt communis. *conc.* *notionalis*, ſeu modificata per relationem paternitatis & ſpirationis activæ. *neg.*

Objic. III. Si intellectus eſt principium 193
proceſſionis verbi, tunc nulla eſt ratio, cur non etiam Spiritus S., cui intellectus eſt communis, idem producat Verbum: atqui hoc falſum eſt. ergo intellectus non eſt principium: idem dicendum de voluntate.

Resp. Neg. *maj.* Ratio enim hæc eſt: Pater in primo inſtanti originis, quo concipitur habere intellectum & voluntatem fæcundam, primo producit verbum ſeu terminum intellectus: ſecunda perſona, id eſt verbum, accipit a Patre intellectum non jam amplius fæcundum, ſed ſui productione *exhauſtum*: & ideo non generat aliud verbum, ſed cum Patre, cum quo habet eandem voluntatem, ſecundo originis inſtanti nondum exhauſtam, in tertio jam producit amorem, quo termino pariter infinito voluntas, ſicque utraque facultas penitus exhauſta eſt; ut adeo Spi-

ritus S. nihil amplius ad intra producere possit.

194 Neque dicat aliquis: facultates Dei operativas, tanquam infinitas, non posse exhauriri.

Respond. enim termino finito non exhauriuntur, verum est: sed tamen termino *infinito*, cui communicatur totum esse: cum econtra terminus finitus tantum aliquid participet, seu partem accipiat, & partem relinquat.

CAPUT III.

De divinis Relationibus & Notionibus.

TRia hoc capite inquirenda sunt. I. de existentia, essentia, numero & distinctione Relationum. II. de earumdem perfectione. III. de Notionibus.

§. I.

De existentia, essentia, numero & distinctione divinarum Relationum.

195 DAri in sanctissima Trinitate quasdam proprietates, tanquam formas constitutivas, singulis personis proprias, ex ipsa reali personarum distinctione satis colligitur. Cum vero *absoluta* omnia singulis personis communia esse debeant, sequitur,

tur, illas proprietates debere esse relativas; quia nulla datur in divinis distinctio realis, nisi ubi occurrit oppositio relativa, ex dictis. Potest autem relatio spectari dupliciter: secundum esse *in*: quatenus personæ inest, seu eandem constituit, & secundum esse *ad*, quatenus aliam respicit. Hac igitur supposita relationum existentia quæritur, I. an sint reales, II. quot numero, III. quomodo distinguantur.

196 Resolutio I. Relationes divinæ sunt reales, tam secundum esse *in*, quam secundum esse *ad* consideratæ.

Prob. I. pars. Quod constituit vere & proprie dictam personam, est aliquid reale; atqui relationes divinæ constituunt veras & proprie dictas personas, ergo sunt aliquid reale. II. Ubi datur realis processio unius ab alio, ibi est realis relatio; atqui in divinis dantur processiones reales, cum tres dentur distinctæ personæ ex dictis c. 1. ergo reales relationes.

197 Prob. II. pars. Principium distinctionis realis debet esse reale; atqui relationes secundum esse *ad* spectatæ, sunt principium distinctionis realis; ex eo enim distinguuntur divinæ personæ, quod *ad se* invicem sint, Pater ad Filium, uterque ad Spiritum S. *ergo*.

198 Objic. I. S. Augustinus L. 7. de Trinit. cap. 1. relationem Patris & Filii comparat cum relatione Domini ad ſervum: atqui hæc non eſt realis: ergo nec illa ex mente Auguſtini.

Resp. *Diſt. Maj.* comparat præciſe in ratione relationis, *conc. Maj.* comparat in ratione relationis ejusdem conditionis, *nego.* non enim ibidem examinat, *quales* ſint relationes divinæ, ſed quod dentur in Deo abſoluta & relativa.

199 Objic. II. Relatio realis diceret mutuam perſonarum dependentiam; extrema enim correlativa a ſe invicem dependent: atqui dependentia repugnat Deo, tanquam enti neceſſario & a ſe. *ergo.*

Resp. *Diſt. Maj.* dicunt dependentiam tanquam ſimplicis termini. *conc.* tanquam effectus & cauſa. *neg.* relatio facit, ut termini relationis ſimul exiſtant; Pater enim neceſſario generat Filium, nulla tamen ab altera perſona dependet; quia nulla eſt alterius *cauſa*, ſed tantum *principium* & origo, qua communicatur eſſentia a ſe.

200 Objic. III. Quidquid reale eſt, vel ſubſtantia vel accidens eſt: atqui relationes neque ſunt ſubſtantia, quæ in Deo ſolum una eſt: neque accidens, quod enti neceſſario & per ſe exiſtenti repugnat: ergo non ſunt relationes reales.

Resp.

Resp. nego *Maj.* datur enim medium, nempe eſſe relativum. Ita S. Augustinus L. 5. de Trinit. ait: „ quamvis diverſum ſit, Patrem eſſe & Filium eſſe, non „ eſt tamen diverſa ſubſtantia ; quia hæc „ non ſecundum ſubſtantiam dicuntur, ſed „ ſecundum relativum, quod tamen non eſt „ accidens; quia non eſt mutabile, ſubſtan„ tia enim tribus communis eſt. „ Alii dicunt, inter ſubſtantiam & accidens medium eſſe id, quod eſt modus ſubſtantialis, ſeu proprietas ſubſtantiæ.

Objic. IV. Relatio eſt ordo unius ad 201
aliud: ſed in Deo non datur *aliud*, & *aliud*, ut definitum eſt in Concilio Lateranensi IV. cap. 2. ſed *alius* & *alius*: ergo.

Resp. *Diſt. Maj.* eſt ordo unius ad aliud, ſumendo *to aliud* vel adjective, vel ſubſtantive. *conc.* tantum ſubſtantive. *nego.* ſufficit ergo, ſi ſit ordo unius ad alium, qui datur in Deo, Patris ad Filium, & viciſſim.

Resolutio. II. quatuor dantur relationes: 202
paternitas, filiatio, ſpiratio activa & paſſiva. *eſt communis.*

Prob. Tot ſunt relationes, quot dantur reſpectus mutui: atqui quatuor dantur reſpectus; dantur enim duæ proceſſiones Filii & Spiritus S., quælibet autem proceſſio habet duplicem reſpectum, nimi-

rum producentis ad procedentem, & procedentis ad producentem. ergo ſunt quatuor. Igitur datur *paternitas* reſpiciens Filium, *filiatio* reſpiciens Patrem, *ſpiratio activa* tanquam unum principium, quo Pater & Filius reſpiciunt Spiritum S. & *ſpiratio paſſiva*, qua ſpiritus S. refertur ad utrumque.

203 Resolutio III. Relationes originis *oppoſitæ* diſtinguuntur realiter; non autem relationes *diſparatæ*. eſt de fide contra Sabellium.

Prob. I. pars. Perſonæ diſtinguuntur realiter: ergo etiam formæ conſtituentes perſonam; atqui relationes originis *oppoſitæ* conſtituunt perſonam. Sic paternitas conſtituit Patrem, filiatio Filium, ſpiratio paſſiva Spiritum S. II. Quæ relative in divinis opponuntur, diſtinguuntur realiter ſecundum commune Conciliorum & Patrum principium: atqui relationes originis opponuntur relative; filiatio enim refertur ad paternitatem, & viciſſim ſpiratio activa ad paſſivam. *ergo.*

204 Prob. II. pars. Relationes *diſparatæ*, quæ non dicunt originem unius ab alio, non opponuntur inter ſe relative: ergo non diſtinguuntur realiter. e. g. paternitas & filiatio relative non opponuntur ſpirationi activæ. II. Juxta Concilium Lateranenſe IV. cap. 1. non datur in Deo *quaternitas*: ſed ſi relationes diſparatæ diſtinguerentur realiter,

liter, daretur quaternitas; daretur enim paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & paſſiva. *ergo.* &c.

205 Objic. I. Quæ habent terminos realiter diſtinctos, diſtinguuntur realiter: atqui relationes diſparatæ, paternitas & ſpiratio activa habent terminos realiter diſtinctos, nempe Filium & Spiritum S. *ergo.*

Resp. nego *Maj.* vel *diſt.* Diſtinguuntur realiter, a termino. *conc.* inter ſe. *nego.* quia non requiritur tanta diſtinctio in principiis, quanta in terminis.

206 Objic. II. Spiratio activa in Filio procedit a Patre: ergo diſtinguitur a Paternitate.

Resp. *diſt. ant.* procedit a Patre, tanquam principio communicante naturam voluntate fæcundam. *conc.* tanquam principio producente. nego *ant.*

207 Objic. III. Spiratio paſſiva non opponitur paternitati & filiationi; & tamen ab utraque realiter diſtinguitur. *ergo.*

Resp. *Diſt. ant.* non opponitur paternitati; *immediate. conc. mediate*, ſeu mediante ſpiratione activa, quæ eſt in Patre & Filio. nego *ant.*

208 Objic. IV. Sicut filiatio mediante ſpira-

tione activa opponitur ſpirationi paſſivæ, ita ſpiratio activa mediante paternitate opponitur filiationi: atqui in prima oppoſitione datur diſtinctio realis: ergo etiam in altera, quamvis ſit relatio diſparata.

Resp. Nego *maj.* & paritatem. Ratio eſt; quia Filius mediante ſpiratione activa produxit Spiritum S.: econtra vero Pater mediante ſpiratione activa non producit Filium, ſed mediante paternitate: proin in primo caſu eſt oppoſitio *relativa*, in altero ſolum *diſparata*.

209 Tractari hic etiam ſolet quæſtio, quomodo relationes diſtinguantur ab eſſentia divina: ſed hæc quæſtio eodem modo reſolvitur, quo in tractatu de Deo dictum eſt, attributa abſoluta virtualiter diſtingui ab eſſentia, quod hic relegi poteſt.

§. II.

De divinarum Relationum perfectione.

210 RElationes ut jam ſupra obſervatum fuit, dupliciter ſpectari poſſunt, ſecundum eſſe *in*, quatenus afficiunt perſonam, & ſecundum eſſe *ad*, prout reſpiciunt terminum. Relationes ſecundum eſſe *in* conſideratas, eſſe perfectiones, certum videtur inter Theologos; quia ſic vel ſumuntur, ut ſunt idem cum eſſentia infinite per-

ſecta: vel ut ſunt virtualiter ab ea diſtinctæ; atqui etiam hoc modo ſunt perfectiones, quia eſſentiam divinam quaſi modificant & determinant ad eſſe Patris &c. econtra multi etiam ex Thomiſtis negant, relationes ſecundum eſſe *ad* ſpectatas, eſſe perfectiones.

Resolutio. Relationes etiam ſecundum eſſe *ad*, ſunt perfectiones.

Prob. I. Relationes etiam ſecundum eſſe *ad* ſunt reales: ſed quidquid in Deo reale eſt, eſt perfectio. ergo. *Maj.* ex eo patet; quia etiam nemine cogitante Pater refertur ad Filium. *minor* quoque certa eſt; quia quidquid in Deo habet rationem entis, debet eſſe perfectio; cum Deus ſit ens infinite perfectum. 211

Prob. II. Si relationes ſecundum eſſe *ad* conſideratæ, non eſſent perfectiones, tunc Pater non reſpiceret Filium per aliquam perfectionem, nec iſte viciſſim; ſi autem non reſpiciunt mutuo per perfectionem, tunc vel per imperfectionem: vel debet dari aliquod medium inter perfectionem & imperfectionem: atqui non poſſunt ſe reſpicere per imperfectionem, utpote quæ divinis perſonis totaliter repugnat: nec datur aliquod medium inter perfectionem & imperfectionem; non enim datur medium inter ens & non ens: ſed quidquid 212

eſt ens: eſt perfectio: quod eſt non ens, non eſt perfectio.

213 Prob. III. Relationes ſecundum eſſe *ad*, ſunt aliquo modo identificatæ cum divina eſſentia, eo ipſo, quod ſint reales: ſed quidquid eſt de eſſentia divina, eſt perfectio; ſecus Deus eſſet quoddam mixtum ex perfecto, & aliquo, quod non eſt perfectio. *ergo* &c.

214 Objic. I. Omnis perfectio in Deo eſt *abſoluta*, ſecundum illud Augustini L. 7. de Trinit. cap. 1.: *Deus ad ſe dicitur magnus, & bonus & juſtus*: atqui relationes ſecundum eſſe *ad*, non ſunt quid *abſolutum*: ergo non ſunt perfectiones.

Resp. Nego *Maj.* quam non probat Augustini authoritas, qui ibidem ſolum loquitur de perfectionibus *abſolutis*, ut colligitur ex exemplis ab eo adductis. Loquitur enim de magnitudine &c.

215 Objic. II. Si relationes ſunt perfectiones, tunc una perſona caret alterius perfectione: hoc dici nequit; quia ſic perſonæ non eſſent amplius æquales, neutra eſſet Deus: cum nulla haberet omnem perfectionem: quod tamen Deo eſſentiale eſt. *ergo*.

Resp. Nego ſequelam majoris: quælibet enim perſona, etiamſi alterius perfectio-

ctionem *formaliter*, *directe*, & *immediate* non contineat, eam tamen continet *indirecte*, *mediate*, & *identice*, propter naturam divinam, cui omnes illæ perfectiones insunt. Non est autem necesse, ut quælibet persona omnem perfectionem relativam *formaliter* contineat; cum hæc non sit perfectio *simpliciter simplex*; utpote quæ non est melior ipsa, quam non ipsa.

Objic. III. Si sunt perfectiones, tunc 216
vel *simpliciter simplices*, vel *secundum quid tales*? neutrum potest dici. Non *primum*; quia perfectio *simpliciter simplex* cuilibet personæ formaliter competere debet, quod non fit in relationibus. Non *alterum*, quia perfectio *secundum quid* involvit imperfectionem.

Resp. Aliqui negant *Maj.*, & dicunt, inter utramque mediam esse perfectionem *simplicem*, seu *relativam*. sed transmiss. *Maj.* Nego *min.* & dico, esse perfectionem *secundum quid*; Hæc enim duplex est: una quæ involvit imperfectionem; & talis in Deo non datur. Altera, quæ opponitur perfectioni majori, vel æquali, & talis est relativa, quæ perfectioni æquali opponitur; æqualis est enim perfectio Patris, & Filii, & Spiritus S. nec una est melior altera.

Objic. IV. Ex hoc sequeretur I., quod 217
essentia sola non esset *infinite* perfecta; quia eidem deessent perfectiones relativæ.

Se-

Sequeretur II. quod tres perſonæ contineant plus perfectionis, quam una ſola. III. quod Filius eſſet perfectior Spiritu S.; ille enim contineret duas perfectiones relativas, nempe filiationem, qua reſpicit Patrem, & ſpirationem activam, qua tanquam principium refertur ad Spiritum S. In hoc autem eſſet ſola ſpiratio paſſiva ad Patrem & Filium, tanquam ad unum principium.

Resp. Nego ſequelam. Ratio eſt, quia relationes ſunt idem cum eſſentia, tribus perſonis communi. Hinc dicit Augustinus L. 6. de Trinit. cap. 8. tantum eſſe ſolum Patrem, vel ſolum Filium, vel ſolum Spiritum ſanctum, quantum tres perſonæ ſimul ſumptæ. Minime autem ſequitur tertium abſurdum. Sicut enim Spiritus S. reſpicit Patrem & Filium tanquam unum principium: ſic etiam Filius propter filiationem fæcundam, qua tanquam unum cum Patre principium ſpirat active, reſpicit Spiritum S. qua ſpiratum; aliunde etiam in Spiritu S. eſt divina eſſentia, cum qua identificata eſt etiam filiatio & reliquæ perfectiones relativæ: ut adeo etiam illas mediate & identice contineat.

§. III.

De Personarum Notionibus.

NOTIO secundum S. THOMAM est ratio 218
propria cognoscendi personam divinam, seu, est aliquid peculiare & quasi character, quo una persona tanquam per *Notam* aliquam, aut *formam* abstractam ab altera dignoscitur. Conditiones ad notionem alii tres, alii quinque requirunt: I. ut sit aliquid *unum*; quia si esset aliquid compositum aut complexum, tunc vel non esset *notio*, vel esset multiplex: II. ut sit aliquid *distinctum* & *proprium* uni, vel ad summum duplici personæ; quia quod est commune omnibus, non potest esse nota distinctiva: III. ut aliquo modo pertineat ad *originem*, penes quam solam datur in Deo distinctio: IV. ut sit aliqua *dignitas*; Persona enim est nomen dignitatis; ideoque etiam *notio*, tanquam caracter personæ. V. ut sit aliquid *permanens*, non vero fluens, aut quasi dimanans; quia persona est aliquid stabile ac per se subsistens: ideo etiam illius *nota*. Qui autem tres solum assignant, illi requirunt secundam, tertiam, & quartam conditionem. Dari quasdam in divinis notiones, negavit PRÆPOSITIVUS apud S. THOMAM 1. p. q. 32. a. 2. hodie autem quinque. Communiter numerantur a Theologis, & sunt: Innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa,

va, & ſpiratio paſſiva, cui Scotiſtæ addunt ſextam, nempe inſpirabilitatem in Filio.

219 Resolutio. Dantur in divinis Notiones, & quidem quinque enumeratæ, non autem plures.

Prob. Pars I. Sancti Patres ejusmodi notas admittunt: ſic auctor *expoſitionis fidei* inter opera Justini M. *notas* & *ſigna*: S. Basilius Magnus Lib. II. contra Eunomium proprietates *notificativas*: & epiſt 43. ſigna *notionalia*: S. Cyrillus Alexandrinus lib. I. theſauri cap. 5. generationem pro Patris *notione* aſſignant. S. Augustinus de Trinit. V. 5. ait: „ Alia notio eſt, qua intelligitur genitor, alia qua ingenitus. „

220 Prob. II. Ratione. Notiones, ſunt quædam nomina & caracteres cuilibet perſonæ propria: atqui hæc dantur in divinis; prima enim Perſona dicitur Pater: altera Filius, tertia Spiritus ſanctus: una generans & ingenita, altera genita, & tertia ſpirata ab utroque, uti cum Patribus docent Concilia, præcipue Lateranense IV. cum enim in divinis dentur proceſſiones reales tanquam fundamenta relationum, & terminorum notionalium, ipſas etiam notiones ob tantum Theologorum conſenſum admitti neceſſe eſt.

221 Prob. II. pars. tot non plures debent admitti notiones, quot ſunt characteres

ſpe-

ſpeciales: atqui ſunt ſolum 5. *ergo*: *min.* prob. in divinis perſonis tria ſolum conſiderari poſſunt: principium, terminus, & negatio tam termini quam principii: atqui hæc tria exprimuntur ſolum quinque characteribus; nam I. *innaſcibilitas* in Patre negat tam terminum, quam principium. II. *Paternitas* exprimit principium Filii, & III. *Filiatio terminum*: IV. *ſpiratio activa* Patris & Filii iterum denotat, Patrem & Filium eſſe unum principium Spiritus ſancti: V. *Spiratio paſſiva* denotat terminum; cum autem de quatuor notionibus, tanquam relationibus, nulla poſſit eſſe controverſia, ideo ſpecialiter

Prob. *Innaſcibilitatem* eſſe notionem. Una 222
Perſona alterius Principium, & ipſa tamen a principio procedere poteſt, ut conſtat in Filio, qui principium eſt Spiritus ſancti, & ipſe tamen a Patre eſt ut principio. ut ergo Pater ex omni parte dignoſcatur, admittenda eſt notio innaſcibilitatis. Ideo ait S. Augustinus de Trinit. V. 6. *Non ideo quis Pater, quia ingenitus*: (nam & Spiritus S. ingenitus, nec tamen Pater) *nec ideo ingenitus, quia Pater.*

Pars III. ex eo conſtat; quia ſolis his 223
quinque notionibus conveniunt conditiones, n. 218. recenſitæ. Reliquæ enim, quæ excogitari poſſunt, vel non ſunt dignitas, vel in alia notione jam involvuntur,

tur, ut ex objectionum ſolutione amplius patebit.

224 Objic. I. Non debent adſtrui plures notiones, quam ſunt proprietates & relationes in divinis: atqui tres ſolum ſunt proprietates & quatuor relationes: ergo ad ſummum quatuor etiam notiones.

Resp. Nego *maj.* Cum enim proprietates ſint *conſtitutivæ* perſonarum, non poſſunt eſſe, niſi tres, quia autem duæ ſunt proceſſiones mutuam importantes oppoſitionem, debent dari quatuor relationes, nempe Patris ad Filium, & Filii ad Patrem, utriusque ad Spiritum S. & hujus ad utrumque. Cum autem notiones ſint characteres, quibus quælibet perſona perfecte cognoſcitur, admitti debet *innaſcibilitas*, ſine qua cognoſcitur quidem Pater ut pater, non vero ut carens omni principio & origine.

225 Objic. II. Non debent in una perſona plures admitti notiones; vel enim eſſent diſtinctæ, vel non? ſi primum. Perſona foret compoſita, ſi indiſtinctæ; tunc una poſſet dici alia: atqui paternitas non poteſt dici ſpiratio activa. *ergo.*

Resp. Nego *ant.* ad *prob.* dico, eas eſſe indiſtinctas, nec una tamen poteſt dici alia in ſenſu *formali*, bene autem in ſenſu *reali* & *identico.*

Objic.

Objic. III. Innascibilitas non est notio; quia neque aliquid reale, & positivum, neque perfectio est: secus nasci ab alio, esset imperfectio, quod dici nequit. Denique si est notio, tunc est dignitas & perfectio, qua caret Filius: quod iterum repugnat.

Resp. Nego *ant.* primam *prob.* *Dist.* non 226
est quid reale, & positivum, quoad *entitatem.* *nego.* est enim omnino idem cum paternitate, quæ utique aliquid positivum est. Non est aliquid reale quoad *modum* significandi. *Conc.* Alteram *prob.* etiam *Dist.* est perfectio; de se. *conc.* quoad rationem præcisam. *nego* vel *subdist.* est perfectio, vel *sonat* saltem perfectionem & dignitatem. *conc.* nam non nasci, seu non esse ab ullo principio, & origine est aliqua dignitas: debet esse necessario perfectio. *nego.* inde tamen non sequitur, nasci esse imperfectionem; utrumque enim in Deo est infinita perfectio: perfectio est enim esse Patrem: nec tamen esse Filium imperfectio est. *Prob.* tertiam *dist.* erit perfectio, quæ non est in Filio, *formaliter.* *conc.* *realiter* & identice. *nego*, & retorqueo in spirationem activam, quæ non est formaliter in Spiritu sancto.

Objic. IV. Neque spiratio activa est no- 227
tio; quia I. non est aliquid proprium, sed commune Patri & Filio. II. quia alias es-

ſet dignitas & perfectio, quam non habet Spiritus S., qui ex conſequenti Patre & Filio imperfectior eſſet.

RESP. Nego *ant.* & rationem additam; quia non repugnat notioni, ut ſit communis duabus perſonis. Alterum *diſt.* quam non habet Spiritus, *formaliter. conc.* non habet *identice. nego.* eſt enim identificata cum eſſentia, quam habet Spiritus ſanctus.

228 OBJIC. contra III. P. Innaſcibilitas, ſeu non produci, eſt notio: ergo etiam inſpirabilitas & ingenerabilitas, conſequenter ſunt plures quam quinque notiones.

RESP. Nego *conſeq.* diſparitas eſt, quia innaſcibilitas juxta communem ſignificationem eſt *dignitas*; denotat enim omnimodam aſeitatem, & excluſionem omnis proceſſionis ab alio tanquam principio: econtra ingenerabilitas & inſpirabilitas non eſt dignitas; quia ſolum denotat negationem proceſſionis certo quodam modo, nimirum quod Filius non producatur per voluntatem, & Spiritus S. non per intellectum. Melius quidem eſt, abſolute a nullo procedere: non autem melius eſt procedere per intellectum, quam per voluntatem.

229 OBJIC. VI. Innaſcibilitas etiam competit Spiritui S., qui non eſt genitus. *ergo.* &c.

RESP.

Resp. *Dist.* innascibilitas sumpta a negatione generationis &c. *conc.* sumpta pro negatione omnis processionis. *nego*; sic enim soli Patri propria est. Ceteræ, quæ fingi possunt formæ, non sunt notiones; quia vel non sonant dignitatem, vel in alia notione includuntur.

CAPUT. IV.

De essentia & proprietatibus Personarum in communi.

Hic pertractandum venit I., quæ sit essentia constitutiva & distinctiva divinarum Personarum. II. de earum existentia & subsistentia tam absoluta, quam relativa. III. de earum æqualitate, & attributorum adpropriatione. IV. de earum circuminsessione. V. de earum missione.

§. I.

De essentia constitutiva & distinctiva divinarum Personarum.

Persona a Boetio definitur: *individua* 230 *naturæ rationalis substantia seu subsistentia.* Dicitur *substantia*, seu *subsistentia*, tanquam aliquid per se subsistens, ad differentiam ab accidente, quod est in alio. dicitur *individua*, id est, singularis & com-

pleta, nec alteri ſuppoſito communicabilis. Dicitur *naturæ rationalis*; ſoli enim ſubſtantiæ rationali & Spirituali competit ratio perſonæ: cætera vocantur *res*, *ſubſtantiæ*, aut *ſuppoſita.* Quinque enim requiruntur ad rationem perſonæ. 1., ut ſit ſubſtantia. 2. ut ſit natura intellectualis. 3. ut ſit ens completum. 4. & quidem incommunicabile. 5. ut ſubſiſtat per ſe ſeparatim, & non in alio ſuppoſito. *Subſiſtentia*, vel ultimus naturæ terminus eam complens a Græcis appellatur *hypoſtaſis*, & jam ab omnibus ſumitur pro *perſona*, non autem pro *natura*; etſi ab antiquis non raro utroque ſenſu nomen *hypoſtaſis* uſurpatum fuerit, & acerrimæ controverſiæ poſt NICÆNUM Concilium anſam dederit, an una vel duplex in Deo prædicanda eſſet *hypoſtaſis*: donec tandem ad ſolam ſignificandam *perſonam* unanimi Patrum conſenſu determinatum fuerit.

231 Hic quæritur, per quid conſtituantur divinæ Perſonæ, an per aliquid *abſolutum*, vel *relativum*? relationes autem cum Perſonis inſint & unam ad aliam referant, ſpectari poſſunt ſecundum eſſe *in*, & ſecundum eſſe *ad*: & prout in ſe ſunt, tribus funguntur officiis; *primo* enim conſtituunt divinas perſonas: & ſic ſunt formæ quædam *hypoſtaticæ.* 2. actus notionales determinant ad productionem, & ad eam requiruntur: & ſic ſpectantur ut *origines.*

gines. 3. Personas ad invicem referunt: & ita spectantur secundum esse *ad*, atque ..ribus conceptibus inadæquatis per rationem præcisis substant.

Ex his jam oritur difficultas, quomodo relatio v. g. paternitatis possit constituere Patrem; cum paternitas oriatur ex generatione, generatio autem personarum jam constitutam supponat, eoquod actiones sint suppositorum. Item quomodo Pater & Filius per paternitatem, & filiationem tanquam formas constitutivas distinguantur a Spiritu S., cum tamen non per eas, sed per *spirationem activam* eidem opponantur: ob has difficultates in diversa abeunt Authores, & quidem VASQUEZ existimat, Patrem per innascibilitatem, non vero per paternitatem constitui. RICHARDUS a S. Victore & D. BONAVENTURA docent, personas constitui ac distingui per origines. SUAREZ per relationes, secundum esse *ad* consideratas. Alii putant personas constitui per relationes secundum esse *in*, distingui vero per easdem secundum esse *ad* spectatas: iterum alii docent, personas & constitui & distingui per relationes sumptas secundum esse *in*, prout sunt formæ hypostaticæ. His observatis statuitur 232

RESOLUTIO I. Personæ divinæ non constituuntur per aliquid *absolutum*, neque per *origines*, sed per *relationes*. 233

Pars I. & III. colligitur ex dictis cap. III. §. I. & Prob. I. constitutivum unius Personæ non potest esse commune alteri personæ: sed quidquid est *absolutum*, est commune tribus: ergo aliquid absolutum non potest esse constitutivum personæ. II. Juxta commune principium, quod est rei constitutivum, est etiam ejus distinctivum: sed aliquid absolutum non potest esse distinctivum personæ: ergo neque constitutivum. III. Per quod aliquid est unum, per illud est etiam divisum in se, & divisum ab omni alio, seu distinctum: atqui persona per absolutum non est distincta, sed indivisa. ergo per absolutum non constituitur. IV. Persona constituitur per aliquid *singulare*: atqui nihil absolutum est singulare, sed omne est commune tribus. *ergo*.

234 Prob. II. pars. quod concipitur ut *prius*, aut *posterius* ipsa persona constituta, id non est constitutivum, quia non potest constitui per aliquid se prius aut posterius: atqui *origines* concipiuntur ut aliquid prius aut posterius: v. g. generatio concipitur ut posterior Patre generante, prior tamen Filio. II. Id, quod personam constituit, debet cogitari tanquam forma quædam hypostatica & *permanens*, non autem fluxa, & *transiens*: atqui *origines* seu actiones e. g. generatio, non concipitur ut permanens,

nens, ſed veluti tranſiens ab una perſona ad alteram. *ergo.*

Objic. I. Plures Patres pro conſtitutivo 235
& diſtinctivo Perſonarum aſſignant *origines.* ergo &c.

Resp. *Diſt. ant.* Patres pro conſtitutivo aſſignant origines, *realiter* ſumptas. *conc.* *virtualiter* & præciſe ſpectatas. *nego.* Patres loquuntur in ſenſu *reali*, quo forma hypoſtatica, origo & relatio reduplicativa idem eſt. At vero per rationem præciſa tribus conceptibus inadæquatis reſpondet.

Objic. II. Juxta S. Augustinum de Tri- 236
nit. VII. 6. Perſona dicitur ad ſe, non ad aliud, ſeu relative. *Non enim eſt aliud Deo eſſe, aliud perſonam eſſe.* ergo perſona non conſtituitur relatione.

Resp. I. Atqui idem Augustinus Tract. 39. in Joan. ait: *Hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt, non quod ad ſe ſunt.*

Resp. II. *Diſt.* Perſona non dicitur relative, ſecundum generalem & confuſam rationem *perſonæ. conc.* ſecundum propriam notionem perſonæ *divinæ. nego.* vel *ſubdiſt.* non dicitur relative per relationem quoad eſſe *ad*, *conc.* quoad eſſe *in*, nego.

Objic. III. Relatio ſupponit, perſonam 237

 jam

jam esse constitutam: ergo eam non constituit.

Resp. *Dist. ant.* Relatio accidentalis. *conc.* substantialis. *subdist.* secundum esse *ad* spectata. *conc.* secundum esse *in.* *nego.*

238 Resolutio II. Divinæ personæ nec constituuntur, nec distinguuntur per relationes secundum esse *ad*, sed secundum esse *in* consideratas.

Prob I. pars. relationes secundum esse *ad* consideratæ, supponunt personas jam constitutas: ergo sub hac ratione non sunt constitutivum. *Ant. prob.* Res prius supponuntur esse, quam referri. Sic Pater 1. cogitatur esse persona. 2. generare. 3. generatione concipitur produci Filius. 4. Intelligitur Pater ad Filium referri. ergo Pater origine prius concipitur Persona, quam referri ad Filium, & hoc ipso non constituitur in esse Personæ per relationem, secundum esse *ad* consideratam. Si autem sic sumpta non constituit personam, tunc eam neque distinguit ex N. 233.

239 Prob. II. pars. ex D. Thoma, qui hic q. 60. art. 4. ait, „ proprietas personalis „ Patris potest considerari dupliciter: uno „ modo ut est relatio, & sic secundum „ intellectum supponit actum notionalem; „ quia relatio, in quantum hujusmodi, „ fundatur supra actum, alio modo secundum quod est constitutiva personæ. Et „ sic

„ ſic oportet quod præintelligatur actui „ notionali: ſicut perſona agens præintelligitur actioni. „ Ex iſto textu & ex dictis habetur ratio. Perſona prius concipitur *conſtitui*, quam *referri*: atqui relatione conſtituitur, & diſtinguitur: ergo vel ſecundum eſſe *ad* vel *in* conſiderata. Atqui non ſecundum eſſe *ad*; quia relatio prius eſt ſecundum *in*, tanquam forma hypoſtatica. *ergo*. Ex hoc ipſo colligitur, Patrem non conſtitui per *innaſcibilitatem*; vel enim hæc eſt aliquid abſolutum, vel relativum? ſi eſt aliquid *abſolutum*; tunc eo ipſo non eſt conſtitutiva ex N. 233., ſi autem eſt aliquid relativum: tunc vel diſtinguitur a paternitate, vel non? ſi diſtinguitur; ergo ſunt plures relationes quam quatuor, contra dicta cap. III. §. I. ſi autem non diſtinguitur: tunc erit ſecundum eſſe *in*, quod volumus.

Objic. Relationes ſecundum eſſe *in* non diſtinguunt perſonas: ergo neque conſtituunt. *ant. prob.* juxta Patres, & maxime S. Augustinum Tract. 39. in Joan.: *Hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt, non quod ad ſe ſunt.* 240

Resp. Nego *ant. prob. diſt.* quod ad ſe ſunt, tanquam formæ hypoſtaticæ, & relationes ſecundum eſſe *in* ſpectatæ. *conc.* ſecundum eſſe *ad* conſideratæ. *nego.* dicunt SS. Patres, perſonas conſtitui & diſtingui

relationibus, non autem quoad esse *ad spectatis*; jam enim personæ prius concipiuntur constitutæ.

§. II.

De divinarum Personarum existentia & subsistentia tam absoluta, quam relativa.

241 EXISTENTIA communiter definitur, quod sit *ultima actualitas, seu terminus substantialis, quo ultimo res complete ponitur extra causas*: quæ quidem ultima verba existentiæ divinæ convenire nequeunt; utpote quæ nullam sui causam agnoscit, & ut mere possibilis nequidem concipi potest, eoquod Deus necessario & essentialiter existat, ut dictum est de Deo uno. Cum igitur essentia & existentia Dei sit indistincta, necessario sequitur, nec ab ullo negatur, dari in Deo existentiam *absolutam* tribus personis communem, sicut iis essentia communis est. Disputatur autem I., an etiam cuilibet personæ conveniat propria existentia, non quidem *absoluta*, sed *relativa*, illaque pro numero personarum triplex sit: quod plerumque affirmant recentiores. II. an quædam sit in Deo subsistentia *absoluta*, & *communis*, & an dentur tres relativæ. Definitur autem *subsistentia* communiter, quod sit *ultimus substantiæ terminus, quo fit per se subsistens,* &

& alteri personæ, seu supposito, incommunicabilis. Quæritur itaque, an essentia divina ante relationes concepta subsistat subsistentia absoluta, & dein essentia concipiatur communicari tribus personis, ut voluit CAJETANUS & nonnulli alii.

242 RESOLUTIO I. Est in Deo existentia quædam *absoluta*, & communis, non vero tres *relativæ. Communior Theologorum.*

PRIMA pars patet ex dictis N. præcedente. II. pars prob. SS. PP. plerumque essentiam & existentiam confundunt; atqui solum una datur Dei essentia: ergo etiam una, non triplex existentia. II. Dum sæculo IV. Antiochiæ orta fuit controversia, an una, vel tres essent in Deo hypostases; eoquod aliqui per hoc vocabulum *naturam*, alii *existentiam*, alii denique *subsistentiam*, seu personam intellexerint: denique in id consenserunt, ut unica dici debeat *hypostasis*, sumta pro existentia & una οὐσὶα sumpta pro natura seu essentia vid. Suiceri Thesaur. V. οὐσια & ὑποςασις. III. S. AUGUSTINUS L. 7. de Trinit. cap. 6.: *Non est aliud Deo esse, & Patrem esse.* ergo una & communis est existentia Dei & patris absoluta, non altera distincta. IV. Existentia est quasi appendix naturæ. ergo ubi unica natura, ibi solum una existentia. V. si tres forent *existentiæ* relativæ, deberent etiam esse tres *essentiæ* relativæ; quia existentia pro-

proportionatur essentiæ ; sicut ergo ob unicam existentiam absolutam & communem, una est solum essentia absoluta : sic sequeretur, tres fore essentias relativas si trina daretur existentia relativa. VI. videtur absurdum, ut uni rei competat duplex existentia : atqui essentia & persona est quid unum : ergo absurdum est, ut ei conveniat duplex existentia, una absoluta, & altera relativa.

243 Objic. I. SS. Patres aliquando cuilibet personæ attribuunt propriam existentiam. *ergo.*

Resp. *Dist. ant.* existentiam, sumtam pro subsistentia *conc.* in nostro sensu & proprio. *nego.* observat Petavius, vocabula græca hypostaseos seu *subsistentiæ*, & ὑπαρξεως seu *existentiæ* a PP. Græcis sæpe confundi & unum pro altero sumi.

244 Objic. II. Augustinus L. 7. de Trinit. cap. 4. ait : *aliud est Deo, esse, & aliud, Patrem esse.* ergo Patri competit propria existentia.

Resp. *Dist. Ant.* quoad notionem. *Conc.* quoad existentiam. *nego.* ait enim Augustinus L. cit. cap. 6. : *non est aliud Deo, esse, aliud, Personam esse : sed omnino idem,* nempe quoad existentiam.

245 Objic. III. Quælibet res, & maxime persona, debet habere suam existentiam ; est enim

enim ſubſtantia per ſe exiſtens. ergo datur triplex exiſtentia pro numero perſonarum.

Resp. *Diſt.* debet habere exiſtentiam communem. *Conc.* propriam. *ſubdiſt.* in creatis, ubi eſſentia diſtinguitur ab exiſtentia. *Conc.* in divinis, ubi eſt indiſtincta, & eſſentia eſt communis tribus. *nego*. *Diſt.* iterum: eſt ſubſtantia per ſe exiſtens, id eſt, non inexiſtens alteri, ſeu non *inhærens*. *conc.* eſt per ſe exiſtens, exiſtentia diſtincta ab eſſentia communi. *nego*.

Resolutio II. Triplex datur in Deo ſub- 246
ſiſtentia *relativa*; nulla vero *abſoluta* & communis: *eſt communis Theologorum.*

Prob. I. pars ex SS. PP. Athanasius ſerm. de Deip. ait: „ Unum Deum in trinis ſubſiſtentiis prædicamus, in quibus „ una ſit ſubſtantia. „ S. Ambrosius in ſymbol. apoſt. cap. 2. „ Catholicum eſt, „ ut & unum Deum ſecundum unitatem „ ſubſtantiæ fateamur, & Patrem & Filium & Spiritum S. in ſua quemque „ ſubſiſtentia ſentiamus. „ ita & alii.

Ratio eſt. Ubi tres ſunt Perſonæ rela- 247
tivæ diſtinctæ, ibi tres ſunt perſonalitates ac ſubſiſtentiæ alteri ſuppoſito incommunicabiles: atqui tres dantur perſonæ divinæ: ergo etiam tres ſubſiſtentiæ. Quod autem ſint *relativæ*, evidens videtur; ni-

hil enim absolutum multiplicatur in Deo, sed relative opposita: ut patet ex mysterio incarnationis. Nam conjunctio naturæ humanæ cum divina facta est in subsistentia verbi, ut definiit sexta synodus act. 8.; atqui hæc unio facta est in *subsistentia relativa*; secus omnes tres Personæ fuissent incarnatæ, si unio facta fuisset vel in natura, vel in quadam subsistentia communi, quod tamen hæreticum est.

248 Prob. II. pars. Nullus e Patribus quatuor in Deo admisit hypostases seu subsistentias, imo expresse convenerunt, tres in Deo dici debere *hypostases*, accepto vocabulo pro *subsistentia*, non pro *existentia*, quæ modo propria est significatio, nunquam autem alicujus quartæ facta est mentio, quæ esset absoluta & communis.

249 Ratio ex definitione subsistentiæ convincens est; est enim de ratione ejusdem, ut sit ultima actualitas *incommunicabilis*, uni personæ propria: ergo eo ipso repugnat subsistentia absoluta & communis; quidquid enim in Deo absolutum est, communicatur tribus Personis: sed contra naturam subsistentiæ est communicari: ergo non datur illa absoluta & communis. II, si daretur subsistentia quarta & communis, deberent in Deo dari quatuor supposita, seu Personæ; nam subsistentia est

ul-

ultimum personæ complementum; sed hoc falsum est. *ergo.*

OBJIC. I. Plures Patres asserunt, unam esse in divinis hypostasin, seu subsistentiam. ergo datur. ergo datur aliqua tribus communis. *Ant. prob.* Sic enim loquuntur S. AUGUSTINUS Lib. 7. de Trinit. S. HIERONYMUS epist. ad Damasum R. P. Synodus ROMANA, quæ refertur actione IV. Concilii sexti, profitetur, *Unam trium subsistentiarum esse subsistentiam.* 250

RESP. *dist. ant.* asserunt unam hypostasin, sumendo hanc vocem pro *substantia. conc.* pro subsistentia. nego. Synodi Romanæ erronea est lectio; ita enim habetur in novissima Conciliorum editione MANSIANA actione non IV. sed III. Tom. XI. col. 768. seq. „ Trinitatem in unitate, & „ unitatem in Trinitate: unitatem quidem „ naturæ, trinitatem autem Personarum, „ seu hypostaseon. . . . non trium nominum hypostasin, sed *trium hypostaseon unam* ESSENTIAM: quarum una est essentia, seu natura, hoc est, una divinitas &c.

OBJIC II. Natura, etiam a divinis relationibus abstracta, est infinita, & omnes continet perfectiones: atqui subsistentia est perfectio: ergo ante relationes concipitur 251

pitur in Deo quædam ſubſiſtentia abſoluta & communis.

Resp. *Diſt. Maj.* eſt finita, in genere eſſentiæ. *Conc.* in omni genere. Nego, & retorqueo. Etiam relationes ſunt perfectiones: ergo eſſentia ante conceptas relationes non continet omnes perfectiones, & ſic non eſt infinita: quod non concedent Adverſarii. Ideo autem eſſentiæ ante relationes conceptæ non competit ſubſiſtentia; quia tunc nondum concipitur completa, terminata, & incommunicabilis: quod primum fit per relationes.

252 Objic. III. Præciſis etiam relationibus concipitur tamen Deus: atqui Deus *eſt* terminus concretus, involvens ſubſiſtentiam: ergo datur ſubſiſtentia quædam abſoluta & communis ante cogitatam omnem relationem.

Resp. Nego *maj.* Concipitur quidem Deus tunc eſſe & exiſtere, ſed tamen nondum ſubſiſtere; quia tunc nondum concipitur complete.

253 Objic. IV. Prius eſt ſubſiſtere, quam operari: atqui relationes fluunt ex operationibus, nimirum ex intellectione & volitione. ergo prius concipitur quædam ſubſiſtentia abſoluta & communis.

Resp.

Resp. *dist. Maj.* in creatis. *conc.* in Deo. nego *Maj.* disparitas est; quia operationes in creatis habentur pro accidentibus, vel modis, qui debent supponere substantiam, cui tanquam subjecto inhæreant & inexistant, aut eam modificent, adeoque supponunt jam complete existentem: econtra operationes in Deo & earum termini sunt ipsa substantia: subsistentia autem non potest esse prior, quam ipsa substantia, quam terminat seu ultimo complet. Denique omnia argumenta, quæ contra nostram sententiam proferri possunt, probarent, dari in Deo personam aliquam communem: quod absurdum nec ipsi utique Adversarii devorare vellent.

§. III.

De divinarum Personarum æqualitate, & attributorum adpropriatione.

Resolutio I. Tres divinæ personæ sunt 254
æquales, tam quoad essentiam & attributa absoluta, quam etiam quoad relationes. *communis.*

Prob. I. pars. Ex hactenus dictis, & Ecclesiæ definitionibus de hoc mysterio constat, unam & communem esse tribus Personis essentiam, seu naturam, cum sit unus Deus, & tres personæ in una natura subsistentes: ergo eo ipso sunt æquales.

255 Prob. II. pars. Attributa *abſoluta* ſunt perfectiones *ſimpliciter ſimplices*, cum divina eſſentia identificatæ: ergo tribus perſonis, quibus una eſt eſſentia, communes ſunt; ſi enim una perſona careret perfectione alterius, non eſſet ens, quo melius cogitari nequit: & ſic neque Deus foret.

256 Prob. III. pars. Relationes ſunt perfectiones ſimplices, quarum neutra eſt melior non ipſa: ergo tres Perſonæ, quarum cuilibet competit propria relatio, quoad relationes ſunt æquales; non enim melius eſt eſſe Patrem, quam Filium, aut Spiritum ſanctum.

257 Objic. I. Filio & Spiritui S. non competit æternitas, quia uterque habet principium, quod eſt contra definitionem æternitatis. ergo Perſonæ non ſunt æquales in attributis abſolutis.

Resp. Nego *ant. prob. Diſt.* habent principium Durationis, tanquam in tempore inceperint. *nego.* Originis. *conc.* utraque perſona ab æterno a Patre procedit: ſecus forent creaturæ.

258 Objic. II. In qualibet perſona eſt aliqua dignitas & notio, quæ non eſt in alia: uti in Patre innaſcibilitas & paternitas. *ergo.*

Resp. *Diſt. ant.* Continet perfectionem, quæ non eſt in altera, *formaliter* & immediate. *conc. realiter*, identice & mediate. *nego.* ſenſus patet ex ſæpe dictis. Alii reſpondent, Paternitatem &c., eſſe dignitatem quoad id, quod dicit *abſolutum*, non vero quoad id, quod eſt *relativum;* quia relationes non ſunt perfectiones *ſimpliciter ſimplices:* ſeu nulla eſt melior non ipſa.

Objic. III. Una ſola relatio non eſt tam 259
perfecta, quam omnes relationes ſimul ſumtæ; quia pars non habet tantam perfectionem, quam habet totum. ergo ſaltem perſonæ ſingulariter ſumtæ non ſunt æquales perſonis ſimul ſumtis.

Resp. Nego ſuppoſitum, quod Trinitas ſit aliquod *totum* proprie ſumtum; cum ſit ens ſimpliciſſimum, nullas habens partes. Quia erga quælibet perſona habet eandem eſſentiam, hinc habet easdem omnino perfectiones, & omnes tres inter ſe ſunt æquales.

Resolutio II. Quædam prædicata abſo- 260
luta, etſi tribus communia ſint, uni tamen perſonæ ſpecialiter attribuuntur, ſeu adpropriantur. *communis.*

Prob. Ex modo loquendi S. Scripturæ & PP., qui primæ Perſonæ ſingulariter adſcribunt *omnipotentiam* & creationem, ut

constat ex symbolo Apostolorum : *Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli & terræ &c.* & ideo Paulus I. Corinth. VIII. 6. dicit : *ex ipso omnia.* Filio, qui procedit per intellectum, attribuitur *sapientia, virtus Dei &c.*, & de eo dicitur loc. cit.: *per quem omnia.* Spiritus S. dicitur *charitas*, ejusque in nobis diffusio, hominum sanctificatio, vivificatio, concordia &c.: & hinc de eo dicitur : *in quo omnia*, quæ singula fuse & subtiliter exponit S. THOMAS hic quæst. 39. omnino evolvendus.

§. IV.

De circuminsessione divinarum Personarum.

261 HOc nomine intelligitur substantialis unio rerum sibi invicem inexistentium, seu mutua unius personæ in alia habitatio, & quædam quasi penetratio. Admissa semel hac circuminsessione, necessario infertur trium personarum consubstantialitas & perfecta æqualitas, contra antiquos & novos Arianos, puta, Socinianos. Quare cum communi statuitur

262 RESOLUTIO. Admitti debet divinarum personarum circuminsessio.

PROB. I. ex S. Scriptura. Christus Joan. X. 38. : *Pater in me est & ego in Patre.* item

item Joan. XIV. 10.: *non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Pater in me manens, ipse facit opera.* Ita & SS. Patres communiter videndi apud PETAVIUM, & alios Dogmaticos.

PROB. II. ratione. Quorum una & eadem 263
est essentia ac existentia, illa in se invicem sunt; separari enim non possunt, nec potest persona esse extra suam essentiam & existentiam: atqui trium personarum una & indivisibilis est essentia ac existentia: ergo in invicem sunt: quod est ipsa circuminsessio.

OBJIC. I. Si Pater est in Filio. tunc in 264
eo est Paternitas, sed hoc nequit admitti. *ergo. min. prob.* si in Filio est Paternitas, tunc etiam est Pater, sed hoc iterum dici nequit. sequela *prob.* nam Paternitas est forma constitutiva primæ personæ, seu Patris: ergo si in Filio est, habet formam constitutivam Patris: & hoc ipso est Pater.

RESP. Nego. *min.* ad *prob.* nego *sequel.*, vel *dist.* si in Filio est Paternitas, *formaliter* & *immediate* tanquam forma constituens personam. *conc.* si in Filio tantum est *mediate* & *identice*, propter essentiam communem, cum qua relationes realiter identificantur. *nego.*

Objic. II. Quæ ſunt ab invicem realiter diſtincta & ſe mutuo excludunt, non poſſunt eſſe in invicem: atqui tres perſonæ ſunt realiter diſtinctæ & ſe mutuo excludunt. *min. prob.* Principium & terminus, tanquam relative oppoſita, mutuo ſe excludunt: atqui tres perſonæ ſe habent ut principium & termini. *ergo.*

Resp. *Diſt. Maj.* quæ ſunt realiter diſtincta, quoad omnia. *conc.* ſolum quoad aliqua. *nego. diſt. min.* ſunt realiter diſtinctæ & ſe mutuo excludunt, quoad aliqua. *conc.* quoad omnia. *nego.* Quoad illa diſtinguuntur perſonæ, ſecundum quæ opponuntur relative, quod ſolum verificatur in relationibus, non autem in eſſentia & exiſtentia abſoluta, tribus communi; quia ergo cum eſſentia relationes identificatæ ſunt, ideo quælibet eſt in qualibet perſona, ſed non eodem modo; nam relatio cuilibet perſonæ propria in illa eſt immediate & formaliter; reliquæ autem ſunt in illa mediate & identice, propter communem eſſentiam.

§ V.

De divinarum Perſonarum Miſſione.

265 PEr Missionem divinæ perſonæ intelligitur proceſſio & deſtinatio unius perſonæ ab alia, ad effectum quemdam tempora-

poralem producendum. Duo igitur involvit miſſio. 1. proceſſionem perſonæ ab alia, quæ æterna eſt & principium originis reſpectu mittentis denotat. 2. deſignat effectum ſpecialem ad extra a perſona miſſa in tempore producendum. Dari in divinis ejusmodi *miſſiones*, certum eſt ex S. Scriptura, non tamen reſpectu cujuslibet perſonæ; Pater enim, qui a nullo procedit, nunquam dicitur ab alio *miſſus*; miſſio enim eſt aliquid *notionale*, & *active* ſumta ſoli mittenti, *paſſive* autem accepta, ſoli perſonæ miſſæ propria eſt: omnes quidem perſonæ ad creaturas venire poſſunt, ut patet ex illo Joan. XIV. 23. *Si quis diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. *Mitti* autem ſoli Filio tanquam a Patre, & Spiritui ſancto ab utroque procedenti, convenit. Sic dixit de ſe Chriſtus: *qui miſit me, Pater*, & Paulus ad Galat. IV. 4. de eodem: miſit *Deus Filium ſuum*. de Spiritu S. dicit Chriſtus Joan. XV. 26. *cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre*. Unde etiam colligitur, perſonam ab illo ſolo mitti, a quo procedit; miſſio enim denotat *originem*, quæ tantum eſt in perſona producente.

Miſſio, de qua hic agitur, in ordine ad 266
effectum temporalem duplex eſt, una *viſibilis*, altera *inviſibilis*. prior eſt, quando fit cum aliquo effectu viſibiliter apparente, &

& personam missam repraesentante, quemadmodum contigit in incarnatione Christi, ubi Filius apparuit in forma hominis, & in ejus Baptismo, ac die Pentecostes, ubi Spiritus S. in specie columbae & linguae igneae visus est. Altera, quae fit cum aliquo effectu invisibili & spirituali; uti contingit in justificatione, de qua dicitur ad Galat. IV. 6.: *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* & ad Rom. VIII. 15.: *accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.*

267 De hac *missione* invisibili in animam hominis justi quaeritur, an Spiritus sanctus, cui adpropriatur nostra sanctificatio, solum mittatur quoad *dona* ab ipso collata, quae vocantur *charismata*, vel etiam secundum substantiam & propriam personam, ita ut inde oriatur specialis & ineffabilis quaedam unio animae justae cum persona missa, quam sub nomine casti & spiritualis connubii SS. litterae exprimere solent: & hoc posterius, tanquam SS. Scripturae & Patribus magis conforme propugnant non infimi ordinis Theologi post Magistrum sententiarum, praesertim Petavius, & P. Platina, qui Justis N. T. singulare beneficium conferri arbitrantur, in eo repositum, quod cum Patres V. T. justi & sancti effecti fuerint per gratiam & charitatem tanquam effectus & dona creata a Spiritu S. distincta, nobis econtra in N. T. Ipsa

T. Ipſa Spiritus S. perſona communicetur, uniatur, & in anima juſti velut in proprio templo inhabitet. Neque etiam deſunt e SS. Patribus, a Sebaſtiano BARRADIO Tom. I. concordiæ Evangel. Lib. I. cap. VII. commemorati, qui negant, juſtos V. T. proprie in Dei filios adoptatos fuiſſe, hancque adoptionis gratiam nobis reſervatam fuiſſe, nixi illo Pauli Rom. VIII.: *Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater &c.* Quæ forte & ratio fuit, ut quamvis illi jus aliquod ad hæreditatem cæleſtis patriæ habuerint, aditus tamen & poſſeſſio ante Chriſti & Spiritus S. adventum haud patuerit.

Iſtius ſententiæ, quam ceu plurimorum ſanctorum Patrum, & infinitis Scripturæ locis probatam ſacris Præconibus commendat P. HOUDRY in bibliotheca concionatorum theologica de myſteriis D. N. Tom. II. pag. 137. præcipua ſaltem momenta hic proponere juvat, attenta lectoris meditatione ruminanda.

ARGUMENTUM I. e S. Scriptura. Joann. 268
VII. 38. In die magno feſtivitatis clamabat JEſus: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus,*

 quia

quia JEſus nondum erat glorificatus. Quæ quidem ultima verba aliqui de miſſione *viſibili*, alii de *plenitudine* Spiritus ſancti, alii vero de *perſonali* ejus adventu & communicatione exponunt. Sic S. CYRILLUS Alexandrinus L. V. cap. 2. in Joan. „ Quan-„ do divinus Evangeliſta dicit : *Nondum* „ *erat Spiritus* (datus) illam plenam & in-„ tegram Spiritus ſancti in hominibus ha-„ bitationem ſignificare credamus. „

269 In iisdem SS. litteris frequenter dicitur, Spiritum ſanctum nobis dari, donari in nobis eſſe. Ita Chriſtus Joan. XIV. 16.: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum: quia* APUD *vos manebit, &* IN *vobis erit.* Obſervat autem S. AUGUSTINUS, quod ſicut filius ſeipſum quoad ſuam perſonam nobis dedit in incarnatione, & quotidie dat in Evchariſtia, ita & Spiritum S. quoad ſuam perſonam nobis communicet in juſtificatione; quia illum quaſi ſuo loco ſubſtituit, *alium Paraclitum ſe daturum* promittens. De eadem Spiritus ſancti non ſolum quoad dona, ſed etiam quoad propriam perſonam donatione loquitur Paulus Rom. V. 5.: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum* (ecce miſſionem Spiritus quoad effectum & donum) QUI *datus*

tus est nobis. Ipsa ergo Spiritus S. persona communicatur nobis. QUI *datus est nobis*.

In iisdem SS. litteris frequenter dicitur, 270
Spiritum S. in anima justi velut in templo habitare. Rom. VIII. 9. seq. „ Vos autem „ in carne non estis, sed in Spiritu: si tamen Spiritus Dei *habitat* in vobis. Si „ quis autem Spiritum Christi non habet, „ hic non est ejus. . . . Quodsi Spiritus „ ejus, qui suscitavit JEsum a mortuis, „ *habitat* in vobis: qui suscitavit JEsum „ Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter *inhabitantem* „ Spiritum ejus in nobis: I. Corinth. III. „ 16.: *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Dominus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*. ibidem VI. 19.: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, & non estis vestri? empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro*.

Denique dicitur *pignus*, seu *arrha*. Ephes. 271
I. 13. *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*. II. Corint. I. 22.: *Qui dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*. Quæ verba exponens S. Joannes CHRYSOSTOMUS comment. in epist. ad Ephes. ait: „ Quemadmodum si bel-

„ lum

„ lum inter ſe gentes aliquæ gerant, ob-
„ ſides dare ſolent: ſic Deus Filium ſu-
„ um dedit, pacis, fiduciarumque pignus,
„ & Spiritum S., qui ab ipſo procedit.„
& AUGUSTINUS ſerm. 13. de verbis Apo-
ſtoli de Spiritu S. loquens. „ Qualis res
„ eſt, ſi pignus tale eſt? nec pignus,
„ ſed Arrha dicendus eſt; pignus enim,
„ quando ponitur, cum fuerit res ipſa
„ reddita, pignus aufertur: arrha autem
„ de ipſa re datur, quæ dando promitti-
„ tur: ut res quando redditur, implea-
„ tur, quod datum eſt, non mutetur. „

272 Argumentum II. deſumitur e claris PP. Græcorum, Latinorumque textibus, quorum unum alterumve audire placeat. Sic CYRILLUS Alexandrinus L. 34. theſauri. „ Sed quid opus eſt iſtis ambagibus & verſutis commentis, ipſam enim ſanctificandi virtutem, quæ ex Patre naturaliter procedit, & imperfecta perficit, Spiritum S. eſſe dicimus, & ſuperfluum videtur *per medium* aliquod creaturas ſanctificari. Nam ipſe Deus pro miſericordia ſua ad minima usque pervenit & ſanctificat per proprium Spiritum . . . Itaque Spiritus S. *per ſeipſum* in nobis operatur, vere ſanctificans & uniens nos ſibimetipſi, dum nos ſecum copulat, ac divinæ naturæ participes reddens. „ Idem L. 9. in Joan.: „ Potius ex ipſa nobis divina natura procedit,

„ dit, non ita ut per ipſam in nos tan-
„ quam alienus tranſeat, ſed, ut ſic lo-
„ quar, ut velut qualitas quædam divi-
„ nitatis in nobis ſit, & in ſanctis habi-
„ tet, ac perpetuo maneat, ſi mentis
„ ſuæ oculum omni probitate purgantes
„ & virtutum omnium indefeſſo ſtudio gra-
„ tiam ſibi ipſi conſervent. „ Idem L. 7.
Dial. ad Hermiam. „ Miſit autem ad nos
„ e cælo Paraclitum, per quem & in quo
„ nobiscum eſt, & in nobis habitat, non
„ *peregrinum* nobis infundens, ſed *ſubſtan-*
„ *tiæ* ipſius & Patris ipſius proprium Spiri-
„ tum. Ibidem „ templa Dei & Dii vocati
„ ſumus, & ſumus. Quare autem inter-
„ rogo Adverſarios; quandoquidem ſumus
„ participes gratiæ nudæ & ſubſiſtentia ca-
„ rentis? ſed non ſic habet: abſit; tem-
„ pla enim ſumus Spiritus exiſtentis &
„ ſubſiſtentis, vocatique propter hoc Dii,
„ utpote divinæ & ineffabilis naturæ cum
„ illo copula participes facti „ Alios ejus-
dem Cyrilli Alexand. textus allegatos vi-
dere eſt Tom. VII. P. I. harum prælect. n.
101. ſeq., ſed & Cyrillus Hieroſolymitanus
catecheſi XVII. hanc unionem exemplo
dilucidat, his verbis: „ accipe exemplum
„ corporum, parvum quidem & facile,
„ ſed utile ſimplicioribus. ſi ignis per fer-
„ ri craſſitudinem interius penetrans totum
„ illum ignem efficit; adeo ut, quod erat
„ frigidum, fiat fervens, & quod nigrum
„ erat, fiat ſplendidum, ſi ignis, cum ſit

„ cor-

„ corpus, in ferri corpus ſubiens obſtante „ nullo agit: quid miraris, ſi Spiritus S. „ in intimos animæ receſſus ingreditur?„ Deinde Patres de Spiritu S. in nobis habitante loquentes, utuntur ſimilitudine ſigniculi, ceræ imagine ſignitæ, ſubſtantiæ deauratæ, pignoris, doni &c., quæ omnia ſubſtantialem Spiritus S. præſentiam, & non ſolum ejus chariſmata ſignificant.

273 Argumentum III. depromitur ex illis PP. locis, ubi docent Spiritum S. in veteri teſtamento ſolum penes effectus ſeu charismata, in novo autem inſuper penes perſonam dari: ita CYRILLUS Alex. L. 5. in Joan. „ Verum ſi ita res ſe habet, quinam erat in Prophetis? conſideremus „ ergo, repetam enim orationis ſcopum. „In SS. quidem Prophetis velut uberem „ quamdam illuſtrationem & illuminatio„ nem Spiritus extitiſſe, quæ ad futuro„ rum perceptionem expedire poſſet oc„ cultorumque notitiam: at vero in iis, „ qui credunt in Chriſtum, non ſimpli‚‘ cem illuſtrationem a Spiritu S. deriva, tam, ſed ipſummet habitare Spiritum „ S. & domicilium collocare confidimus. „ Unde etiam merito templa Dei voca„ mur: cum nullus SS. Prophetarum „ templum Dei ſit nominatus unquam.„ E quibus colligitur, non ſolum per gratiam ſanctificantem, quæ etiam Prophetis communicata erat, ſed per propriam

priam ſubſtantiam & perſonam in nobis habitare Spiritum S. Ibidem docet CYRILLUS, quemlibet etiam minimum e Chriſtianis juſtificatis majorem eſſe Joanne Baptiſta propter hanc ſubſtantivam & perſonalem præſentiam: quod probat ex illo Chriſti Matth. XI. 11.: *Qui autem minor eſt in regno cœlorum; major eſt illo*: in quæ verba ita ſcribit CYRILLUS: „ majorem itaque Joanne etiam „ ipſe Chriſtus eum eſſe ait, qui minor „ eſt in regno cælorum, hoc eſt, etiam „ illum, qui recens baptizatus eſt, ac „ nondum operibus ullis excellens, quid- „ dam eſt aſſecutus eo ipſo tantum, quod „ natus quidem eſt e muliere beatus Ba- „ ptiſta, hic vero ex Deo natus eſt: „ ſicut ſcriptum eſt, & divinæ naturæ „ particeps eſt factus, habitantem ha- „ bens in ſe Spiritum S. jam templum ap- „ pellatus Dei. „

Argumentum IV. deſumitur ex S. AU- 274
GUSTINO, qui ſerm. 185. de tempore docet, Spiritum S. in propria perſona, & per ſuam ſubſtantiam illapſum fuiſſe in Apoſtolos & fideles in die S. Pentecoſtes. Sic vero ait: „ Spiritus S. in hac die „ ad præparata Apoſtolorum ſuorum tem- „ pla velut imber ſanctificationis illapſus „ eſt, non jam viſitator ſubitus, ſed „ perpetuus conſolator & cohabitator „ æternus. Nam ſicut de ſemetipſo A-

„ po-

„ poſtolis dixerat : *Ecce ego vobiscum ſum* „ *omnibus diebus usque ad conſummationem* „ *ſæculi ;* ita etiam de Spiritu S. *Paraclitum* , inquit , *dabit vobis* Pater, „ *qui vobiscum ſit in æternum* ; adfuit „ ergo in hac die fidelibus ſuis , non „ jam per gratiam viſitationis & operationis, *ſed per ipſam præſentiam Majeſtatis*, „ atque in vaſa non jam odor balſami, „ ſed *ipſa ſubſtantia* S. defluxit unguenti. „

275 V. Eamdem ſententiam non ſolum aperte tradit , ſed ejusdem etiam Auguſtini auctoritate firmat Petrus LOMBARDUS, dictus Magiſter ſententiarum Lib. I. diſt. XIV. , cujus hic verba recito. „ Sunt „ autem aliqui , qui dicunt , Spiritum „ ſanctum ipſum non dari , ſed dona „ ejus , quæ non ſunt ipſe Spiritus S. „ Et , ut ajunt , Spiritus S. dicitur „ dari , cum gratia ejus , quæ tamen „ non eſt ipſe , datur homini. „ Hanc autem opinionem hunc in modum refellit. „ Sed quod ipſe Spiritus S. , qui „ Deus eſt , & tertia in Trinitate per„ ſona , detur , aperte oſtendit Augu„ ſtinus Lib. XV. de Trinit. cap. 26. ita „ dicens : *Eundem Spiritum ſanctum da*„ *tum , cum inſufflaſſet JEſus , mox* „ *ait Matth.* XXVIII. 19. : *Ite, bapti*„ *zate omnes gentes in N. P. & F. &* „ *Sp. S. non debemus ambigere. Ipſe eſt* „ *ergo , qui etiam de cælo datus eſt die*

„ *Pen-*

„ *Pentecostes. Quomodo ergo Deus non est, „ qui dat Spiritum sanctum: imo quantus „ Deus est, qui dat Deum?* Ecce his „ verbis aperte dicit, Spirium S. ipsum „ videlicet Deum, dari hominibus a Pa„ tre & Filio. „ Id quod ulterius autho„ ritate S. Ambrosii probare contendit. Videatur etiam dist. XVII.

Forte his omnibus Patrum textibus re- 276
spondebitur, eos solum probare, quod Spiritus S. sit nostra sanctificatio seu sanctitas *causaliter*, non autem *formaliter*; plerique enim allegatorum Patrum in eo sunt toti, ut contra Macedonianos propugnent, Spiritum S. non esse creaturam; & propterea hoc modo arguunt: homines sanctificantur Spiritu S., qui in illis ut in templo habitat: atqui non sanctificantur per creaturam, cui non competit templum, sed soli Deo: ergo Spiritus S. non est creatura. Ex quo tamen argumento non sequitur, homines formaliter sanctificari per Spiritum S. immediate, sed per gratiam, tanquam effectum & donum creatum, ab ipso in anima diffusum.

An autem ista responsio omnibus ad- 277
ductis textibus ex integro satisfaciat, alii viderint. Certe enim Joannes Veccus Patriarcha CP., qui sæc. XIII. sub Michaele Palæologo floruit, multumque

pro utriusque Ecclesiæ unione laboravit, totus in eo eſt, ut e PP. Græcorum auctoritate evincat, Spiritum S. non ſolum ſecundum dona, ſed ſecundum perſonam communicari a filio. Sic enim ſcribit orat. I. de unione Eccleſiarum apud Leonem ALLATIUM Græciæ Orthodoxæ Tom. I. pag. 110. „ Nunc vero prorſus dignoſcere poteris, dilectiſſime, „ ex jam adductis verbis, quæ multus „ hic magnusque BASILIUS de inflatu e„ nunciavit, qui tempore ſchismatis Ro„ manis adverſabantur, fratres noſtros „ contentioſe ut plurimum, nec verita„ ti attendentes, adverſus eos contradi„ ctionem molitos fuiſſe. Jam enim ma„ gnus hic Baſilius inflari dicit Spiritum „ a Servatore diſcipulis, non ut donum „ illi aliquod determinatum acciperent, „ quemadmodum omnes, qui tempore „ ſchismatis erant, expoſuere, ſed ut „ totus ipſe Spiritus in illis habitualiter „ inhabitaret, veluti poſtmodum omni „ credenti eadem habitualis ſancti Spiri„ tus inhabitatio ingeritur, ſi ineffabili„ ter & ſupra rationem omnem univer„ ſam Triadem in ſingulis fidelibus cre„ dimus inhabitare. „ Haud aliter CONSTANTINUS Meletiniota eodem ſæculo populares ſuos arguit, quod negent ipſum Spiritum S. dari a Filio, ne ab eodem illum procedere fateri cogantur. Sic autem ſcribit. orat. I. de proceſſione Spiri-

ri-

ritus S. apud eundem Allatium græciæ Orthodoxæ Tom. II. pag. 682. „ Sed his „ nos contra opponimus , non dona Spi„ ritus ſeparata (hoc namque ipſam fe„ re pietatem vulnerat) per Filium fide„ libus dedi, ſed Spiritum ipſum ſanctum, „ qui complet Trinitatem, & qui ſingu„ lariter denunciatur piis hominibus per „ Filium dari, habitualiter habitare. Et „ ſic ille propriorum donorum actionem „ effundit, ut magnus Basilius, effræ„ nata nobis contradicentium ora obtu„ rans enuntiat. . . . Dona porro Spiri„ tus Spiritum aliquando nuncupari, ſu„ pervacaneum dicere fuerit : Verum„ tamen re ipſa ipſum Spiritum ſanctum, „ & non ejus dona exhiberi per Filium „ fidelibus, declaravit deiloquus iſte Pa„ ter. &c. videantur reliqua ibidem. „

In propoſito hactenus ſyſtemate diffi- 278
cultas emergit, an iſta Dei in anima juſti ſubſtantialis præſentia propria ſit perſonæ Spiritus ſancti : an toti Trinitati communis? Utrumque probabile videtur Petavio, de Trinit. Lib. VIII. cap. VI. n. 5., qui tamen in eam declinat ſententiam, etſi mentem ſuam ſtudioſe retineat, perſonalem hanc eſſe Spiritus S. proprietatem : reliquas autem perſonas per *circuminſeſſionem* in animam juſti venire.

279 Hoc etiam obſtare videtur, quod ſi unio Spiritus S. cum anima juſti ſit *ſubſtantialis*, tunc debeat eſſe vel *phyſica*, & unam cum juſto conſtituere naturam, uti fit in unione corporis & animæ humanæ: vel *hypoſtatica*, qualis eſt unio divinæ & humanæ naturæ in una Chriſti perſona: Atqui neutra videtur admitti poſſe: ergo non eſt unio ſubſtantialis, ſed moralis & accidentalis penes effectum a Spiritu S. relictum.

Resp. Petavius & cum eo P. Platina in ſuis prælectionibus theologicis apud D. Amort Tom. VIII. pag. 395. negando majorem; dicunt enim, neque phyſicam neque perſonalem eſſe, ſed aliquam quæ explicari non poteſt. *Neque enim*, ut loquitur S. Fulgentius in reſponſione ad objectionem ſecundam Arianorum, *conſequens eſt, ut, quod non poteſt enarrari, non poſſit ſciri; cum ipſum Deum nullus valeat enarrare, nec impune tamen alicui liceat ignorare.* Plura videri poſſunt apud Petavium loc cit.

CAPUT V.

De divinis Personis in Particulari.

§. I.

De prima Persona, & ejus nominibus.

VAria ſunt, quæ primæ Perſonæ ſeu 280
Patri a Theologis & Patribus attribui ſolent nomina, quorum vim, proprietatem ac ſenſum breviter explanare juvat, ut, quo ſenſu eidem conveniant vel repugnent, ſciatur. Primum de quo quæritur, eſt vocabulum INGENITI, quod multas olim turbas excitavit; ARIANI enim, qui Dei naturam in nomine & eſſe ingeniti conſtituebant, inde inferebant, ſolum Patrem eſſe Deum: Filium autem, quia genitus eſt, creaturam eſſe, aut ſaltem Patri diſſimilem. EUNOMIANI inde colligebant, ſe Deum plene comprehendere; quia comprehendebant notionem & ideam ingeniti. Igitur obſervandum, vocem *ingeniti* tripliciter ſumi poſſe. I. quatenus excludit *creationem*: & iſto ſenſu omnes tres Perſonæ ſunt ingenitæ. II. prout excludit *generationem*: quo ſenſu convenit Patri & Spiritui S. III. prout excludit omnem productionem ſeu proceſſionem: quo ſenſu ſoli Patri propria eſt, qui a nullo procedit.

Secundum nomen eſt PATRIS, quod accipi poteſt vel *eſſentialiter*, vel *perſonaliter*, id eſt, *notionaliter.* Priore modo, quatenus dicit reſpectum ad creaturas & gratuitam hominum in filios Dei adoptionem, commune eſt ſanctiſſimæ Trinitati. Et hoc ſenſu dicimus: *Pater noſter qui es in cælis.* Quando autem ſumitur *perſonaliter* pro generatione æterna verbi, quo Filius Deum dicebat ſuum Patrem, ſolum primæ Perſonæ competit.

281 Tertium eſt nomen PRINCIPII, quod iterum vel *eſſentialiter*, vel *notionaliter* accipitur. I. modo prout dicit reſpectum ad creaturas, tota Trinitas eſt principium; nam operationes ad extra tribus Perſonis communes ſunt. Sic dicebat Chriſtus Joan. VIII. 25. *Ego principium* (id eſt, Deus) *qui & loquor vobis.* & Apocal. ult. 13. : *Ego* A *&* Ω *principium & finis.* II. modo in ordine ad Perſonas, cum Pater ſit origo Filii & Spiritus S. proprie dicitur principium. Si autem ſolum fiat reſpectus ad perſonam Spiritus ſancti, tunc Pater & Filius ſunt ejusdem principium; quia ab utroque procedit.

282 Quia autem principium non ſolum originem, ſed etiam initium exiſtendi ſignificat, Filius autem ab æterno eſt; ideo

ideo ſine principio ſeu ἄναρχον illum dixerunt PP. Græci contra Arianos. Econtra quia per VERBUM, quod erat in principio apud Deum, omnia facta ſunt, verbum reſpectu creaturarum a PP. ſpecialiter appellatur *Principium.*

Quartum nomen eſt CAUSÆ, quod Græcis idem ſonat ac *principium;* & propterea Pater paſſim dicebatur ab illis *Cauſa* Filii. Ideo in Concilio FLORENTINO in decreto unionis dictum eſt ab EUGENIO Pontifice: Filium eſſe ſecundum Græcos quidem CAUSAM, ſecundum Latinos vero PRINCIPIUM ſubſtantiæ Spiritus S. ſicut & Patrem. Latini igitur plerumque maluerunt uti voce *principii*, quam *cauſæ*; illud enim eſt generalius & univerſim ſignificat id, unde ſimpliciter aliquid fit: econtra nomen *cauſæ* proprie eſt principium influens eſſe in aliud, quod arguit diſtinctionem naturæ & ſubſtantiæ, ut obſervavit S. THOMAS opuſc. contra Græcos. 283

Quintum nomen eſt AUCTORIS, quod Patri ſæpe tribuitur a Græcis & Latinis ſcriptoribus non quidem eo ſenſu, quaſi haberet aliquam authoritatem vel præeminentiam, aut poteſtatem ſupra reliquas Perſonas: ſed quod ſit origo & principium Perſonarum. 284

285 Ad evitandas autem cavillationes hæreticorum tutius eſt hac voce abſtinere, vel illa uti, nonniſi cum addito: Auctor Filii aut Spiritus S. ut obſervat AUGUSTINUS & Theologi paſſim monent. S. THOMAS in ſententias ſcribens omnino negavit, Patri nomen Auctoris tribui poſſe; at vero in ſumma ceu opere poſtremo iſtam quæſtionem penitus prætermiſit: quod nonnullis indicium videtur, eum ſuam mentem mutaſſe. Denique ut alia prætermittam nomina, Pater dicitur A SE, quia non eſt ab alio tanquam principio: dicitur, FONS, ORIGO, CAPUT, tanquam principium reliquarum Perſonarum, quæ facile patent ex dictis.

§. II.

De ſecunda Perſona.

286 NOmina ſecundæ Perſonæ attribui ſolita, alia ſunt *perſonalia*, alia per *adpropriationem* peculiaria, & alia cum reliquis perſonis *communia.* Quoad nomina *perſonalia* dicitur I. FILIUS, & quidem primo- ſeu *unigenitus*; eoquod ſolus per veram generationem a Patre procedat, ita, ut hoc nomen in propria ſignificatione alteri Perſonæ attribui minime poſſit.

287 Dicitur II. VERBUM, & a Græcis λογοσ, id

id est, Sermo, Ratio; quod patet ex Evangelio Joan. cap. 1. *in principio erat verbum* (λογος) *& verbum erat apud Deum &c.*, intelligitur autem hoc nomine, quod secunda Persona sit expressa imago & terminus actualis divinæ intellectionis, seu dictionis & differt a verbo mentis humanæ, 1. quod verbum creatum non ex ipsa substantia mentis, sed ex scientia adventitia, illud vero increatum ex ipsa divinæ substantiæ cognitione procedat. 2. Quod multa sint verba creata pro multitudine cognominum, verbum autem divinum sit unicum; *semel* enim *locutus est Deus.* 3. quod verbum divinum sit æternum, & aliquid per se subsistens; quæ omnia non verificantur de verbo creato. Itaque Verbi nomen personale est, & proprium secundæ Personæ; quia exprimit modum processionis per generationem seu intellectionem, & *relationem* denotat. Unde quando aliqui Patres secundam Personam dicunt *verbum de verbo*, id est, de Patre, & Spiritum S. appellant *verbum Filii* ac *verbi*, nomen Verbi non sumunt *notionaliter* & in propria significatione, sed *essentialiter*, pro ratione & intelligentia essentiali.

Dicitur III. Imago ut ad Coloss. I., *qui* 288
est imago Dei invisibilis: & ad Heb. I.: *qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus &c.*, est hoc nomen relativum,

 ni-

nimirum ad Patrem, cujus eſt imago: atque ideo *notionale* & ſoli Filio proprium. Tria enim ad rationem imaginis requiruntur: 1. ut in aliquo conveniat cum illo, cujus eſt imago, & in aliquo differat. 2. ut ab ipſo trahat originem. 3. ut hanc ſimilitudinem habeat vi ſuæ proceſſionis. Unde colligitur, Patres, dum Spiritum S. aliquando vocarunt imaginem Filii, improprie locutos fuiſſe; quia Spiritus S. ſuam ſimilitudinem non habet *ex vi* proceſſionis a Filio, ſed propter naturæ identitatem: prout eam tamen Filius habet *ex vi* proceſſionis a Patre.

289 Nomina quæ ſecundæ perſonæ non ſunt *notionalia*, ſed adpropriata, ſunt: Sapientia, quæ eſt aliquid abſolutum, & Virtus Dei: ideo tamen eidem *adpropriantur* a D. Paulo I. ad Cor. I., quia Filius procedit a Patre per intellectum, qui eſt ſedes ſapientiæ. Hinc dicitur Proverb. VIII. 12.: *Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus*: & quia per ipſum creata ſunt omnia. Conſequenter eſt virtus & ſapientia Dei.

290 Denique notandum, ſecundæ perſonæ a pluribus PP. attributa fuiſſe nomina aliis perſonis ſecundum ſe propria: ſic a Barnaba, Justino, Tatiano, Tertulliano, Cypriano, Lactantio, Epi-

PHANIO & aliis, appellatur Spiritus S.; eſt enim vere *Spiritus*, & per eſſentiam *ſanctus* : non vero illo ſenſu proprio & notionali; quia non eſt *ſpiratus* : quod obſervandum fuerat ad intelligendos Patrum textus.

§. III.

De tertia Perſona.

AGendo nunc de notionibus tertiæ Perſonæ, hæc primo & proprie dicitur SPIRITUS S., etiamſi enim omnes tres Perſonæ eſſentialiter ſint idem *Spiritus*, & ſimul *ſanctus*, cum ſanctitas ſit attributum *abſolutum* tribus commune: multis tamen ex rationibus hoc nomen tertiæ Perſonæ proprie & *notionaliter* competit; quia I. S. Scriptura & PP. eodem unanimiter utuntur ad deſignandam tertiam perſonam. II. quia vocabulum *Spiritus* dicit motum & impulſum: quod convenit tertiæ Perſonæ, quæ procedit ex *Amore*, & eſt amor, cui proprium eſt amantem inclinare & impellere in amatum. III. cum tertia Perſona ſit quaſi vinculum commune Patris & Filii; ideo proprie ei convenit nomen utrique commune; eoquod utrumque connectat tanquam utriusque communio, ut S. AUGUSTINUS obſervat L. 5. de Trinit. 291

Dici-

292 Dicitur II. CHARITAS, AMOR, UNIO, VINCULUM, COMPLEXUS &c. & quidem *notionaliter*; procedit enim ex Patris & Filii voluntate tanquam amor, eosque conjungit. Hinc S. AUGUSTINUS L. 15. de Trinit. cap. 17.: *Si ergo proprie aliquid horum trium charitas nuncupanda eſt: quid aptius, quam ut hoc ſit Spiritus ſanctus.*

293 Dicitur III. Dei DONUM; quia non ſolum *dona* gratiæ & charismata, tanquam effectus ſpecialiter Spiritui S. attribuuntur, ſed quia & ipſa Perſona Spiritus S. nobis in juſtificatione ſpecialiter communicatur. Poteſt equidem dici, quod tota Trinitas ſe nobis det, & ad nos veniat, ſicut etiam de Filio Eccleſia canit in hymno: *nobis datus, nobis natus &c.*: proprie tamen id de Spiritu S. dicitur; nam ad donum proprie dictum duo requiruntur, 1. ut procedat a dante & ab eo diſtinguatur: 2. ut procedat ex voluntatis ſeu amantis inclinatione, quod poſterius Spiritui S. proprie congruit.

294 Dicitur IV. *Paraclitus* ſeu conſolator, quamvis enim etiam Chriſtus in humana natura cum Apoſtolis converſatus, tanquam ſponſus viſibiliter apparens, Eccleſiæ ſuæ electæ fuerit paraclitus, ſeque ipſum talem eſſe oſtenderit his verbis: Joan. XIV. 16. *Alium Paraclitum*

dabit

dabit vobis : proprie tamen hoc nomen & officium Spiritui S. attribuitur ; quia Chriſtus viſibili ſua præſentia Eccleſiam deſerens promiſit, ſe miſſurum Spiritum S. tanquam perpetuum conſolatorem.

Denique a nonnullis Patribus appella- 295
tur SAPIENTIA DEI : Quod nomen etſi Filio ſimpliciter attribuatur, attamen & Spiritui S. congruit ; quia ab illo donum *ſapientiæ*, *intellectus*, *conſilii* &c. in homines & Angelos diffunditur : quæ proprie Spiritus ſancti *dona* dici ſolent.

§. IV.

De modo loquendi circa SS. *Trinitatem.*

CUm juxta S. Auguſtinum L. 1. de 296
Trinit. cap. 3. : *nusquam periculoſius erretur*, quam in hoc myſterio ; *poſſitque & in verbis hæreſis reperiri*, operæ pretium erit, quasdam pro coronide afferre regulas in modo loquendi de hoc myſterio obſervandas.

REGULA I. Nomina *ſubſtantiva* tranſcen- 297
dentalia, uti res, ens, pro diverſo ſenſu tam in ſingulari quam in plurali numero efferri poſſunt. Sic Concil. Lateranenſe IV. definiit, tres Perſonas eſſe unam *rem*, videlicet unam naturam, ſubſtantiam, eſſentiam. Econtra S. AN-

SELMUS dicit, in Deo ſive Trinitate eſſe tres *res*, ſumendo *rem* pro Perſona.

298 REGULA II. Nomina *ſubſtantiva*, quæ referuntur ad diſtinctionem Perſonarum, enunciantur numero plurali v. g. tres perſonæ: tres ſunt in cælo: hi tres unum ſunt,

299 REGULA III. Nomina ſubſtantiva, quæ pertinent ad communem unitatem, uti Deus, & quibus ſignificatur eſſentia vel aliquod abſolutum attributorum, non ſunt efferenda numero plurali. Sic non dicimus tres divinos aut Deos, ſed unum; eſſentia enim, & quidquid abſolutum eſt, unum eſt, omnibus commune. Hoc tamen non obſtante nomina concreta & eſſentialia, quandoque accipiuntur *perſonaliter*, tam in S. Scriptura, quam PP. ſic dicit David: *Dixit Dominus Domino meo*: id eſt, Pater Filio, & PAULUS ad Gal. IV. 4.: *Miſit Deus Filium ſuum*: hoc eſt, Pater Filium. S. JUSTINUS Mart. Filium & Spiritum S. appellat *ſecundum* & *tertium Deum.*

300 REGULA IV. Nomina *eſſentialia* in abſtracto poſita v. g. divinitas, eſſentia &c. nunquam ſumuntur pro perſona. Hinc dici nequit, divinitas generatur, aut generat; nam etiam in abſtracto tribus communis eſt.

RE-

Regula V. Nomina *adjectiva concreta* prædicantur de divinis perſonis in numero plurali. Sic ſymbolum Athanaſianum : *Totæ perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.* Ratio eſt , quæ multiplicatis ſuppoſitis concipiuntur multiplicari, in numero plurali prædicari poſſunt : atqui adjectiva concreta multiplicatis ſuppoſitis concipiuntur multiplicari , ſignificant enim ſubjectum & formam , ſeu ſubjectum habens formam. Sic quælibet perſona habet æternitatem : obſervandum tamen , hæc nomina adjectiva quandoque ſumi *ſubſtantive* : & tunc numero ſingulari enuntiantur. Sic idem ſymbolum Athanaſianum : *æternus Pater, increatus , immenſus* &c. *æternus Filius* &c. *& tamen non tres ſunt æterni , ſed unus æternus & unus immenſus.* Sic etiam S. Augustinus Tract. 39. in Joan. : *Non ſunt tres Dii , non ſunt tres omnipotentes.*

Regula VI. Filius & Spiritus S. poſſunt 301
quidem dici Unum cum Patre , non tamen Unus : item Alius & Alius , non tamen Aliud ; quia *unum* & *aliud* , dicitur *ſubſtantive* , & denotat *naturam* : unus & alius , *adjective* ſumuntur , & ſignificant *perſonas* diſtinctas. Plura deſuper videri poſſunt apud Juenin & Berti. Hæc autem ſufficiant de Deo Trino , *ex quo omnia , per quem omnia, in quo omnia , ipſi gloria in ſæcula.*

DE PRÆDESTINATIANA HÆRESI DISSERTATIO.

AD TOMUM I. PRÆLECTIONUM P. HERMANNI SCHOLLINER,

APPENDIX.

AD LECTOREM.

In lubrico quam difficile ſit tenere medium, & nec ad dexteram declinare, nec ad ſiniſtram deflectere, lugendo multorum lapſu ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Nihil olim libero tribuebant arbitrio MANICHÆI & PRISCILLIANISTÆ, ad bonum, malumve Principium, aut inevitabile Fatum cuncta trahentes: Omnia arbitrio tribuebant PELAGIANI, gratiæ internæ Voluntatem inclinantis neceſſitatem pertinaciter inficiantes. Medium ſe inveniſſe MASSILIENSES gloriabantur, initium quidem operis boni Naturæ, ejus autem profectum gratiæ adſcribentes. Sed iſtos quoque a ſiniſtra PELAGIANORUM ſemita non ſatis deflexiſſe, ARAUSICANA II. Synodus cenſuit. Ad

oppoſitum denuo declinavit CALVINUS & rigidi ejusdem ſequaces, qui ad immutabile Dei propoſitum ita omnia revocant, ut qui ante omnia prævifa bona vel mala merita ad gloriam prædeſtinatus fuerit, neceſſario ſalvetur, & qui ad pœnas ordinatus fuerit, neceſſario pereat, ſicque bonorum illius, malorumque hujus operum unus idemque Auctor ſit Deus, qui pro ſuo arbitrio illos ad vitam, hos ad mortem procreavit. Iſti certe facto ſuo demonſtrarunt quod ſcribit HORATIUS: *Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.*

Ut quid autem e longinquo exempla repeto, quæ pene oculis noſtris quotidie obverſantur. Quamprimum enim de concordia libertatis humanæ cum gratia proponitur Quæſtio, haud illa quidem adeo facilis, & ſummorum vi ingeniorum tanto tempore agitata; accidit non raro, ut diffidentes Diſputantium

tium

tium Partes oppositarum e diametro hæresum, illinc quidem PELAGII aut Massiliensium, hinc vero Prædestinatorum, CALVINI, aut JANSENII, criminationes mutuo in se contorqueant, & constitutam in medio Veritatem disputando amittant.

Non equidem inficias iverim, imo cum S. AUGUSTINO lubens profiteor, Quæstionem istam ita ad discernendum esse difficilem, ut quando gratiæ necessitas adstruitur, liberum arbitrium destrui videatur. Nec ideo tamen de media, qua tuto itur, desperandum est semita, quam idem demonstravit AUGUSTINUS, Doctor Gratiæ ab Ecclesia judicatus, cujus etiam sententiis ac verbis, a concilio non uno adoptatis, oppositos hactenus damnavit errores; ut adeo vetus licet, gravis tamen calumnia sit vociferantium, AUGUSTINUM ejusque doctrinæ Defensores, gratiæ necessitatem eo usque extulisse, ut

sub-

ſublata penitus Arbitrii libertate cogenti cuidam Fato omnia ſubdiderint, & PRÆDESTINATIANAM hæreſin; PELAGIANÆ oppoſitam, in Eccleſiam invexerint. Ut igitur iſti criminationi, quod quidem jam ab aliis cumulate præſtitum eſt, ſi non finis, ſaltem modus ponatur, inquirere mecum conſtitui, verene ante CALVINUM Prædeſtinatiana extiterit hæreſis? Quod ut ordine perſequar, §. I. iſtius hæreſeos notionem illorum ex mente dabo, qui primi ejusdem meminerunt, §. II. disquiram, an ſuos in Africa natales Auguſtini tempore fuerit ſortita? §. III. Num poſt ejus obitum in Gallia adoleverit? §. IV. An ſæculo IX. per Goteſchalcum revixerit?

§. I.

Quid nomine Prædeſtinatianæ hæreſeos intelligendum veniat, declaratur.

Quæ Eccleſiæ doctrina, quæ ſcholarum 1
de prædeſtinatione ſint placita, Tom. I. mearum prælectionum *de Deo Uno* expoſui, & S. Augustinum ſecutus aſſerui, absque ullo ad præviſa merita reſpectu nonnullos Adæ poſteros non ad gratiam ſolum, ſed ad gloriam quoque gratuito Dei beneplacito in intentione deſtinari, reliquos autem in maſſa perditionis relictos, & finalis perſeverantiæ dono deſtitutos propter originale, aut actuale finalis inpœnitentiæ peccatum ad pœnas æternas poſitive reprobari.

Durus jam olim bene multis videbatur hic ſermo, & libero fatalis arbitrio; unde conſequi arbitrabantur, quemadmodum libero Dei propoſito, & ſine ullo ad opera bona reſpectu, electi ad gratiam & gloriam prædeſtinantur, ita reliquos ad peccatum & pœnas æternas ab immiti Deo determinatos, & vaſa iræ præparatos fuiſſe.; cui quidem errori, fœcundæ aliorum radici Prædestinatianæ hæreſeos nomen imponi conſuevit.

2 Quinam primi hujus commenti auctores exstiterint, deinceps inquiram: nunc capitales juvat recensere errores, Prædestinatorum, si unquam ante CALVINUM exstitit, Sectæ adtributos.

Auctor Libelli sub nomine PRÆDESTINATI, quem primus in lucem, qua nunc immerito fruitur, produxit Jacobus SIRMONDUS, celeberrimus S. J. polyhistor, in suo hæresium catalogo n. XC. hunc in modum illos summatim recenset. „ Nonagesima hæresis, quam in præfatione nostra diximus de nomine Augustini Episcopi esse mentitam, *Prædestinatorum* nomen accepit. Hi I. electionem bonorum, & recusationem malorum, Deo decernente definiunt, non homine vel studente, vel negligente. Nolunt Dei jura vel ab studentibus custodiri, vel a negligentibus violari. II. Dicunt, etiamsi voluerit bonum facere qui ad malum prædestinatus est, ad bonum pervenire non poterit. Nam qui ad bonum prædestinatus est, etiamsi negligat, ad bonum perducetur invitus. III. Dicunt, baptismatis undam non universa peccata mundare. IV. Dicunt, ita antecedit gratia liberum arbitrium, ut ante accipiat homo quam petat, ante inveniat quam quærat, ante ei aperiatur quam pulset. V. Dicunt, nullum ad Christi fidem accedere, nisi fuerit a Patre tra-

„ ctus

„ ctus invitus, illud attendentes, *nemo ve-*
„ *nit ad me, nisi quem Pater attraxerit.*
„ VI. Dicunt, omnia non in re, sed ita
„ in spe fieri, ut quod dicit Apostolus,
„ *spes, quæ videtur non est spes*, etiam hoc
„ mysteriis applicent dictum, & dicant,
„ ea quæ percipiuntur, videntur quidem
„ esse, sed non sunt. VII. Dicunt, plus
„ obfuit ad nocendum Adam generi hu-
„ mano, quam Christus in subveniendo.
„ Nam Adam ajunt quod nocuit ita ma-
„ net, ut hoc nec passio Christi, nec
„ baptismatis sanctificatio possit auferre. „
Ita ille ad finem Libri primi, qui Libro secundo sub nomine AUGUSTINI conficto integrum Prædestinatorum systema exhibet, & fictas a se umbras Libro tertio persequitur.

De eadem Hæresi sæculo V. suspectus 3
dicitur quidam Presbyter LUCIDUS nomine, quem ut ab errore revocaret FAUSTUS, Regiensis in Provincia Episcopus, mediam Pelagianos inter & Prædestinatianos monstraturus semitam, data ad eum epistola hæc inter alia perscripsit, & obpositos utrique hæresi anathematismos proposuit.
„ Breviter ergo dicam, quantum cum ab-
„ sente loqui possum, quid sentire cum
„ catholica Ecclesia debeas. Id est, ut
„ cum gratia Domini operationem bapti-
„ zati famuli semper adjungas, & eum
„ qui prædestinationem excluso labore ho-

„ minis asserit, cum Pelagii dogmate de„ testeris. I. Anathema ergo illi, qui in„ ter reliquas Pelagii impietates hominem „ sine peccato nasci, & per solum labo„ rem posse salvari damnanda præsumtio„ ne contenderit; & qui eum sine gratia „ Dei liberari posse crediderit. II. Item „ anathema illi, qui hominem cum fideli „ confessione solemniter baptizatum, & „ asserentem Catholicam fidem, & post„ modum per diversa hujus mundi oble„ ctamenta prolapsum, in Adam & origi„ nale peccatum periisse asserit. III. Item „ anathema illi, qui per Dei præscientiam „ in mortem deprimi hominem dixerit. „ IV. Item anathema illi qui dixerit, il„ lum qui periit, non accepisse ut salvus „ esse posset: id est de baptizato, vel de „ illius ætatis pagano, qui credere potuit „ & noluit. V. Item anathema illi qui „ dixerit, quod vas contumeliæ non pos„ sit assurgere, ut sit vas in honorem. „ VI. Item anathema illi qui dixerit, quod „ Christus non pro omnibus mortuus sit, „ nec omnes homines salvos esse velit. „ Ita FAUSTUS ad LUCIDUM Tom. VII. Concil. noviss. MANSI. col. 1008. seq.

4 Hac FAUSTI epistola, & ARELATENSIS, ut ait, Concilii decretis ab errore imputato revocatus LUCIDUS, ad ejusdem ARELATENSIS Provinciæ Episcopos palinodiam in hæc verba rescripsit. loc. cit. „ Domi„ nis

„ nis beatissimis . . . Correptio vestra salus publica, & sententia vestra medicina est. Unde & ego summum remedium duco, ut præteritos errores accusando excusem, & salutifera confessione me diluam. Proinde juxta prædicandi recentia statuta Concilii (Arelatensis III. anno 475.) damno vobiscum sensum illum, I. qui dicit humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non esse jungendum. II. Qui dicit post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum. III. Qui dicit quod Christus & Salvator noster mortem non pró omnium salute susceperit. IV. Qui dicit quod præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant voluntate qui pereunt. V. Qui dicit quod post acceptum legitime baptismum in Adam moriatur quicunque deliquerit. VI. Qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos. VII. Qui dicit ab Adam usque ad Christum nullos ex gentibus per primam Dei gratiam, id est per Legem naturæ, in adventum Christi fuisse salvatos, eoquod liberum arbitrium in primo parente perdiderint. VIII. Qui dicit Patriarchas ac Prophetas, ac summos quoque Sanctorum, etiam ante redemtionis tempora, intra paradisum deguisse. Hæc omnia quasi impia, & sacrilegiis repleta condemno. Ita autem

 „ asse-

„ aſſero gratiam Dei, ut anniſum homi-
„ nis & conatum gratiæ ſemper adjun-
„ gam, & libertatem voluntatis humanæ
„ non extinctam, ſed attenuatam & infir-
„ matam eſſe pronuntiem: & periclitari
„ eum qui ſalvus eſt, & eum qui periit,
„ potuiſſe ſalvari. Chriſtum etiam Deum
„ & Salvatorem noſtrum, quantum perti-
„ net ad divitias bonitatis ſuæ, pretium
„ mortis pro omnibus obtuliſſe, & quia
„ nullum perire velit, qui eſt Salvator
„ omnium, maxime fidelium, dives in
„ omnibus qui invocant illum. Et quia
„ in tantis rebus conſcientiæ ſatisfacien-
„ dum, memini me ante dixiſſe, quod
„ Chriſtus pro his tantum, quos creditu-
„ ros præſcivit, adveniſſet, ſententias Do-
„ minicas ſequens, quibus ait ſic: *Filius*
„ *hominis non venit miniſtrari, ſed mini-*
„ *ſtrare, & animam ſuam redemptionem da-*
„ *re pro multis*, & illud: *Hic eſt calix ſan-*
„ *guinis mei novi teſtamenti, qui pro multis*
„ *effundetur in remiſſionem peccatorum*, vel
„ illud Apoſtoli: *Sicut ſemel ſtatutum eſt*
„ *hominibus mori, ita & Chriſtus ſemel ob-*
„ *latus eſt ad multorum exhaurienda pecca-*
„ *ta*. Nunc vero ſacrorum teſtimoniorum
„ auctoritate, quæ abunde per ſpatia di-
„ vinarum inveniuntur ſcripturarum, ex
„ Seniorum doctrina ratione patefacta, li-
„ bens fateor, Chriſtum etiam pro perdi-
„ tis adveniſſe, quia eodem nolente perie-
„ runt. Neque enim fas eſt circa eos ſo-

„ lum

„ lum qui videntur eſſe ſalvati, immenſæ
„ divitias bonitatis ac beneficia divina
„ concludi. Nam ſi Chriſtum his tantum
„ remedia attuliſſe dicimus qui redempti
„ ſunt, videbimur abſolvere non redem-
„ ptos, quos pro redemptione contempta
„ conſtat eſſe puniendos. Aſſero etiam,
„ per rationem & ordinem ſæculorum
„ alios Lege gratiæ, alios Lege Moyſi,
„ alios Lege naturæ, quam Deus in om-
„ nium corde ſcripſit, in ſpe adventus
„ Chriſti fuiſſe ſalvatos: tamen ex initio
„ mundi ab originali nexu, niſi interceſ-
„ ſione ſacri ſanguinis, non abſolutos.
„ Profiteor etiam æternos ignes, & in-
„ fernales flammas factis capitalibus præ-
„ paratas: quia perſeverantes humanas
„ culpas merito ſequitur divina ſententia,
„ quam juſte incurrunt, qui hæc non to-
„ to corde crediderint. „ Ita Lucidus, ſi tamen ejus hæc eſt epiſtola, & non potius ſub ejus nomine ab aliquo Auguſtinianæ Doctrinæ Adverſario conficta, & verbis æquivocis fuit concepta: de quo infra.

Prædeſtinatianam hæreſin quinto ſæculo 5
Eccleſiam turbaſſe, alii inſuper aſſerunt teſtes a Sirmondo commemorati. Primum inter eos locum obtinet Tiro Prosper, alius certe a S. Prospero Aquitano, invicto Semipelagianorum vindice, cujus in chronico, anachroniſmis repleto, hæc e

Bibliotheca S. Victoris Parisiensis allegantur verba : *Prædestinatorum hæresis, quæ ab Augustino accepisse dicitur initium, his temporibus* (anno 417.) *serpere exorsa.* Subsequitur ARNOBIUS Junior, probe discernendus ab altero ARNOBIO Seniore, egregio Christianæ Religionis adversus Paganos Apologista, qui in commentario in Psalm. 108. scribit : „ Dilexit maledictio-„ nem Adæ, quæ per Christum aufertur, „ & veniet ei : & noluit benedictionem, „ quæ per Christum affertur, & utique „ elongabitur ab eo. Nota, ex arbitrio „ advenisse ut nollet, propter hæresin „ quæ dicit, Deum alios prædestinasse ad „ benedictionem, alios ad maledictionem. „ Item in Psalm. 117. „ Nunc forte audiat „ me prædestinationem docens, & arbi-„ trium hominum infringens, putet me „ libertatem arbitrii ita excludere, ut pec-„ cantes existimem Dei abjectione pecca-„ re. „ Et in Psam. 147. „ Objicitur „ huic loco, nos hoc ita dicere, ut vi-„ deamur hominis voluntatem ostendere, „ quod Dei gratiam antecedat. Vigilanter „ age, & non calumniose, & vides gra-„ tiam Dei generalem super omne huma-„ num effusam genus. Omnes antecedit „ gratia multiplici largitate diffusa. De-„ scendit de cœlo Deus homine non vo-„ lente, docuit exemplo & verbo homine „ non rogante, signa multa & virtutes „ ad se manifestandum exercuit homine

„ etiam

„ etiam prohibente. Mortalitatem noſtram „ ſuſcepit homine ignorante, irriſus, cru- „ cifixus, inter homicidas mortuus, ſe- „ pultus, reſurrexit, & in cœlos aſcendit. „ Hæc omnia ad hominis ſalutem, ad ho- „ minis liberationem, ad hominis redem- „ ptionem, ad hominis coronam, ad ho- „ minis gloriam exercuit Chriſtus. Nota „ tibi, calumnioſe, quod dico, ad homi- „ nis ſalutem, non volentis, neque cur- „ rentis. Quid eſt ergo quod egimus? „ oſtendimus tibi antecedentem gratiam „ Dei generalem omnium hominum bo- „ nam voluntatem. Nota tibi, PRÆDESTI- „ NATE, quod loquor. Omnem generali- „ ter bonam voluntatem Chriſti gratia „ hoc ordine quo dixi antecedit, ſi tamen „ pro omnibus natus, ſi tamen pro om- „ nibus paſſus, ſi non negas pro omni- „ bus mortuum, ſi cum Apoſtolo aſſeris, „ quod *omnes homines vult ſalvos fieri.* „ Age nunc, tolle te a generali gratia, „ ad ſpecialem accede, & ſimiliter cum „ Apoſtolo clama, non omnis generaliter „ homo ſalvus erit, ſed *omnis homo qui- „ cunque invocaverit nomen Domini, hic ſal- „ vus erit.* Vade ergo ad officinam Me- „ dici, qui ultro venit ad civitatem no- „ ſtram, non utique nobis rogantibus, „ omnibus nobis medicus ſupervenit, of- „ ficinam aperuit, & vocem emiſit, qua „ ac ſi Præco exclamans dixit: *Venite ad „ me omnes.* Jam modo poſt hanc vocem

„ antecedit voluntas gratiam. *Si enim vo-*
„ *lueritis*, inquit, *& audieritis me, quæ*
„ *bona ſunt terræ edetis; ſi autem nolueritis,*
„ *gladius vos comedet.* Sicut ergo ante-
„ ceſſit gratia voluntatem hominis in o-
„ ſtenſione ſui, & in adapertione verita-
„ tis, ita antecedit voluntas hominis gra-
„ tiam Dei. Non enim prius baptizaris,
„ & ſic velle incipis credere, ſed prius
„ voluntatem tuam perfectam exhibes Sa-
„ cerdoti, & confeſſionem tuam tuis labiis
„ pandis, & ita demum ad Dei gratiam
„ ut conſequaris attinges. Quam conſe-
„ cutus confiteberis, quia omnia Dei do-
„ na credendo & deſiderando conſecutus
„ es. „ Hactenus ARNOBIUS, quem ex Pelagii & Maſſilienſium ſchola prodire, & nonniſi gratiam externam, in Lege atque doctrina repoſitam, ac initium ſalutis e libero credulitatis affectu profiteri, loquela ſatis manifeſtum facit.

6 FAUSTUS, de quo ſupra (n. 3.) ejusdem hæreſeos, in perſona LUCIDI Presbyteri ab Arelatenſi Synodo condemnatæ, meminit in præfatione operis *de gratia Dei & libero arbitrio*, quod ad Prædeſtinatianos confutandos Leontii Arelatenſis Epiſcopi, & Synodi Lugdunenſis juſſu compoſuiſſe ſe dicit, cujus hæc eſt inſcriptio in Bibliotheca PP. Tom. IV. pag. 799. edit. Pariſ. de an. 1610. „ Profeſſio
„ fidei contra eos, qui dum per ſolam

„ Dei voluntatem alios dicunt ad vitam „ attrahi, alios in mortem deprimi, hinc „ factum cum Gnosticis asserunt, inde li- „ berum arbitrium cum Manichæis ne- „ gant. „ In ipsa autem ad Leontium epistola, operi præfixa ita eundem alloquitur: „ Quod pro solicitudine pastorali „ beate Papa Leonti, in condemnando „ prædestinationis errore Concilium sum- „ morum Antistitum congregastis, univer- „ sis Galliarum Ecclesiis præstitistis. „ Sic denique concludit. „ In quo quidem „ opusculo, post Arelatensis Concilii sub- „ scriptionem, novis erroribus deprehen- „ sis, adjici aliqua Synodus Lugdunensis „ exegit. „ Quid de utroque isto Concilio, cujus præter Faustum nemo unquam meminit, censeam, suo loco patefaciam.

Hic solum superaddo quorumdam prædicti operis inscriptiones capitum, ceu totidem Prædestinatianis imputatos errores.

I. Dicunt, quia per solam gratiam omnis homo sine ullo labore salvetur. Lib. I. cap. 3.

II. Dicendo, unus ad mortem præordinatus, alter ad vitam prædestinatus est, rebus ipsis spem intercludunt orando. I. 4.

III.

III. Dicunt, liberum arbitrium ex toto fuiſſe ſublatum. I. 8.

IV. Dicunt, ad malum tantum liberum arbitrium promptum eſſe, ad bonum prorſus non poſſe. I. 11.

V. Dicunt, quod vas in contumeliam non poſſit aſſurgere ut ſit vas in honorem. I. 12.

VI. Dicunt, eos qui poſt Baptismum pereunt, in Baptismum penitus non credidiſſe. I. 15.

VII. Dicunt, Chriſtum non pro omnibus mortuum. I. 16.

VIII. Dicunt, quia Dei violentia induret hominem, ne venire valeat ad ſalutem. I. 18.

IX. Dicunt, homines Dei voluntate impelluntur. I. 19.

X. Quod aliud non ſit præſcientia & prædeſtinatio. II. 3.

XI. Dicunt, in iſtos miſericors eſt, quos adquirit, in illos juſtus, quos reliquit. II. 4.

XII. Dicunt, non tam voluit quam non potuit ſalvus eſſe qui periit. II. 5.

XIII. Dicunt, quia ante gratiæ tempus agnitio unius Dei gentibus conceſſa non fuerit. II. 9.

Gennadius, Maſſilienſis Presbyter, qui 7
auctor eſſe creditur appendicis ad catalogum Hieronymianum de hæreſibus, Prædeſtinatorum errores paullo aliter quam Faustus (n. 3.) & Lucidus (n. 4.) deſcribit. „ Prædeſtinatiani ſunt, inquit,
„ qui dicunt I. quod Deus non omnes
„ homines ad hoc creavit, ut omnes ſal-
„ ventur, ſed ut multitudine hominum
„ ornetur mundus. II. Quod etſi genera-
„ li prædicatione dicat, *venite ad me om-*
„ *nes qui laboratis & onerati eſtis, & ego*
„ *reficiam vos*: non tamen omnes ea
„ voluntate vocet, ut omnes ſequantur
„ vocantem. III. Sed nec omnes, qui
„ ipſo inſpirante obediunt vocationi, di-
„ cuntur accipere exequendi in bono o-
„ pere perſeverantiam, ſed poſt multos
„ labores & Juſtitiæ fructus, ſi non ſunt
„ de ſalvandorum numero, ſubtrahendas
„ eis vires agendi, ne perdurent in bono.
„ IV. Et econtra illos, qui deſtinati ſunt
„ ad vitam æternam, etiamſi in perfidia vel in
„ omni genere peccati longo tempore vo-
„ lutentur, accepturos occaſionem, qua
„ &

„ & credant in Deum, & ſecundum Dei „ præceptum vivant, ut poſſideant ſocie„ tatem Juſtorum: V. Tali definitione id „ docere ſtudent, quod Deus perſonas „ hominum accipiat. VI. Quod alios „ etiam invitos poſt multa mala opera at„ trahat ad ſalutem, alios poſt bona ope„ ra rejiciat, & compellat in malum, quo „ pereant in æternum. „

8 Ad finem ſæculi VIII. aut initium IX. ſub Adriano I. R. P. & Carolo M. hujusmodi Prædeſtinatorum errores exortos, aut a Priſcillianiſtis traductos fuiſſe, colligi poſſe videtur ex epiſtola ejusdem Pontificis ad Ærgilum ſeu Joannem Presbyterum, quæ in codice Carolino eſt n. 96, ubi hæc leguntur: „ Illud autem quod „ alii ex ipſis dicunt, quod prædeſtinatio „ ad vitam ſive ad mortem in Dei ſit po„ teſtate. Alii iterum dicunt: ut quid „ rogamus Deum, ne vincamur tentatio„ ne, quod in noſtra eſt poteſtate quaſi „ liberi arbitrii? „ In alia epiſtola ejusdem Adriani omnibus orthodoxis Epiſcopis per Spaniam commorantibus directa, in codice Carolino n. 97. paria leguntur. „ Illud quod alii ex ipſis dicunt, quod „ prædeſtinatio ad vitam ſive ad mortem „ in Dei ſit poteſtate & non in noſtra. „ Iſti dicunt: ut quid conamur vivere, „ quod in Dei ſit poteſtate? Alii iterum „ dicunt: ut quid rogamus Deum, ne

„ vin-

„ vincamur tentatione, quod in noſtra eſt „ poteſtate quaſi liberi arbitrii? „ His ita contendentibus opponit Pontifex fragmentum quoddam S. FULGENTII, infra ſuo loco proferendum, unde haud obſcure patebit, quanam ex officina prodierint imputati Prædeſtinatianis errores.

Eodem ſæculo IX. medio novæ de Prædeſtinatione exortæ ſunt lites occaſione GOTESCHALCI, Monachi Benedictini in Monaſterio Orbacenſi, quem RABANUS Moguntinus, & HINCMARUS Rhemenſes Archi-Epiſcopi, veteres Prædeſtinatorum errores inſtauraſſe inſimulabant. Si Jacobo SIRMONDO fidem adhibere quis velit, in ipſis HINCMARI manibus fuit libellus ille PRÆDESTINATI (n. 2.) commemoratus, quem tamen nono ſæculo confictum fuiſſe arbitratur AVVRÆUS (Aubry) Doctor Sorbonicus, in *cenſura Prædeſtinati* pag. m. 58. Quidquid autem hujus rei ſit, veterum Prædeſtinatianorum errores his verbis perſcripſit HINCMARUS in epiſtola ad NICOLAUM I. apud FLODOARDUM Hiſtor. Eccleſiæ Remenſis Lib. III. cap. 14. pag. 372. edit. Duacenſis de anno 1617. „ Si „ veſtra catholica Sapientia vult ſcire, „ quæ contra Catholicam fidem ex „ veteri hæreſi Prædeſtinatiana (quæ pri- „ mum in Africa, poſtea in Galliis per „ idem tempus, quando & Neſtoriana „ hæreſis eſt exorta, & tempore Cœleſti- 9

„ ni

„ ni Papæ, ipſius auctoritate & inſtantia „ S. Proſperi eſt revicta) dicere videatur „ (Goteſchalcus) de multis pauca vo„ bis numero, ſed non pondere, capitu„ latim ſignificamus.

Dicit I., quod & veteres Prædeſtinatia„ ni dixerunt, quoniam ſicut Deus quos„ dam ad vitam æternam, ita quosdam „ prædeſtinavit ad mortem æternam. Di„ cit II. quod & veteres Prædeſtinatiani „ dixerunt, quoniam non vult Deus om„ nes homines ſalvos fieri, ſed tantum eos „ qui ſalvantur. Omnes autem ſalvari, „ quos ipſe ſalvari voluerit, ac per hoc „ quicunque non ſalvantur, penitus non „ eſſe voluntatis illius, ut ſalventur, quo„ niam ſi non omnes ſalvantur, quos vult „ Deus ſalvos fieri, non omnia quæcun„ que voluit fecit, & ſi vult quod non „ poteſt, non omnipotens, ſed infirmus „ eſt. Eſt autem omnipotens, qui fecit „ quæcunque voluit, dicente ſcriptura, „ *omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in* „ *cælo & in terra, in mari & in omnibus* „ *abyſſis.* Et item: *in voluntate tua Domi*„ *ne cuncta ſunt poſita; & non eſt qui tuæ* „ *poſſit reſiſtere voluntati: ſi decreveris ſal*„ *vare nos, continuo liberabimur.* Eſther 13. „ Dicit III. quod & Veteres Prædeſtina„ tiani dixerunt, quod non pro totius „ mundi redemptione, id eſt, pro om„ nium hominum ſalute & redemptione

„ Do-

„ Dominus & Salvator noſter Jeſus Chri-
„ ſtus ſit crucifixus & mortuus, ſed tan-
„ tum pro his qui ſalvantur. IV. Dicit
„ quoquomodo diſpari traditione, ſed pa-
„ ri errore, quod & veteres prædeſtina-
„ tiani dixerunt, exponens ſententiam A-
„ poſtoli Petri 2. Petri II. Eum qui emit
„ eos, Dominum negantes. Baptismi,
„ inquit, ſacramento eos emit, non tamen
„ pro iis crucem ſubiit, neque mortem
„ pertulit, neque ſanguinem fudit. Quod
„ autem Baptismi perceptio redemptio
„ nuncupatur, Doctor Gentium manife-
„ ſte fatetur Epheſ. IV. *Nolite contriſta-*
„ *re*, inquit, *Spiritum Sanctum Dei, in quo*
„ *ſignati eſtis, in die redemptionis.* At illa,
„ quæ propria & ſpecialis eſt ſolorum
„ omnium electorum, quam eis tantum-
„ modo crucifixus impertivit pius redem-
„ ptor ipſorum, ſicut a præteritis, ita ni-
„ mirum & a præſentibus natos, & na-
„ ſcituros, vivos & mortuos, videlicet
„ omnes pariter electos, redemit, eruit,
„ abluitque peccatis &c. „ Hæc de Præ-
deſtinatianis & GOTESCHALCO HINCMA-
RUS.

Adverſus mox dictum GOTESCHALCUM 10
HINCMARI juſſu calamum acuit JOANNES
ERIGENA, Scotus, in aula CAROLI CALVI
celebris Philoſophus, & linguæ græcæ
non imperitus, in ſacris autem litteris ho-
ſpes, plurimorumque errorum reus. Hic

vero Lib. I. contra Goteſchalcum cap. 4. de Prædeſtinatiana, ſeu Goteſchalcana hæreſi hunc in modum ſcribit: „ Hæc igi„ tur hæreſis Goteſchalcana, ſi tali no„ mine poteſt vocari, inter duas hæreſes „ ſibi inivicem adverſantes medietatis lo„ co conſtituta eſt. Inter illam plane quæ „ dicitur Pelagiana, & illam quæ ei re„ pugnat. Quarum una dono divinæ gra„ tiæ derogat, altera libertatem arbitrii „ condemnat. Pelagiana ſiquidem ſecta „ libertatem arbitrii rationalis naturæ tan„ tum commendat, ut ſine dono gratiæ „ ad perficiendam hominis Juſtitiam ſuf„ ficiat. Ejus vero ſecta contraria gratui„ tæ gratiæ donum confirmat, ut ea ſo„ la in homine operante, omni conatu „ liberi arbitrii contempto, omnis fidelis „ faſtigium Juſtitiæ contingat. „ Quam iſte Philoſophus contra GOTESCHALCUM feliciter pugnaverit, imo quantos ipſe in errores fuerit prolapſus, & aliunde notum eſt, & infra aliquatenus apparebit.

II Agmen Teſtium pro Prædeſtinatiana hæreſi claudat SIGEBERTUS Gemblacenſis in Chronico ad an. 414. ubi iſta reliquit memoriæ. „ Prædeſtinatorum hæreſis in „ hoc tempore cœpit ſerpere, qui ideo „ prædeſtinati vocantur, quia de præde„ ſtinatione & divina gratia diſputantes „ aſſerebant, quod nec pie viventibus pro-

„ ſit

„ sit bonorum operum labor, si a Deo ad „ mortem prædestinati fuerint: nec impiis „ obsit quod improbe vivant, si a Deo „ prædestinati fuerint ad vitam. Quæ as- „ sertio & bonos a bonis avocabat, & „ malos ad mala provocabat. Hæc hæ- „ resis ex Libris Agustini male intellectis „ initium sumpsisse dicitur. „ Istos, quos hactenus recensui, ex omni antiquitate invenire potui testes, qui Prædestinatianæ hæreseos mentionem fecerunt. Sunt præterea e Recentioribus multi, qui Hæreseos istius exordium apud Adrumetinos in Africa Monachos post HINCMARUM Remensem quærunt, ejusque incrementa in Gallia se deprehendisse arbitrantur: de quo nunc disquirendum.

§. II.

An Prædestinatiana hæresis suum in Africa exordium sumserit?

Ita quidem plerique existimant, qui ex 12
male intellecta S. AUGUSTINI de prædestinatione doctrina, in oppositum PELAGIO scopulum non nullos incidisse, & Calvinianam hæresin præformasse contendunt. Ut hac de re facilius judicare valeat Lector, brevem controversiæ Pelagianæ, cui totum robur AUGUSTINUS opposuit, quantum huc pertinet, synopsin præmittere, opportunum duxi. Pelagius patria Bri-

tannus, inſtituto Monachus illorum de numero, qui non in cœnobio, vel in eremo, ſed privatis in ædibus religioſæ vitæ operam dabant, circa ſæculi V. initium acerrimis de divina gratia & libero arbitrio diſceptationibus fomitem præbuit. Socium habuit COELESTIUM, natura evnuchum, Magiſtrum uterque audiit RUFINUM, ORIGENIS errores ab eodem doctus, quos in Oriente paſſim & Occidente ſparſit, editisque libris ac epiſtolis propugnavit, adjutus etiam acutiſſimi ingenii Viro JULIANO Eclanenſi Epiſcopo, ex AUGUSTINI adverſus eundem conſcriptis libris celeberrimo. Præcipuos illius errores in DIOSPOLITANO Palæſtinæ Concilio ann. 415. eidem objectos hiſce commemorat S. AUGUSTINUS libro de Geſtis Palæſtinis cap. 36. „ Hæc ſunt, quibus hæreſis illius dumeta quotidie pullulare, imo jam ſilveſcere dolebamus. I. Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet. II. Quod peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum. III. Quod Lex ſic mittat in regnum quemadmodum & Evangelium. IV. Quod infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem. V. Quod neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgat. VI. Quod

„ infan-

„ infantes etſi non baptizentur, habent „ vitam æternam. VII. Quod divites baptizati niſi omnibus abrenuntient, ſiquid boni viſi fuerint facere, non eis „ reputetur, neque regnum Dei poſſint „ habere. VIII. Quod gratia Dei & adjutorium non ad ſingulos actus detur, „ ſed in libero arbitrio ſit & in Lege atque „ doctrina. IX. Quod Dei gratia ſecundum merita noſtra detur, & propterea „ ipſa gratia in hominis ſit poſita voluntate, ſive dignus fiat, ſive indignus. „ X. Quod filii Dei non poſſint vocari niſi „ omnino absque peccato fuerunt affecti. „ XI. Quod oblivio & ignorantia non ſubjaceat peccato, quoniam non eveniant „ ſecundum voluntatem, ſed ſecundum „ neceſſitatem. XII. Quod non ſit liberum arbitrium ſi indigeat auxilio Dei, „ quoniam propriam voluntatem habeat „ unusquisque aut facere aliquid aut non „ facere. XIII. Quod victoria noſtra ex „ Dei non ſit adjutorio, ſed ex libero „ arbitrio. XIV. Quod ex illo quod ait „ Petrus divinæ nos eſſe conſortes naturæ, „ conſequens ſit; ut ita poſſit eſſe anima „ ſine peccato quemadmodum Deus. XV. „ Quod pœnitentibus venia non detur ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, „ ſed ſecundum meritum & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia. Hæc omnia ſua negantem & anathematizantem Pelagium

„ Judices approbaverunt, & ideo pronuntiaverunt eum contraria ecclesiasticæ fidei approbando & anathematizando damnasse. „ Observat autem S. AUGUSTINUS, PELAGIUM subdolis suis responsis Concilio fucum fecisse, nec veram gratiam fuisse confessum, sed gratiæ nomine naturalem liberi arbitrii facultatem, quæ beneficium esset Dei conditoris, Doctrinam, & exempla Christi atque Sanctorum intellexisse, ut patet ex toto libro S. Augustini *de gratia Christi*, *de natura & gratia*, aliisque.

13 Ut igitur Britanni hujus colubri, quo nomine PELAGIUM S. PROSPER indigitat, volubilis astus penitius introspiciatur, triplex istius hæreseos status probe distinguendus est. In *primo* quidem humani arbitrii libertatem, nullo, ut contendebat, peccato sauciatam in tantum prædicabat, ut nulla adjutum gratia cuncta posset servare mandata, & omnimodam adquirere perfectionem: aut si quando *gratiam* commendabat, hoc nomine ipsam naturalem bene agendi facultatem intelligebat. Id constat e S. AUGUSTINO, qui Lib. de hæres. cap. 88. de Pelagianis scribit: „ Dei gratiæ in tantum inimici fuerunt, ut sine hac posse hominem crederent facere omnia divina mandata. „ Et ex epistola Synodica Concilii CARTHAGINENSIS ad INNOCENTIUM I. „ Isti autem asserunt, in eo gratiam Dei deputandam, quod

„ talem hominis inſtituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei poſſet implere, ſive naturaliter in corde conſcriptam, ſive in Litteris datam. „ In *altero* ſtatu præter naturalem illam liberi arbitrii facultatem aliam profitebatur gratiam, in Lege atque doctrina repoſitam, qua illuſtratus homo quid agendum eſſet ſciret, libera autem facultate exequeretur. Id denuo conſtat e S. Augustino lib. de gratia Chriſti cap. 13. „ Gratiam Dei & adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & in libero ponit arbitrio, aut in Lege atque doctrina, ut videlicet cum adjuvat Deus hominem, ut declinet a malo & faciat bonum, revelando & oſtendendo quid fieri debeat, adjuvare credatur, non etiam cooperando, & dilectionem inſpirando, ut id quod faciendum eſſe cognoverit, faciat. „ Imo Pelagius ipſe quam gratiam admittat, apud S. Augustinum lib. de gratia Chriſti cap. 7. his verbis exponit: „ Quam nos non, ut tu putas in Lege tantummodo, ſed & in adjutorio eſſe confitemur. Adjuvat enim nos Deus per doctrinam & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœleſtis illuminat. „ Solam igitur *illu-*

ſtrationis gratiam ad facilius operandum in ſecundo ſtatu admiſit, quod ex alio ejusdem AUGUSTINI teſtimonio cap. 88. de hæreſ. patet. „ A fratribus, inquit, increpatus, quod nihil tribueret gratiæ Dei
„ ad ejus mandata facienda, correptioni
„ eorum hactenus ceſſit, ut non eam li-
„ bero arbitrio præponeret, ſed infideli
„ calliditate ſupponeret, dicens, ad hoc
„ eam dari hominibus, ut quæ facere per
„ liberum jubentur arbitrium, *facilius* poſ-
„ ſent implere per gratiam, dicendo uti-
„ que, ut *facilius* poſſent, voluit credi,
„ etiamſi difficilius, tamen poſſe homines
„ ſine gratia divina facere juſſa. Illam ve-
„ ro gratiam Dei, ſine qua nihil boni
„ poſſumus facere, non eſſe dicunt niſi
„ in libero arbitrio, quod nullis ſuis præ-
„ cedentibus meritis ab illo accepit noſtra
„ natura, ad hoc ipſo tantum adjuvante
„ per ſuam legem atque doctrinam, ut
„ diſcamus, quæ facere, & quæ ſperare
„ debeamus; non autem ad hoc per do-
„ num ſpiritus Sancti, ut quæ didiceri-
„ mus eſſe facienda, faciamus. Ac per hoc
„ divinitus dari nobis ſcientiam confiten-
„ tur, qua ignorantia pellitur, charitatem
„ autem dari negant, qua pie vivitur. „
Denique & gratiam, quæ voluntatem adjuvet, PELAGIUS admiſiſſe videtur, ſed denuo non niſi ad *facilius* operandum; eo autem adigi nunquam potuit, ut eam gratiam, quæ dilectionem bene operandi inſpirat,

ſpirat, neceſſariam fateretur, qui *tertius* dici poteſt Pelagianæ hæreſeos ſtatus. Prius colligitur ex iſtis S. AUGUSTINI verbis lib. de grat. Chriſt. cap. 26. „ Ac „ per hoc gratiam Dei, qua charitas Dei „ diffunditur in cordibus noſtris per ſpi„ ritum S. qui datus eſt nobis, ſic con„ fiteatur, ut omnino nihil boni ſine illa, „ quod ad pietatem pertinet veramque ju„ ſtitiam, fieri poſſe non dubitet. Non „ quomodo iſte, qui cum dicit, propterea „ dari gratiam, ut quod a Deo præcipi„ tur, facilius impleatur, quid de illa „ ſentiat ſatis oſtendit, ſcilicet, quod „ etiam ſine illa (gratia dilectionis) etſi „ minus facile, fieri tamen quod divini„ tus præcipitur, poteſt. „ Admiſit itaque aliquam gratiam, quæ voluntatem ad *facilius* operandum juvaret. Quod vero *abſolutam* hujus neceſſitatem ad ſingula pietatis opera nunquam agnoverit, ex toto ejus ſyſtemate colligitur, quod in duobus principiis, ceu binis quibusdam cardinibus vertebatur, aſſerens, *gratiam ſecundum merita noſtra dari,* & *non ad ſingulos actus dari.* Hinc de illo ſcribit S. AUGUSTINUS eodem Lib. cap. 36. „ An credat aliquod adju„ torium bene agendi adjunctum naturæ „ atque doctrinæ per inſpirationem fla„ grantiſſimæ, & luminoſiſſimæ charitatis, „ non apparet omnino. „ Et cap. 47. „ Sed quia iſta quæſtio, ubi de arbitrio „ voluntatis & Dei gratia diſputatur, ita

„ eſt ad diſcernendum difficilis, ut quan„ do defenditur liberum arbitrium, nega„ ri Dei gratia videatur, quando autem „ aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium „ putetur auferri. Poteſt Pelagius ita ſe „ latebris obſcuritatis hujus involvere . . . „ Quapropter quantum attinet ad iſtam „ de divina gratia & adjutorio quæſtio„ nem, tria illa, quæ apertiſſime diſtinxit, „ attendite: *poſſe*, *velle*, *eſſe*, id eſt poſ„ ſibilitatem, voluntatem, actionem. Si „ ergo conſenſerit nobis, non ſolam poſ„ ſibilitatem in homine, etiamſi nec velit, „ nec agat bene, ſed ipſam quoque volun„ tatem & actionem, id eſt, ut bene ve„ limus, & bene agamus, quæ non ſunt „ in homine, niſi quando bene vult & „ bene agit: ſi, ut dixi, conſenſerit, „ etiam ipſam voluntatem & actionem di„ vinitus adjuvari, ut ſine illo adjutorio „ nihil bene velimus & agamus, eamque „ eſſe gratiam Dei per Jeſum Chriſtum . . . „ nihil de adjutorio Dei, quantum arbi„ tror, inter nos controverſiæ relinque„ tur. „

14 Has inter cum Pelagianis controverſias inſignem S. AUGUSTINUS epiſtolam exaravit ad SIXTUM tunc Eccleſiæ Romanæ Presbyterum, poſtea ejusdem ſummæ ſedis Antiſtitem, ubi ita gratiæ merita noſtra prævenientis neceſſitatem commendabat, ut ſimul confutaret adverſantium querelas, qui

qui perſonarum acceptorem fore Deum exiſtimabant, ſi credant, quod ſine ullis præcedentibus meritis cujus vult miſeretur, & quos dignatur vocat, & quem vult religioſum, facit, inſuper injuſtum eſſe, in una eademque mala cauſa hunc liberari, illum puniri, quæ erant ipſorum verba cap. 2. hujus Epiſtolæ. Hæc ubi primum Adrumetini in Africa Monaſterii Monachis per Florum innotuit, haud rite a non nullis intellecta, diſſenſionibus quibusdam anſam præbuit. Duo igitur Cœnobitæ ad Augustinum, rectam epiſtolæ illius intelligentiam ab eodem exploraturi abierunt, referentes, „ monaſterium „ eorum nonnulla diſſenſione turbatum, „ eoquod quidam eorum ſic gratiam præ„ dicent, ut negent hominis eſſe liberum „ arbitrium, & quod eſt gravius, dicant, „ quod in die Judicii non ſit redditurus „ Deus unicuique ſecundum opera ſua. „ Ita ex illorum ore ſcribit S. Augustinus epiſt. I. ad Valentinum illius monaſterii Abbatem. Atque ex iſtis verbis inferunt Sirmondus, aliique, prima Prædeſtinatianæ hæreſeos incunabula in iſto Africæ monaſterio jacta, & ab Augustino impugnata fuiſſe, de quo nunc paulo curatius inquirendum.

Atque iſtud quidem in dubium nulla 15
ratione vocari poteſt, occaſione Doctrinæ de gratia, a S. Augustino adverſus Pelagianos

gianos ejusdem inimicos ſtrenue defenſa, quasdam in dicto monaſterio contentiones fuiſſe exortas; atvero Cœnobitas aliquos prædeſtinatianos errores præformaſſe, liberumque arbitrium gratia neceſſitante extinctum crediſſe, a vero prorſus alienum exiſtimo, eorumque ſententiæ lubens ſubſcribo, qui aſſerunt Semipelagianæ hæreſeos initia, licet ab AUGUSTINO in ortu ſuo ſubpreſſa, quæ latius deinceps in Gallia diſſeminata fuerunt, apud Africanos illos monachos cœpiſſe. Ut iſtud perſuadeam, haud alio opus eſſe cenſeo, quam ut ſcopum libri de gratia & libero arbitrio, quem ad ſopiendas Adrumetinorum diſſenſiones S. AUGUSTINUS ſcripſit, ob oculos ponam, ut inde facilius de ipſa controverſia judicium ferri queat. Porro ſcopum illum his verbis delineat ipſe magnus Scriptor Lib. II. Retractat cap. 66. „ Propter eos, qui cum defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, aſſerentes eam ſecundum merita noſtra dari; ſcripſi librum, cujus titulus eſt, *de gratia & libero arbitrio.* Ad eos autem ſcripſi monachos Adrumetinos, in quorum monaſterio de hac re cœperat eſſe contentio, ita ut me conſulere aliqui eorum cogerentur. „ De quorum, rogo, illi numero cenſendi ſunt, qui ſic defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam,

(ad ſingula opera neceſſariam) aſſerentes eam ſecundum merita noſtra dari? Nonne Pelagiano in luto hærent ; ut ne per ſomnium quidem Prædeſtinatiani errores argui valeant? Quis neſcit, Prædeſtinatianos, ſi qui unquam ante Calvinum exſtiterunt, omnia tribuiſſe gratiæ prævenienti, nihil arbitrio libero : Pelagianos autem omnia, Semipelagianos ſaltem initium fidei & naturalem credulitatis affectum libero arbitrio, non vero gratiæ adſcripſiſſe? igitur qui ſic defendebant liberum arbitrium, ut negarent Dei gratiam, aſſerentes eam ſecundum merita noſtra dari, non Prædeſtinatianum ſed Semipelagianorum fovebant errorem. Nempe cum in epiſtola AUGUSTINI ad SIXTUM ſummam gratiæ noſtra merita prævenientis neceſſitatem legiſſent Adrumetini cœnobitæ, ſiniſtram ex hac doctrina ſequelam nonnulli deducentes, *putabant liberum arbitrium negari, dum gratia defenditur.* Non illi negabant, ſed *putabant* ab AUGUSTINO negari, quod plane fuiſſet erroneum. Ut igitur ab iſta ſequela quam longiſſime diſtarent, ſic ipſi defendendum judicabant liberum arbitrium, ut negarent Dei gratiam omnia noſtra opera prævenientem : & ita plane incidebant in ſcyllam Semipelagianorum, dum cupiebant vitare charybdin Prædeſtinatianorum, in quam erronee *putabant* AUGUSTINUM incidiſſe. Porro Monachos illos S. AUGUSTINI doctrina de gra-

tia

tia commotos, eadem ſenſiſſe cum Maſſilienſibus, quos nemo neſcit Semipelagianos fuiſſe, & a Prædeſtinatianis utroque polo remotos, teſtem habemus ampliſſimum S. PROSPERUM Aquitanum, qui Pelagianorum reliquias in Galliis primus dedetexit, & ad AUGUSTINUM perſcripſit data ad eundem epiſtola, ubi n. 2. ita loquitur: „ Multi ergo ſervorum Chriſti, „ qui in Maſſilienſi urbe conſiſtunt, in „ Sanctitatis tuæ ſcriptis, quæ adverſus „ Pelagianos hæreticos condidiſti, con„ trarium putant Patrum opinioni, & Ec„ cleſiaſtico ſenſui, quicquid in eis de „ vocatione electorum *ſecundum Dei pro„ poſitum* diſputaſti. Et cum aliquamdiu „ tarditatem ſuam culpare maluerint, quam „ non intellecta reprehendere, quidamque „ eorum lucidiorem ſuper hoc atque aper„ tiorem beatitudinis tuæ expoſitionem vo„ luerint poſtulare; evenit ex diſpoſitio„ ne miſericordiæ Dei, ut cum quoſdam „ intra Africam (in Adrumetino Mo„ naſterio) ſimilia moviſſent, librum *de* „ *correptione & gratia*, plenum divinæ „ auctoritatis emitteres. „ Hic ipſe autem liber *de correptione & gratia* ad monachos Adrumetinos exaratus, gratiæ neceſſitatem in tantum urget, ut Maſſilienſes plerique eodem perlecto, & arbitrio libero vim fieri metuentes, *averſiores, quam fuerunt* ab Auguſtino *receſſerint*, ut idem teſtatur PROSPER loc. cit. Non igitur a

Præ-

Prædeſtinatiano, ſed Pelagiano errore Adrumetinos avertere Auguſtinus intendit, &, quod conſequitur, Prædeſtinatiano errori illi minime præluſerunt.

Hactenus dictis non obſtant illa verba nunciorum Adrumetinorum, AUGUSTINO referentium (n. 14.) *quod quidam eorum* Adrumeti *ſic gratiam prædicent, ut negent hominis eſſe liberum arbitrium.* Iſtud enim ſimplicitati illorum tribuendum, qui in obſcura hac de gratia quæſtione nec Auguſtini nec Sodalium ſuorum mentem ſatis perſpectam habebant. Hinc & ipſe AUGUSTINUS tanquam iſti relationi non ſatis fidens, disjunctive loquitur cap. 1. libri de gratia & lib. arb. Adrumetinis directi. „ Sed quoniam ſunt quidam, qui ſic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis „ liberum arbitrium, *aut* quando gratia „ defenditur, *negari NB. exiſtiment liberum* „ *arbitrium.* „ Dubitabat igitur, an revera inter Adrumetinos aliqui liberum arbitrium negarent, ac potius judicavit, ſimpliciores quosdam *putare*, quod ex Auguſtinianæ gratiæ defenſione ſequela invidioſa trahatur, quaſi cum liberi arbitrii diſpendio gratiæ neceſſitas urgeretur. Ut igitur AUGUSTINUS de exorta recens controverſia ſecurius ferre judicium & litem valeret dirimere, ipſum FLORUM ejusdem Aſceterii monachum, cujus opera illa ad SIXTUM epiſtola Adrumetum prima pervenerunt, 16

nerunt, ad ſe mitti inſtanter poſtulavit,
data ad VALENTINUM ejus Abbatem epiſto-
la, in hæc verba: „ Melius autem facie-
tis; quod multum rogo, ſi ipſum (Flo-
„ rum) a quo dicunt ſe fuiſſe turbatos,
„ ad me mittere non gravemini; aut
„ enim non intelligit librum meum (epi-
„ ſtolam ad Sixtum) *aut forte ipſe non*
„ *intelligitur*, quando difficillimam quæſtio-
„ nem & paucis intelligibilem ſolvere at-
„ que enodare conatur. „ Præmiſerat pau-
lo ante: „ Proinde librum vel epiſtolam
„ meam (ad Sixtum) quam ſecum ad
„ nos ſupra dicti attulerunt, ſecundum
„ hanc fidem intelligite, ut neque negetis
„ Dei gratiam, neque liberum arbitrium
„ ſic defendatis, ut a Dei gratia ſepare-
„ tis, tanquam ſine illa vel cogitare ali-
„ quid vel agere ſecundum Deum ulla ra-
„ tione poſſimus, quod omnino non poſ-
„ ſumus. „ Si Adrumeti quidam tum tem-
poris exſtitiſſent Prædeſtinatiani erroris
fautores, tunc, ut acute obſervat Eminen-
tiſſimus Card. NORISIUS in Hiſtoria Pela-
giana Lib. II. cap. 15. non debuiſſet Au-
guſtinus dicere: *neque liberum arbitrium*
ſic defendatis, ſed potius: *neque negetis ar-*
bitrium liberum. Itaque Semipelagianum
potius errorem, quo laborare videbantur,
ab illis removere conabatur. Id quod aper-
tius colligitur ex ipſius VALENTINI Adru-
metini Abbatis ad AUGUSTINUM reſponſo,
ubi inter alia loquitur: „ Servi tui Flori

„ hæc

„ hæc fides eſt, Pater, non ſicut fratres „ iſti ſunt locuti: in præſentiarum ab il- „ lo audierunt dictum, non juxta merita „ noſtra dari donum pietatis, ſed per „ gratiam redemptoris. „ Et poſt pauca: „ Liberum arbitrium Dei gratia curatum „ non negamus, (quod falſo rumore for- „ te ſparſerant duo illi monachi ad Augu- „ ſtinum profecti) ſed per Chriſti quo- „ tidianam gratiam proficere credimus, & „ adjuvari confidimus. „ Nulli itaque tunc temporis Adrumeti Prædeſtinatiani degebant. Etſi autem S. Augustinus libro de gratia & libero arbitrio ad monachos illos perſcripto liberum homini ineſſe arbitrium toto cap. 2. multis SS. Litterarum teſtimoniis demonſtret, non eo fine feciſſe credendus eſt, quaſi Adrumetini illud pernegaſſent; ſed quod ancipiti relationi non ſatis fideret, duo ſibi in illo libro propoſuit: & liberum defendere arbitrium, illudque cum gratiæ neceſſitate componere; nam cap. 4. & ſequentibus, cavendum eſſe monet, ne in defenſione liberi arbitrii neceſſitati gratiæ detrahatur, & totam mentis aciem adverſus Pelagianos, non Prædeſtinatianos dirigit.

Priusquam ex Africa in Gallias vela fa- 17
ciam, paulisper adhuc Adrumeti ſubſiſtendum mihi eſſe videtur, ut quem exitum mota ibi controverſia habuerit, Lectori ob oculos ponam. Poſtquam ad monachos

illos AUGUSTINI liber *de gratia & libero arbitrio* pervenerat, ab iisque perlectus fuerat, datis ad eundem per FLORUM litteris VALENTINUS Abbas significat, se eadem cum AUGUSTINO, & de gratia ac libero arbitrio recte sentire. Ex ipso autem cum FLORO colloquio AUGUSTINUS quoque intellexit, eundem non ita, ut ab illis nuntiis fuerat delatus, Dei gratiam prædicare, ut liberum neget arbitrium, aut ita commendare arbitrium, ut tollat prævenientis gratiæ necessitatem. Hæc omnia constant e cap. I. libri *de correptione & gratia*, ubi hunc in modum VALENTINO & ejus Monachis rescribit: „ Lectis litteris vestris, „ Valentine frater, & qui simul servitis „ Deo, quas per fratrem Florum & eos, „ qui cum illo ad nos venerunt, misit „ caritas vestra, egi Deo gratias, quod „ vestram in Domino pacem, & in veri„ tate consensionem, & in caritate fla„ grantiam vestro nobis reddito sermone „ cognovi. „ Inde monet illos, ut eundem librum *de gratia & libero arbitrio* sæpius relegerent, ac totius fidei de hac quæstione summam his verbis exponit: „ Liberum itaque arbitrium & ad malum „ & ad bonum faciendum, confitendum „ est nos habere: sed in malo faciendo „ liber est quisque justitiæ servusque pec„ cati; in bono autem liber esse nullus „ potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui „ dixit: *Si vos filius liberaverit, tunc vere*

„ liberi

„ *liberi eritis.* Nec ita, ut cum quisque „ fuerit a peccati dominatione liberatus, „ jam non indigeat ſui liberatoris auxilio; „ ſed ita potius, ut ab illo audiens, *ſine* „ *me nihil poteſtis facere*, dicat ei & ipſe: „ *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me.* Hanc „ fidem, quæ ſine dubio vera & prophe- „ tica, & apoſtolica & catholica fides eſt, „ etiam in fratre noſtro Floro inveniſſe „ me gaudeo: unde hi potius corrigendi „ ſunt, quos quidem propitio Deo cor- „ rectos eſſe jam exiſtimo, qui eum non „ intelligebant. „ Quoniam igitur S. AUGUSTINUS in libro *de gratia & libero arbitrio* docuerat, bonum quod facimus, non e libero provenire arbitrio, ſed Deum in nobis illud operari per prævenientem gratiam, & facere ut facimus; hinc nova eidem a quibusdam Adrumetinis mota fuit quæſtio, opponentium: „ Ut quid „ nobis prædicatur atque præcipitur, ut „ declinemus a malo & faciamus bonum, „ ſi hoc nos non agimus, ſed id velle „ & operari Deus operatur in nobis? „ Ergo, inquiunt, præcipiant tantummodo „ nobis quid facere debeamus, qui nobis „ præſunt, & ut faciamus orent pro no- „ bis, non autem nos corripiant & ar- „ guant, ſi non fecerimus. Quomodo „ meo vitio non habetur, quod non ac- „ cepi ab illo, a quo niſi detur, non eſt „ omnino alius, unde tale ac tantum mu- „ nus habeatur? Præcipe mihi, quid fa-

„ ciam ; & si fecero, non ego corripiendus
„ sum, sed ille orandus est, ut det,
„ quod non dedit, id est, ipsam, qua
„ præcepta ejus fiunt, fidelem Dei &
„ proximi caritatem. Ora ergo pro me
„ ut hanc accipiam, & per hanc ex animo
„ cum bona voluntate, quæ præcipit
„ faciam. Recte ergo corriperer, si
„ eam mea culpa non haberem, hoc est,
„ si eam possem mihi dare, vel sumere
„ ipse, nec facerem, vel si dante illo accipere
„ noluissem. Cum ergo & ipsa
„ voluntas a Domino præparetur, cur me
„ corripis, quia vides me ejus præcepta
„ facere nolle, & non potius ipsum rogas,
„ ut in me operetur & velle? „
Ita illi querulabantur apud AUGUSTINUM lib. *de correptione & gratia*. cap. 2. 3. & 4. Quis hic non denuo videt, non a Prædestinatianis, hoc est, gratiæ efficacis defensoribus, sed a Pelagianis, utpote liberi arbitrii Patronis, ejusmodi querelas moveri potuisse? Non igitur Prædestinatiana, sed potius Semipelagiana hæresis suum apud Adrumetinos sumsit exordium. Isti autem murmuri S. AUGUSTINUS opposuit librum *de correptione & gratia*, ubi exposita primum catholica fide de Lege, de libero arbitrio, & de gratia, qua sola homines a malo liberari, & sine qua nullum eos operari bonum docet, quam juste & quam utiliter homines mali corripiantur atque puniantur, ostendit, licet Dei do-

num

num ſit tum velle & operari bonum, tum perſeverare in bono usque in finem. Explicat, quomodo Adam non perſeverando peccaverit, & quale fuerit ipſi datum a Deo adjutorium, tale nimirum, ſine quo non poſſet permanere, ſi vellet, non quo fieret, ut vellet, cum nobis per Chriſtum detur tale, non ſolum ſine quo permanere non poſſumus etiamſi velimus, verum etiam quo fiat, ut velimus. Præterea probat, Prædeſtinatorum numerum certum eſſe, ſed cum ignotum ſit quis ad eum pertineat, correptionem adhibendam eſſe omnibus peccantibus, ne vel ipſi pereant, vel alios perdant. Denique concludit, nec gratia prohiberi correptionem, nec correptione negari gratiam. Ex hac ipſa autem operis iſtius ichnographia palpabile efficitur, illo non Prædeſtinatianos impeti, ſed Semipelagianos, nimium metuentes arbitrio libero, dum talis prædicatur gratia, quæ ſine ullis præcedentibus meritis ipſum velle & perficere operatur in nobis.

§. III.

An Prædeſtinatiana hæreſis Auguſtini tempore, & poſt illius obitum in Galliis graſſata fuerit?

Non deſunt qui id affirmant. Namque 18
Auctor ille ſub PRÆDESTINATI nomine

a SIRMONDO editus (n. 2.) in præfatione ita loquitur de libello, quem ſub AUGUSTINI nomine a Prædeſtinatianis confictum fuiſſe aſſerit : „ Hunc librum ali„ quando ſibi (haud dubie a Proſpero) „ oblatum beatiſſimæ memoriæ ſummusPon„ tifex Cœleſtinus ita execrationi habuit, ut „ eum perpetuo juberet damnari ſilentio. „ Ex eodem fonte profluxiſſe videtur, quod ſæculo IX. ad NICOLAUM I. perſcripſit HINCMARUS Rhemenſis (n. 9.) Prædeſtinatianam hæreſin in Africa primum, poſtea in Galliis per idem tempus, quando & Neſtoriana hæreſis eſt exorta, & tempore Cœleſtini Papæ, ipſius auctoritate & inſtantia S. Proſperi fuiſſe revictam. Eosdem Prædeſtinatorum errores a quodam LUCIDO Presbytero propugnatos, ad inſtantiam tamen Conciliorum ARELATENSIS & LUGDUNENSIS ab eodem recantatas fuiſſe, teſtatur FAUSTUS Rhegienſis Epiſcopus (n. 3. 6.). aliique §. I. commemorati. Quanta porro Maſſilienſibus illis, doctis licet, probisque viris, Semipelagiana tamen fuligine tinctis, adhibenda ſit fides, ad examen nunc revocare & ordine inquirere lubet. I. An Maſſilienſes illi, quorum doctrina ad AUGUSTINUM primum, illo autem ad ſuperos translato, ad COELESTINUM I. R.P. per PROSPERUM & HILARIUM delata fuit, Prædeſtinatianos errores propugnaverint ? II. An S. PROSPER Aquitanus cum Prædeſtinatianis, an vero cum

Semi-

Semipelagianis dimicaverit? III. An Coelestinus Prædeſtinatianis, aut Semipelagianis ſilentium indixerit? IV. An ſaltem Lucidus Presbyter Prædeſtinatianorum errores foverit & Synodi Arelatensis atque Lugdunensis adverſus eos vere celebratæ fuerint? E quorum quidem reſolutione patebit, nullos ea ætate in Galliis Prædeſtinatianos exſtitiſſe, ſed Auguſtinianæ doctrinæ profeſſores invidioſo Prædeſtinatorum nomine a Semipelagianis traductos fuiſſe.

Quod itaque primum adtinet, incunctanter affirmo, Maſſilienſes illos, Cassianum intelligo, Faustum, Vincentium, Hilarium Arelatenſem, Prosperum tyronem, Arnobium Juniorem, Gennadium Maſſilienſem, & alios, quorum ſuſpectam doctrinam Prosper & Hilarius Augustino denuntiarunt, ac poſtea ad Coelestinum detulerunt, procul ab errore Prædeſtinatorum abfuiſſe, & Semipelagianam hæreſin in Eccleſiam invexiſſe: inde autem ſua ſponte conſequitur, nullum Prospero cum Prædeſtinatis, ſed cum Semipelagianis certamen fuiſſe. Quo iſtud facilius perſuadeam, Lectorem monitum velim, ut ante omnia utramque Prosperi & Hilarii ad Augustinum datam epiſtolam, ad calcem Tomi VI. mearum prælectionum reperiundam, evolvere non gravetur; Ibi enim integrum Semipelagianæ hæreſeos ſyſtema, quale a Maſſilienſibus Cassiano duce for- 19

matum fuit, clare delineatum inveniet, quod ut paucis dicam, huc redit. Tot S. AUGUSTINI adverſus Pelagianos editis voluminibus in tantum ab illorum errore receſſerant Maſſilienſes, ut ſecus ac Pelagius originale peccatum crederent, & gratiæ cum ad peccatorum remiſſionem, tum ad ſingula pietatis opera & inchoanda & perficienda neceſſitatem profiterentur. Poſtquam autem AUGUSTINI liber *de correptione & gratia* ad eorum notitiam pervenit, modum in illo excedi, gratiæ nimium, minus arbitrio libero tribui, a priorum Patrum Dogmatibus recedi, removeri omnem induſtriam, tolli virtutes, & ſub Prædeſtinationis nomine fatalem neceſſitatem induci, palam cauſſabantur. Quo igitur & a PELAGIO ſe diſcernerent, neque tamen ad novitiam AUGUSTINI, a Patribus minime tritam, uti criminabantur, ſemitam deflectere cogerentur, medium ſe deprehendiſſe arbitrantes dicebant I. utcunque homo ad ſingula pietatis opera Dei adjutorio indigeat, illud tamen præveniri naturali noſtro deſiderio & credulitatis affectu, quo medicum quærimus; ut adeo quicunque voluerit, & gratiam impetrare, & ſalvus eſſe poſſit. II. Gratiam ſecundum merita, ſive propter ipſum illud prævium deſiderium dari. III. Chriſtum pro omnibus hominibus *æqualiter* fuiſſe mortuum, & Deum *æque* omnes ſalvos fieri velle, ſi ipſi velint. IV. Gratiam omnibus

bus offerri, cui proprio arbitrio quisque pareat, vel eidem ſe ſubtrahat. V. Prædeſtinationem ad gratiam & gloriam non eſſe gratuitam, ſed illos ad fidem, juſtificationem, & ſalutem a Deo vocari, quos gratiæ per liberum arbitrium cooperaturos, alios autem ab ea excludi, quos eidem repugnaturos præviderat. VI. Parvulos quoque etiam ante uſum rationis hinc abreptos, ideo vel ad baptiſmi gratiam pervenire, vel eadem privari, quia eorum bona vel mala merita, quæ in adulta ætate habituri fuiſſent, ſcientia media Deus præviderat. VII. Prædeſtinatorum numerum determinatum haud eſſe, ſed & prædeſtinatum damnari, & reprobum ſalvari poſſe. VIII. Perſeverantiæ donum ſingulare non eſſe, ſed eam in cujuslibet poteſtate eſſe repoſitam. IX. Gratiam hujus ſtatus naturæ lapſæ in nullo ab illa differre, quam ante peccatum habuit Adamus. X. Oppoſitam his omnibus S. AUGUSTINI doctrinam, ſi etiam vera foret, ita tamen comparatam eſſe, ut ſine plebis offendiculo & deſperationis periculo, palam prædicari non poſſit. Atque hæc ſunt præcipua Maſſilienſium Dogmata, ſive ut S. PROSPER ait, *Pelagianæ pravitatis reliquiæ*, utroque, ut nemo non videt, polo a Prædeſtinatianis diverſa.

Hæc ubi primum Gallorum ſenſa a PRO- 20
SPERO & HILARIO per epiſtolas ad AUGU-

 STINUM

STINUM detecta fuerunt, gemino libro *de prædestinatione Sanctorum* & *de dono perseverantiæ* confutavit, & non modo a priore sua sententia nullatenus deflexit, sed novis eam argumentis in tantum communivit, ut hæc ipsa præprimis opuscula in occurrentibus de gratia quæstionibus consulenda & sequenda esse, Ecclesia hactenus judicaverit. Ita plane testantur Africani Episcopi in Sardinia exules epistola Synodica ad JOANNEM Venereum §. 13. „ Præ omnibus, inquiunt, studium gerite „ libros S. Augustini, quos ad Prospe„ rum & Hilarium scripsit, memoratis „ fratribus legendos ingerere. Quorum „ mentionem beatæ memoriæ Hormisdas „ Sedis Apostolicæ gloriosus Antistes in „ epistola, quam consulenti se sancto fra„ tri, consacerdotique nostro Possessori „ rescripsit, cum magno præconio catho„ licæ laudis inseruit, cujus hæc verba „ sunt: *De arbitrio tamen libero & gratia* „ *quid Romana, hoc est, Catholica sequatur* „ *& servet Ecclesia, licet in variis libris* „ *beati Augustini, & maxime ad Prosperum* „ *& Hilarium possit agnosci, tamen & in* „ *scriniis Ecclesiasticis expressa capitula con*„ *tinentur.* „ Porro utrumque librum vel obiter percurrenti manifestum fit, Sanctum istum gratiæ Doctorem eo nervos suos omnes intendere, ut Pelagianos errores ex animis Massiliensium evellat, & sequelas, quas e sua sententia fluere querebantur,

tur, ex parte veras, nec ullo modo incongruas, partim ſiniſtre affictas eſſe evincat. Primo enim capite libri *de prædeſtinatione Sanctorum* fratribus illis Maſſilienſibus congratulatur, in tantum eos a Pelagio receſſiſſe, ut & peccato originali omne hominum genus fuiſſe infectum, nec inde niſi gratia Chriſti liberari, & relictum ſibi ſoli liberum hominis arbitrium ad nullum opus bonum (ſalutare) vel incipiendum vel perficiendum ſibi ſufficere poſſe conſentiant. Optat autem, ut ulterius perveniant, & de ipſa etiam prædeſtinatione recte ſapere addiſcant. Oſtendit cap. 2. non ſolum incrementum, ſed ipſum quoque initium fidei non ex nobis, ſed Dei donum eſſe. Fatetur cap. 3. ſeq. ſeipſum quoque eodem cum Maſſilienſibus errore fuiſſe præventum in ſuis ante epiſcopatum exaratis opuſculis, illumque eodem loco retractat. Pergit deinde cap. 6. - 8. ad ſolvendas difficultates obpoſitas, cur audita Evangelii prædicatione alii credant, alii in infidelitate remaneant, & largitur quidam Maſſilienſibus, ideo iſtud contingere, quia alii volunt, alii nolunt; ideo autem alios velle, affirmat, quod eorum voluntas gratis fuiſſet præventa a Deo, qui hominum corda ſuo nutu inclinat. Cap. 9. Expendit locum ex ſuo opuſculo adverſus Porphyrium a Maſſilienſibus objectum, & aſſerit, Chriſtum præſciviſſe credituros ſibi, quia præſciebat,

bat, quos ante mundi conſtitutionem prædeſtinaverat Pater. Fidem non humanæ voluntatis opus, ſed Dei donum eſſe probat cap. 10. quam ipſam Deus in nobis operatur, ut operemur. Cap. 11. Idque ſine ullo reſpectu ad prævisa bona vel mala merita, quod cap. 12. - 15. evincit exemplo parvulorum, quorum aliqui ante uſum rationis ex hac vita abrepti, gratuito Dei beneplacito ad gratiam baptiſmi & ſalutem æternam pertingunt, alii ſine perſonali peccato damnantur, item exemplo humanæ Chriſti naturæ, quæ ad unionem cum verbo ante ulla prævisa merita fuerat prædeſtinata: quod ipſum argumentum ad finem usque libri pertractat, & ſemper ſibi conſtans docet, non merita prædeſtinationis, ſed hanc meritorum & ſalutis cauſam exiſtere. Idem ſcopus eſt Libri alterius de *dono perſeverantiæ*, quod ideo a Deo peti docet, quia non niſi a Deo datur cap. 1. - 5. ſolis autem prædeſtinatis dari, & quibus datur, illos infallibiliter perſeverare, reliquos libere perire, nec ullam illis injuriam fieri, quia nulli debetur, deinceps cap. 6. - 12. demonſtrat. Iſtam autem gratuitæ & omnia merita prævenientis Prædeſtinationis doctrinam nec utilitati exhortationis, & correptionis adverſari, ideoque & publice tuto, modo prudenter fiat, prædicari poſſe a cap. 14. ad finem inſigni claritate exponit.

Ut

Ut vero tam de Maſſilienſium, quam 21
Augustini mente evidentius conſtet, in gratiam Lectorum, quibus vel iſta opuſcula ad manum non ſunt, aut evolvere non vacat, unicam hoc loco objectionem, quam illi Augustino faciebant, heic ſubjiciam, quam quisque intelliget ab illis eſſe profectum, qui nimium libero tribuebant arbitrio, & a fatali, ut fingebant, prædeſtinationis neceſſitate, indeque metuendo deſperationis periculo, quam longiſſime cupiebant eſſe remoti. Ita vero eam Augustinus proponit *de dono perſeverantiæ* cap. 15. „ *Sed ajunt* (Maſſilienſes) *neminem poſſe correptionis ſtimulis excitari, ſi dicatur in conventu Eccleſiæ audientibus multis. Ita ſe habet de prædeſtinatione definita ſententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem, vel accepta perſeverantia maneatis in fide; ceteri vero qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo non ſurrexiſtis, quia necdum vos adjutorium gratiæ miſerantis erexit. Verumtamen ſi qui eſtis nondum vocati, quos gratia ſua prædeſtinaverit eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis & ſitis electi: & ſi qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obediendi vires, ut obedire ceſſetis*, „ ita Maſſilienſes. Quis non ipſis etiam manibus palpet, non a Prædeſtinatiano quodam, cui Auguſtiniana de prædeſtinatio-

ne

ne doctrina prora & puppis foret, sed a Semipelagiano & Molinista ista pro liberi arbitrii palladio potuisse opponi? Quid autem ad hæc AUGUSTINUS? an forte istam a sua doctrina sequelam amoliri, hocque incommodum declinare studet? Id vero tantum abest, ut suis assertis eo firmius inhæreat, idemque, quod fingitur incommodum, in Adversarios suos, præscientiæ meritorum assertores, validissime retorqueat in hunc modum. „ Ista cum dicuntur, ita nos a confitenda Dei vera „ gratia, id est, quæ non secundum me„ rita nostra datur, & a confitenda se„ cundum eam prædestinationem Sancto„ rum deterrere non debent; sicut non „ deterremur a confitenda præscientia Dei, „ si quis de illa populo sic loquatur, ut „ dicat: *Sive nunc recte vivitis, sive non* „ *recte, tales vos eritis postea, quales* „ *vos Deus futuros esse præscivit, vel boni,* „ *si bonos, vel mali, si malos.* Nunquid „ enim si hoc audito nonnulli in torporem, „ segnitiemque vertantur, & a labore pro„ clives ad libidinem post concupiscentias „ suas eant, propterea de præscientia Dei „ falsum putandum est esse quod dictum „ est? Nonne si Deus illos bonos futu„ ros esse præscivit, boni erunt, in quan„ talibet nunc malignitate versentur; si „ autem malos, mali erunt, in quantali„ bet nunc bonitate morentur? Fuit qui„ dam in nostro monasterio, qui corri-

„ pienti-

„ pientibus fratribus cur quædam non fa-
„ cienda faceret, & facienda non faceret,
„ reſpondebat: *Qualiſcunque nunc ſim, ta-*
„ *lis ero, qualem me Deus futurum eſſe præ-*
„ *ſcivit*: Qui profectò & verum dicebat,
„ & hoc vero non proficiebat in bonum,
„ ſed usque adeo proficiebat in malum,
„ ut deſerta monaſterii ſocietate fieret ca-
„ nis reverſus ad vomitum, & tamen ad-
„ huc qualis ſit futurus, incertum eſt.
„ Nunquid ergo propter hujusmodi ani-
„ mas ea quæ de præſcientia Dei vera di-
„ cuntur, vel neganda ſunt, vel tacenda,
„ tunc ſcilicet, quando ſi non dicantur,
„ in alios itur errores. „ Deinde vero
ſtatim exponit cauſas & tempus dicendi
verum, & prædeſtinationis gratuitæ my-
ſterium utiliter ac neceſſario prædicari tra-
dit. Nunc enim vero Lectorem a præ-
judicio liberum obteſtor, an Maſſilienſes,
ſi Prædeſtinatiano errore fuiſſent imbuti,
ita Augustino opponere, aut Augustinus,
niſi gratuitæ prædeſtinationis ſententiam
animo foviſſet, & calamo prodidiſſet, ita
reſpondere potuiſſet? Plane illud Gallo-
rum argumentum ita comparatum eſt, ut
eodem & hodie prædeſtinationis Auguſti-
nianæ impugnatores non raro utantur, &
propugnatores eodem Auguſtini clypeo ſe-
ſe tueri ſoleant.

Nunc autem ut iſtud aſſertum, Maſſilien- 22
ſes Augustini & Prosperi tempore ne-
qua-

quaquam Prædeſtinatiano, ſed Semipelagiano errori fuiſſe addictos, extra omnem dubitationis aleam ponatur, ſtatim evincam, omnes illos Prædeſtinatis affictos errores non niſi Gallorum fuiſſe objectiones & ſophiſmata atque ſequelas, quas ex AUGUSTINI Doctrina vel ſiniſtre intellecta, vel in pravum ſenſum detorta pullulare, Adverſarii illius criminabantur. Teſtem habeo omni exceptione majorem S. PROSPERUM, qui unacum HILARIO S. AUGUSTINI glorioſis pro gratia laboribus pie defuncti doctrinam pro aris & focis defendere, & æmulorum obtrectationes refellere ſatagebant. Quamdiu AUGUSTINUS in vivis agebat, Maſſilienſes nonniſi clanculo adverſus eum murmurabant; ita enim ſcribit S. PROSPER epiſt. ad Rufinum cap. 3. „ Inter tot certaminum palmas, inter „ tot triumphorum coronas, ad illuminationem Eccleſiæ & ad gloriam Chriſti, „ qua ipſe illuſtratus eſt, perfulgenti (Auguſtino) quidam noſtrorum (catholici „ in Gallia, hoc eſt Maſſilienſes Semipelagiani, nondum ut hæretici condemnati) quod de ipſis multum dolendum „ eſt, occultis ſed non incognitis ſuſurrationibus obloquuntur dicentes, „ eum liberum arbitrium penitus ſubmovere, & ſub gratiæ nomine neceſſitatem prædicare fatalem. Adjicientes etiam, „ duas illum humani generis maſſas, & „ duas credi velle naturas, ut ſcilicet

„ tan-

„ tantæ pietatis Viro Paganorum & Ma-
„ nichæorum adſcribatur impietas. „ Ad iſtas autem de S. Doctore confingendas impoſturas ideo Galli illi delapſi fuerunt, quia gratiam non ſecundum præviſa merita dari, & prædeſtinatorum determinatum eſſe numerum confiteri nolebant. „ Ab
„ hac autem confeſſione gratiæ, ſcribit
„ denuo Prosper cit. epiſt. cap. 11. ideo
„ quidam reſiliunt, ne cum eam talem
„ confeſſi fuerint, qualis divino eloquio
„ prædicatur, & qualis opere ſuæ pote-
„ ſtatis agnoſcitur, etiam hoc neceſſe ha-
„ beant confiteri, quod ex omni numero
„ hominum per ſæcula cuncta natorum
„ certus apud Deum definitusque ſit nu-
„ merus prædeſtinati in vitam æternam
„ populi, & ſecundum propoſitum Dei
„ vocantis electi . . . Nimium vero inepte,
„ pergit cap. 17. nimiumque inconſidera-
„ te ab adverſantibus dicitur, quod per
„ hanc Dei gratiam libero nihil relinqua-
„ tur arbitrio . . . Ea autem, ait cap. 18.
„ quæ de fato & de duabus maſſis, dua-
„ busque naturis STULTISSIMO MENDACIO in
„ tanti Viri injuriam jactitantur, neque
„ ipſum quidem onerant, in cujus libris
„ copioſiſſime hujusmodi deſtruuntur Do-
„ ctores & errores . . . Prorſus nihil apud
„ nos tale audierunt, nihil tale legerunt,
„ quia non fato quicquam geri, ſed om-
„ nia Dei judicio novimus ordinari. Nec
„ ex duabus maſſis, duabusve naturis, ſed

„ ex una maſſa, quæ eſt caro primi ho„ minis, unam ſcimus omnium hominum „ creatam, crearique naturam, & eam„ dem per ipſius primi hominis liberum „ arbitrium, in quo omnes peccaverunt, „ eſſe proſtratam : nec ullo modo ab æ„ ternæ mortis debito liberam, niſi eam „ ad imaginem Dei ſecundæ creationis Chri„ ſti gratia reformaverit, liberumque ejus „ arbitrium agendo, aſpirando, auxilian„ do, & usque in finem præeundo ſer„ vaverit. „

23 Sufficere hæc forte poterant ad demonſtrandum, nullos AUGUSTINO ſuperſtite in Gallia Prædeſtinatianos exſtitiſſe, ſed ejusmodi errores STULTISSIMO MENDACIO a Maſſilienſibus eidem adfictos fuiſſe; velim autem liberalior eſſe, & ex eodem PROSPERO ad oculum oſtendere, ne poſt AUGUSTINI quidem exceſſum Doctrinæ *illius* defenſores in abſurdiſſimam illam Prædeſtinatorum hæreſin incidiſſe, etſi a Maſſilienſibus de eadem per calumniam fuerint diffamati. Itaque illi gratiæ inimici poſt AUGUSTINI obitum audaciores facti, clancularias ſuas ſuſurrationes aperte prodiderunt, & capitula quædam, quaſi in AUGUSTINI libris deprehenſa, in vulgus ſpargere cœperunt, quæ ipſiſſimos continebant Prædeſtinatis attributos errores. Juvat de his percipere PROSPERUM in Præfatione Reſponſionum ad capitula Gallo-

rum

rum calumniantium. „ Doctrinam, inquit, „ quam ſanctæ memoriæ Auguſtinus Epi„ ſcopus contra Pelagianos, inimicos gra„ tiæ Chriſti & liberi arbitrii decompto„ res (defenſores) per multos annos „ apoſtolice aſſeruit, litterisque manda„ vit, quibusdam viſum eſt aut non in„ telligendo, aut intelligi eam nolendo, „ reprehendere. Et hoc quaſi compen„ dium cognitionis his, qui judicio eo„ rum ducebantur, afferre; ut quæ in „ libris prædicti viri damnabilia ſe reperiſ„ ſe jactabant, brevium capitulorum indi„ culis publicarent, talique COMMENTO & „ deteſtationem ejus, quem impeterent, „ obtinerent, & ab his qui infamaſſent, „ curam exterriti Lectoris averterent. Ne „ ergo hanc perſuaſionem temere quis re„ cipiat, & talem putet ſenſum ſcriptis „ catholici ineſſe doctoris, qualem eum, „ qui fruſtra CALUMNIANTUR, oſtentant ſin„ gulis capitulis, quæ damnationis titulo „ prænotarunt, brevi & abſoluta profeſ„ ſione reſpondeo . . . ut facile vel tenuis „ diligentiæ advertat inſpector, quam IN„ JUSTIS OPPROBRIIS catholici prædicatoris „ memoria carpatur, & in quod pecca„ tum cadant, quia aliena inſtigatione „ commoti, ſcriptorem celeberrimi nomi„ nis, promptius habeant culpare, quam „ noſſe. „

24 Hos inter Auguſtinianæ doctrinæ in Gallia obtrectatores erat etiam quidam VINCENTIUS, quem a celebri illo Lirinenſi, *commonitorii* ſub nomine PEREGRINI auctore haud alium eſſe, maxima cum veri ſpecie ſuſpicatur Eminent. Cardinalis NORISIUS, qui & ipſe quasdam adverſus AUGUSTINUM objectiones conſarcinavit, ab eodem S. PROSPERO confutatas, in cujus opuſculi præfatione denuo oſtendit; prædeſtinatianos errores per calumniam in gratuitæ prædeſtinationis defenſores contorqueri. „ Quidam Chriſtianæ ac fraternæ
„ caritatis obliti, in tantum exiſtimatio-
„ nem noſtram quoquomodo ſtudent læ-
„ dere, ut ſuam ſe evertere, nocendi cu-
„ piditate non videant. Contexunt enim,
„ & qualibus poſſunt ſententiis, compre-
„ hendunt ineptiſſimarum quarumdam blas-
„ phemiarum PRODIGIOSA MENDACIA, eaque
„ oſtendenda & in gerenda multis publi-
„ ce, privatimque circumferunt, aſſeren-
„ tes, talia in noſtro eſſe ſenſu, qualia
„ diabolico continentur indiculo. Quæ
„ falſo in nos ad excitandam invidiam ja-
„ ctari, facile & ſufficienter ſubſcriptione
„ unius probaremus anathematis, niſi ma-
„ lignitas eorum, qui ſe gravari putant
„ ſi de nobis bene ſentiatur, ipſam ſub-
„ ſcriptionis noſtræ brevitatem ſuſpectam
„ eſſet habitura. Unde ne hujus quere-
„ læ inveniretur occaſio, neceſſarium con-
„ veniensque credidimus, ut ſive ad ca-

„ lum-

„ lumniantium animos mitigandos, ſive
„ ad eos quorum auribus tale aliquid in-
„ ſonuit inſtruendos, quantum adjuvante
„ Domino fieri potuerit, plane lucideque
„ pandamus, quid de perverſis definitio-
„ nibus indicemus. Propoſitis igitur ſin-
„ gillatim ſedecim capitulis, ſub unoquo-
„ que eorum ſenſus noſtri & fidei, quam
„ contra Pelagianos ex Apoſtolicæ Sedis
„ auctoritate defendimus, verba ponemus,
„ ut qui paululum ſe ad legenda hæc di-
„ gnati fuerint occupare, evidenter agno-
„ ſcant, impiarum profanarumque opinio-
„ num nullum cordibus noſtris inhæſiſſe
„ veſtigium; & BLASPHEMIAS, quas per-
„ ſpexerint noſtra profeſſione damnari, in
„ earundem REPERTORIBUS cenſeant debere
„ puniri. „

Haud abſimilia idem PROSPER ſcribit de 25
CASSIANO, ſub nomine COLLATORIS notiſ-
ſimo, & univerſi roboris Gallorum Duce,
in ſingulari opuſculo adverſus eundem e-
dito: e quo denuo palam oſtenditur, Maſ-
ſilienſes illos nequaquam fuiſſe veritos,
conjuratis calumniis AUGUSTINI & Defen-
ſorum doctrinam impetere. Ita vero PRO-
SPER libro contra Collatorem cap. I.
„ Gratiam Dei, quâ Chriſtiani ſumus,
„ quidam dicere audent a ſanctæ memo-
„ riæ Auguſtino Epiſcopo non recte eſſe
„ defenſam, libroſque ejus contra erro-
„ rem Pelagianum conditos immoderatis

„ CALUMNIIS impetere non quiescunt. . . .
„ Non ergo negligendum est hoc malum,
„ quod ab occultis, parvis- (pravis) que
„ seminibus augetur quotidie, & ab ortu
„ suo latius longiusque distenditur : sed
„ studendum est, ut fallacium CALUMNIATORUM HYPOCRISIS detegatur, qui ex ipsa
„ injuriæ magnitudine, quam in uno cunctis ac præcipuæ Apostolicæ Sedis Pontificibus intulerunt, ab indoctis & parum cautis excellentioris scientiæ judicantur, & misero perversoque successu
„ facilem MENDACIO consensum eliciunt,
„ quia reverentiam sibi præsumptione pepererant &c. „

26 Atque ista quidem, quæ hactenus in medium adduxi, testimonia, nisi me omnia fallant, satis superque evincunt, Prædestinatianos errores non nisi figmenta fuisse in cerebro Gallorum elaborata, & per insignem imposturam Augustinianæ, hoc est, catholicæ de gratia & prædestinatione gratuita doctrinæ a Semipelagianis imputata; quod luculentius adhuc constabit ex adjecto schemate, in cujus prioribus tribus columnis prostant Prædestinatiani errores, qui primi omnium sub Prædestinatianæ hæreseos phantasmate Augustinianam doctrinam diffamarunt, in posterioribus autem Semipelagianorum calumniæ exhibentur.

Sche-

Errores Prædestinatorum. Secundum *Lucidum*.	Errores Prædestinatorum. Secundum *Prædestinatum*.	Errores Prædestinatorum. Secundum *Gennadium*, *Erigenam*, *Hincmarum*.	Capitula *Gallorum*.	Capitula *Vincentii*.	Objectiones *Fausti* Rhegiensis.
I. Laborem humanæ obedientiæ non esse jungendum.	I. Electionem Bonorum, & recusationem Malorum Deo decernente definiunt, non homine vel studente, vel negligente. Nolunt Dei Jura vel ab studentibus custodiri, vel a negligentibus violari.	*Erigena.* Secta prædestinatiana gratuitæ gratiæ dona confirmat, ut ea sola in Homine operante, omni conatu liberi arbitrii contemto, omnis fidelis Justitiæ fastigium conscendat.			Lib. de Grat. & lib. Arb. I. 3. Dicunt, quia per solam gratiam omnis homo sine ullo labore salvatur.
II. Post primi hominis lapsum ex toto Arbitrium Voluntatis extinctum.	———	———	VI. Quod liberum Arbitrium in Homine nihil sit, sed sive ad bonum, sive ad malum Prædestinatio Dei in hominibus operetur.	VI. Quod Deus tale in hominibus plasmet Arbitrium, quale est Dæmonum, quod proprio motu nihil aliud possit velle, nisi malum.	I. 8. Dicunt, liberum Arbitrium ex toto fuisse sublatum.
III. Quod Christus Dominus Servator noster Mortem non pro omnium salute susceperit.	———	*Hincmarus.* III. Quod non pro totius Mundi Redemtione, id est, pro omnium hominum salute Christus sit crucifixus & mortuus, sed tantum pro iis, qui salvantur.	IX. Quod non pro totius Mundi Redemtione Servator sit crucifixus.	I. Quod Dominus noster Jesus Christus non pro omnium salute & Redemtione sit passus.	I. 16. Dicunt, Christum non pro omnibus mortuum.
IV. Quod Præscientia Dei Hominem violenter compellat ad Mortem, vel quod Dei pereant Voluntate, qui pereunt.	II. Etiamsi voluerit bonum facere, qui ad malum prædestinatus est, ad bonum pervenire non poterit; nam, qui ad bonum prædestinatus est, etiamsi negligat, ad bonum perducetur invitus.	*Hincmarus.* I. Sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinavit ad mortem.	I. Quod Prædestinatione Dei velut fatali Necessitate ad Peccatum compulsi cogantur in mortem. XI. Quod per Potentiam Deus homines ad peccata compellat.	III. Quod Deus majorem partem Generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternum. V. Quod Peccatorum nostrorum Autor sit Deus, eoquod malam faciat Voluntatem hominum, plasmet substantiam, quæ naturali Motu non possit nisi peccare. V. etiam X. XI. XII. XVI.	I. 18. Dicunt, quia Dei Violentia indurat hominem, ne venire valeat ad salutem. I. 19. Dicunt: Homines Dei Voluntate impelluntur.
V. Quod post acceptum legitime Baptismum in Adam moriatur, quicumque deliquerit.	VI. Dicunt omnia non in re, sed ita in spe fieri, ut, quod dicit Apostolus: *Spes, quæ videtur, non est spes,* etiam hoc misterio adplicent dictum, & dicant: ea, quæ percipiuntur, videntur quidem esse, sed non sunt. Et VII.	———	II. Quod ab eis, qui non sunt prædestinati ad Vitam, non aufert percepta Baptismi gratia originale peccatum. III.	———	I. 15. Dicunt, eos, qui post Baptismum pereunt, in Baptismum penitus non credidisse.
VI. Alios deputatos esse ad Mortem, alios ad Vitam prædestinatos.	II. Ut supra. V. Dicunt, nullum ad Christi fidem accedere, nisi fuerit a Patre tractus invitus.	*Gennadius.* VI. Quod alios etiam invitos post multa mala Opera attrahat ad salutem, alios post bona Opera rejiciat & compellat in malum, quo pereant in æternum. *Hincmarus.* II. Quod non vult Deus omnes homines salvos fieri, sed eos tantum, qui salvantur.	I. Ut supra. VIII. Quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum Prædestinatorum. X. Quod quibusdam Evangelii Prædicatio subtrahatur a Domino, ne percepta Evangelii Prædicatione salventur.	II. Quod Deus nolit omnes homines salvos fieri, etiamsi omnes salvari velint. Vid. etiam VII. & seqq. ad finem.	I. 4. Dicendo: unus ad Mortem præordinatus, alter ad vitam prædestinatus est, Rebus ipsis spem intercludunt orando.
———	III. Dicunt, Baptismi undam non universa peccata mundare.	Fuit -	Error -	Pelagi -	- anorum.
———	IV. Dicunt: ita antecedit Gratia liberum Arbitrium, ut ante accipiat homo, quam pulset, ante inveniat, quam quærat, ante ei aperiatur, quam pulset.	Communis -	Error -	Semipelagi -	- anorum.

Errores Prædestinatorum. Secundum *Lucidum*.	Errores Prædestinatorum. Secundum *Prædestinatum*.	Errores Prædestinatorum. Secundum *Gennadium*, *Erigenam*, *Hincmarum*.	Capitula *Gallorum*.	Capitula *Vincentii*.	Objectiones *Fausti* Rhegiensis.
———	VII. Dicunt? Plus obfuit Adam ad nocendum generi humano, quam Christus in subveniendo; nam Adam, quod nocuit, ita manet, ut hoc nec Passio Christi, nec Baptismatis sanctificatio possit auferre.	———	III. Quod non prædestinatis ad Vitam, etiamsi fuerint in Christo per Baptismum regenerati, & pie justeque vixerint, nihil prosit; sed tamdiu reservantur, donec ruant, & pereant, nec ante eos ex hac vita, quam hoc contingat, auferri.		II. 5. Dicunt: non tam voluit, quam non potuit salvus esse, qui perit.
———	———	*Gennadius.* I. Dicunt, quod Deus non omnes Homines ad hoc creavit, ut omnes salventur, sed ut Multitudine Hominum ornetur Mundus.	XIII. Quod quidam homines non ad hoc a Deo creati sunt, ut Vitam adipiscantur æternam, sed ut habitum tantummodo seculi præsentis ornarent, & ad utilitatem nascerentur aliorum.	XIV. Quod pars magna illa Christianorum, Catholicorum, Fidelium, atque Sanctorum, quæ ad ruinam & Perditionem prædestinata est, etiamsi petat a Deo sanctitatis perseverantiam, non inpetrabit, eoquod mutari non potest divina Prædestinatio, quæ illos præordinavit, præparavit, præcaptavit, ut caderent.	I. 4. Ut supra.
		Gennadius. II. Quod etiamsi generali Prædicatione dicat: *Venite ad me omnes &c.* non tamen omnes ea Voluntate vocet, ut omnes sequantur vocantem.	V. Quod, qui vocati sunt, non æqualiter vocati sint; sed alii ut crederent, alii, ut non crederent.	IV. Quod major pars Generis humani ad hoc creetur a Deo, ut non Dei, sed Diaboli faciat Voluntatem.	I. 4.
———	———	*Gennadius.* III. Nec omnes, qui ipso inspirante obediunt Vocationi, dicuntur accipere exsequendi in bono opere perseverantiam, sed post multos labores & Justitiæ fructus, si non sunt de salvandorum numero, subtrahendas eis Vires agendi, ne perdurent in bono.	XII. Quod quibusdam vocatis, & pie justeque viventibus obedientia subtrahatur, ut obedire desistant.	XIII. Quod omnes illi fideles, & Sancti, qui ad æternam Mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur, sed ipsius vitii causa est divina Prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates.	Communis Gallorum querela apud *S. Augustinum* de Don. Persev. c. 15. relato hic n. 21.
———	———	*Gennadius.* IV. Illos, qui prædestinati sunt ad Vitam, etiamsi in perfidia, vel in omni genere peccati longo tempore volutentur, accepturos occasionem, qua & credant in Deum, & secundum Dei præceptum vivant, ut possideant Societatem Justorum.	I Ut supra.	III. Ut supra.	Vid. August. de Don. Persever. loc. cit.
———		*Gennadius.* V. Tali Definitione id docere student, quod Deus personas Hominum accipiat.	Communis -- IV. Quod non omnes Homines vocentur ad gratiam.	Semipelagianorum --	Calumnia.
———			XV. Quod idem sit Prædestinatio, quod Præscientia.	Hæc est Augustini Doctrina,	Cui se obponit Faustus II. 3.

Schema.

Cum igitur ex hactenus pertractatis, & oculis legentium subjectis, luce meridiana clarius constet, S. Prosperum non cum Prædestinatianis, quorum hæresis figmentum Gallorum fuerat ad conflandam Augustino invidiam, sed cum Pelagii reliquiis certasse; quis non videat, fucum facere Auctorem *Prædestinati*, a Sirmondo editi, quando libellum quemdam sub Augustini nomine, haud dubie a Massiliensibus confictum, a Coelestino I. R. P. ad perpetuas tenebras fuisse ablegatum. „ Hunc librum, ita scribit impostor, aliquando sibi oblatum beatissimæ memoriæ summus Pontifex Cœlestinus ita execrationi habuit, ut eum perpetuo juberet damnari silentio. „ Veniam meretur Hincmarus Rhemensium Archi-Præsul, utpote ab ista ætate remotus, quando ab eodem sicophanta deceptus ad Nicolaum I. perscripsit: „ Ex veteri hæresi prædestinatiana (a Goteschalco, ut sibi persuadebat, innovata) quæ primum in Africa, & postea in Galliis per idem tempus, quando & Nestoriana hæresis est exorta, & tempore Cœlestini Papæ, ipsius auctoritate & instinctu est revincta. „ Aliter res se habet. Cum Massilienses non desisterent Augustinianam doctrinam lacessere, 27

& variorum errorum per calumniam arguere, PROSPER & HILARIUS ad COELESTINUM Romam se contulerunt, Judicium illius flagitantes, prout ipse refert COELESTINUS epist. ad Episcopos Galliæ. „ Filii „ nostri præsentes Prosper & Hilarius, „ quorum circa Deum nostrum solicitudo „ laudanda est, tantum nescio quibus Pres„ byteris illic (in Provincia, *Provence*) „ licere, qui dissensioni Ecclesiarum stu„ deat, sunt apud nos prosecuti, ut in„ disciplinatas quæstiones vocantes in me„ dium, pertinaciter eos dicant prædicare „ adversantia veritati. „ Arguit subin socordiam Galliæ Præsulum; quod istam Presbyterorum (Massiliensium sub CASSIANO) audaciam sua authoritate minime cohiberent: statim vero subjungit & insinuat Presbyteros illos Augustini doctrinam vel male intellectam aut invidiose depravatam sugillasse. Nulli autem Prædestinatorum unquam in mentem venit, S. Augustinum, quo ceu unico clypeo gloriarentur, ejusque dogmata carpere. Ait igitur Pontifex: „ Au„ gustinum sanctæ recordationis virum pro „ vita sua atque meritis in nostra communio„ ne semper habuimus, nec unquam hunc sini„ stræ suspicionis saltem rumor adspersit, „ quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, „ ut inter Magistros optimos etiam ante a „ meis decessoribus haberetur. Bene ergo „ de eo omnes in commune senserunt, „ utpote qui cunctis & amori fuerit &

„ ho-

„ honori. Unde reſiſtatur talibus , quos „ male creſcere videmus &c. „ Eidem Coelestini epiſtolæ ſubjungi ſolent *præteritorum Sedis Apoſtolicæ Epiſcoporum auctoritates* de gratia Dei & libero voluntatis arbitrio, ab ipſo forſan Prospero collectæ, & unacum epiſtola in Gallias aſportatæ, e quarum præfatione denuo evidenter colligitur, Maſſilienſes illos Sancto Augustino exceſſum in doctrina oppoſuiſſe, quod utique Prædeſtinatianus aliquis non dixerit. „ Quia nonnulli , qui catholico „ nomine gloriantur, in damnatis hære„ ticorum ſententiis , ſeu pravitate , ſeu „ imperitia demorantes, piiſſimis diſputa„ toribus obviare præſumunt ; & cum Pe„ lagium atque Cœleſtinum anathematizare „ non dubitent , Magiſtris tamen noſtris „ (Augustino cum Africanis Epiſcopis) „ tanquam neceſſarium modum exceſſerint, „ obloquuntur, eaque tantummodo ſequi „ & probare profitentur, quæ Sacratiſſi„ ma beati Apoſtoli Sedes Petri contra „ inimicos gratiæ Dei per miniſterium „ Præſulum ſuorum ſanxit & docuit &c. „ Quis hic non denuo Semipelagianos indigitari intelligat, qui Augustinum ita gratiam defendiſſe aſſerebant , ut in oppoſitum fatalis neceſſitatis errorem impegerit ? quod e præmiſſo Schemate , in oculos uniuscujusque incurrit.

Sed ipſum S. Prosperum , virum inte- 28
gerrimæ fidei , & procul a pravis Maſ-

ſilienſium fraudibus remotum, qui agitatam in Galliis ea tempeſtate controverſiam præſens aſpexit, & magna illius pars ipſe fuit, percipere non pigeat, quid ille hac de re ſcribat libro adverſus Collatorem (Caſſianum) cap. 21. „ En! cujus „ dogmatis ſint Magiſtri, qui ut catholi„ carum mentium caſtitatem, gratiæ de„ fenſoribus *calumniando* corrumpant, præ„ cipuum noſtro tempore in doctrina Ec„ cleſiaſtica virum (Auguſtinum) rabi„ do ore diſcerpunt, creduntque, ſe om„ nia auctoritatum munimina poſſe con„ vellere, ſi hanc paſtoralis ſpeculæ vali„ diſſimam turrim crebra Pelagiani arietis „ illiſione pulſaverint. . . . Per hunc Vi„ rum (Cœleſtinum) intra Gallias iſtis „ ipſis (Maſſilienſibus) qui ſanctæ me„ moriæ Auguſtini ſcripta reprehendunt, „ maleloquentiæ eſt adempta libertas, „ quando conſulentium (Proſperi & Hi„ larii) actione ſuſcepta, & librorum „ (Auguſtini de prædeſtinatione SS. & „ dono perſeverantiæ) qui errantibus di„ ſplicebant, pietate laudata, quid opor„ teret de eorum auctoritate ſentiri, ſan„ cto manifeſtavit eloquio, evidenter pro„ nuntians, quantum ſibi præſumtionis „ iſtius novitas diſpliceret, qua auderent „ quidam adverſum antiquos Magiſtros „ inſolenter inſurgere, & indiſciplinata ca„ lumnia prædicationi veritatis obſtrepe„ re. . . . Igitur hujusmodi hominum

„ pra-

„ pravitati non tam disputationum studio, „ quam auctoritatum privilegio resisten- „ dum est, ut de prostrati dudum dogma- „ tis (Pelagiani) corpore nullum membrum „ sinatur assurgere . . . Quod ne HYPOCRITA- „ RUM obtineatur insidiis, confidimus Do- „ mini protectione præstandum, ut quod „ operatus est in Innocentio, Zosimo, „ Bonifacio, Cœlestino, operetur & in „ Xisto, & in custodia dominici gregis „ hæc sit pars gloriæ huic reservata Pa- „ stori, ut sicut illi lupos abegere mani- „ festos, ita hic depellat occultos, „ Massilienses nimirum vulpeculas. His, ut in ore trium stet omne verbum, addo & S. FULGENTIUM, qui libro I. ad Monimum cap. 30. ita scribit: „ Non autem igno- „ ras, etiam præterito tempore illi lu- „ culentissimo sancti Augustini operi, quod „ scripsit de *prædestinatione Sanctorum*, a „ quibusdam Gallis objectum, quod B. „ Augustinus in adsertione prædestinatio- „ nis divinæ peccatores non ad solum præ- „ destinatos diceret judicium, sed etiam „ ad peccatum: cujus dicta, quia ipse „ celeri præventus est obitu, Prosper Vir „ eruditus & Sanctus recta defendit „ fide, & copioso sermone. „ Fixum igi- tur ratumque manet, I. Massilienses S. AUGUSTINI obtrectatores, prædestinatianos errores neutiquam propugnasse. II. PROSPERUM & HILARIUM non cum Prædestinatis, sed Semipelagianis certasse. III. Et

his

his a S. Coelestino ſilentium fuiſſe impoſitum. Reſtat inquirendum, an ſaltem Lucidus Presbyter prædeſtinatianos errores foverit, & Synodi Arelatensis ac Lugdunensis contra illos vere celebratæ fuerint.

29 Quemdam Presbyterum, Lucidum nomine, aliquando extitiſſe, prædeſtinatianos errores tenuiſſe, eos autem revocaſſe, & duas mox memoratas Synodos adverſus eum fuiſſe celebratas, Viri quidam eruditi penitus inficiantur, & hæc omnia a Fausto Lirinenſi primum Abbate, dehinc Regienſi Epiſcopo conficta aſſerunt: quibus ego ſubſcribere, illique Viro, populari voce inter ſanctos relato, ejusmodi impoſturam attribuere, piaculo mihi ducerem, niſi certis documentis foret evictum, Maſſilienſes pravis hujusmodi artibus fuiſſe aſſuetos. Certe S. Prosper, cujus verba (n. 22. - 25.) liberaliter dedi, paſſim illos *hypocritas*, *calumniatores*, *blaſphemiarum repertores* compellare non veretur. Exprobrat illis *commenta ſtultiſſima*, *prodigioſa mendacia*, *diabolicum indiculum*, *capitula calumniantium* &c. Exiſtimabit forte Lector, Provinciales illos, quos Prosper tam fœde proſcindit, obſcuri nominis, & infima de plebis fœce homuncioncs extitiſſe. Imo, Viri erant docti, Monachi, Sacerdotes, Epiſcopi quoque, ſanctitatis laude conſpicui, qui ſuis præjudiciis abrepti Augustino invidiam conſtare

flare, haud erubeſcebant. PROSPERUM denuo teſtem habeo, qui in Epiſtola ad AUGUSTINUM, hoc illos penicillo depingit.
„ Multi ſervorum Chriſti, qui in Maſſi-
„ lienſi urbe conſiſtunt, in ſanctitatis tuæ
„ ſcriptis, quæ adverſus Pelagianos hæ-
„ reticos condidiſti, contrarium putant
„ Patrum opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui,
„ quicquid in eis de vocatione electorum
„ *ſecundum Dei propoſitum* diſputaſti . . .
„ Quorum tam abrupta diſſenſio primum
„ propter ipſos metuenda eſt, ne tam cla-
„ ris tamque egregiis in omnium virtu-
„ tum ſtudio Viris ſpiritus Pelagianæ im-
„ pietatis illudat: deinde ne ſimpliciores
„ quidam, apud quos horum magna eſt
„ de probitatis contemplatione reverentia,
„ hoc tutiſſimum eſſe æſtiment, quod audiunt
„ eos, quorum auctoritatem ſine judicio ſe-
„ quuntur, aſſerere . . . Quod cum perverſiſ-
„ ſimum eſſe, revelante Dei miſericordia, &
„ inſtruente nos tua beatitudine, noveri-
„ mus, poſſumus quidem ad non creden-
„ dum eſſe conſtantes, ſed ad auctorita-
„ tem talia ſentientium non ſumus pares;
„ quia multum nos & vitæ meritis ante-
„ cellunt, & aliqui eorum adepto nuper
„ ſummi Sacerdotii honore ſupereminent;
„ nec facile quiſquam præter paucos perfe-
„ ctæ gratiæ intrepidos amatores, tanto ſupe-
„ riorum diſputationibus auſus eſt contraire.
„ Ex quo non ſolum his, qui eos audiunt,
„ verum etiam ipſis, qui audiuntur, cum

„ digni-

„ dignitatibus crevit periculum ; dum & „ multos reverentia eorum aut inutili co„ hibet ſilentio , aut incurioſo ducit aſ„ ſenſu , & ſaluberrimum ipſis videtur, „ quod pene nullius contradictione repre„ henditur , . . . credimus & ſperamus, „ non ſolum tenuitatem noſtram diſputa„ tionum tuarum præſidio roborandam, „ ſed etiam ipſos , quos meritis atque ho„ noribus claros caligo iſtius opinionis „ obſcurat , defecatiſſimum lumen gratiæ „ recepturos. „ Porro claris iſtis in Maſſilia Viris etiam S. Hilarium Arelatenſem nominatim accenſet. Libro autem contra *Collatorem* cap. I. de iisdem ſcribit : „ Quo„ rum intus perſtrepens domeſtica mali„ gnitas non minus ſpernenda eſſet, quam „ foris latrans hæretica loquacitas , niſi „ ejectis extra ovile dominicum lupis , qui „ ſub nomine ovium ſuffragarentur, eſſent„ que ejusmodi , ut nec ordo eorum in „ Eccleſia , nec ingenia deſpicienda vi„ deantur. Si quidem habentes ſpeciem „ pietatis in ſtudio , cujus virtutem diſſi„ tentur in ſenſu , trahunt ad ſe multos „ ineruditos , & non habentia ſpirituum „ diſcretionem corda conturbant , atque „ in eum ſtatum deducere Eccleſiæ cau„ ſam moliuntur , ut dum noſtros affir„ mant non veraciter pro gratia fuiſſe lo„ cutos , inimicos gratiæ perſuadeant in„ juſte eſſe damnatos. Non ergo negli„ gendum eſt (ut ſupra n. 25.) nec

„ enim

„ enim cum sint bonæ opinionis Viri, „ creduntur ullo modo tarditate intelli„ gentiæ, aut temeritate Judicii in super„ fluæ quæstionis conclamationem potuis„ se prorumpere, ac non potius magno „ ingenio ac vehementi studio laborasse, „ ut subtilissimi tractatoris disputationibus „ comprehensis, censura nunc districtior „ & inspectio sagacior inveniret, quod „ antea securus favor & benignitas incu„ riosa non viderat. „

Cum igitur tales, tantique fuerint, qui 30
Augustinianam doctrinam impugnarunt, ut & religiosæ vitæ sanctimonia aliis prælucerent, & Ecclesiasticis dignitatibus eminerent, mirabitur forte Lector, qui fieri potuerit, ut Viri isti insignes, calumniis & PRODIGIOSIS MENDACIIS adversus AUGUSTINUM in aciem descendere non erubuerint, aut tantarum fraudum illos arguere S. PROSPER in animum suum induxerit? At vero mirari desinet, ubi illorum principia penitius introspexerit. Prædixit aliquando CHRISTUS, fore tempus, ut omnis, qui interficit veritatis præcones, seu gladio linguæ, seu acumine calami, *arbitretur, se obsequium præstare Deo.* Novimus, recentioribus hisce temporibus quosdam docuisse, *nonnisi veniale crimen esse, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere;* quorum propositio ordine 43. ab INNOCENTIO XI. merito damnata fuit. Accidit ali-

aliquando etiam probis, ut dum suo sensu abundant, & præconceptis opinionibus tenacius inhærent, easdem & aliis a se dissentientibus modis omnibus studeant persuadere. Ita non semper fallit illa paræmia: *omnis Sanctus pertinax.* Viri illi Massilienses sub CASSIANI stipendiis militabant, quem nemo nescit, alia inter paradoxa & istud tradidisse, Collat. XVII. 17. seq. quod non solum mendacio propter bonum finem utendum sit, sed id animæ etiam saluti expediat, & mendacio apud Deum justificari quis possit, aut pœnam aliquando mereatur æternam, qui mendacio opportune uti noluerit, quod Sanctorum V. T. imo & Apostolorum exemplis nititur comprobare. His igitur imbuti principiis boni illi Viri, cum cernerent, AUGUSTINUM summæ auctoritatis Virum Pelagianos errores ita convellere, ut in oppositum crederent impingere *Prædestinatorum* fatale dogma, & plurimos in eandem secum præcipitare ruinam; quid mirum est, si invincibili forte ignorantia, aut CASSIANI auctoritate præoccupati, etiam mendaciis utendum sibi esse existimaverint, quibus nutare in eorum cerebro visam veræ fidei causam, sartam tectamque servarent, illudque desperationis periculum, quod e gratuita desperatione imminere timebant, a fidelium animis removerent. Collatis ergo inter se consiliis, & divisis laboribus, factum fuisse suspicor, ut qui-

dam

dam illorum ſub AUGUSTINI nomine libellum confingeret, in quo male conſarcinatis ejusdem S. Doctoris verbis, aut a loco ſuo avulſis, vel depravatis, ſive ſiniſtro ſenſu expoſitis, liberum penitus auferri arbitrium, & ad bonum æque ac malum homines a Deo impelli, AUGUSTINUS docere jubebatur. Alius librum ſub nomine PRÆDESTINATI a SIRMONDO editum, certe autem Semipelagiani cujusdam fœtum, conſcribere debuit, qui hæreſes omnes a CHRISTO nato ad ſua tempora recenſeret, cui poſt PELAGIANAM & NESTORIANAM ultimo loco PRÆDESTINATIANAM, de nomine AUGUSTINI mentitam adjicere, eamque parte tertia ex inſtituto confutare poſſet. Semipelagiani alicujus hunc fœtum eſſe dixi; eoquod illas Maſſilienſium controverſias ne uno quidem verbo attigerit, & loco Semipelagiani erroris, confictum Prædeſtinatianum callide intruſerit. Cum magna S. PROSPERI Aquitani illa ætate celebritas eſſet, Romæ etiam comprobata, atque ſub ejus nomine exſtaret chronicon; forte aliqui de eodem Maſſilienſium cœtu ſub nomine PROSPERI TYRONIS ſimile chronicon conflandum, aut illud genuini PROSPERI interpolandum ſibi ſumſit, ut Prædeſtinatianam hæreſin ſuo ævo fuiſſe exortam, incautis poſteris perſuaderet; ſic enim iſte habet ad annum 417. quo tempore S. AUGUSTINUS nondum de prædeſtinatione ſcribere incœperat:

rat : *Prædestinatiana hæresis, quæ ab Augustino accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa.* Vid. Noris. Histor. Pelag. Lib. II. cap. 15. Alius iterum sub nomine Arnobii commentarium in psalmos elaboravit, Semipelagianis erroribus refertum, & Prædestinatos data quavis occasione sugillantem. Quid autem Cassianus ipse? Ille in suis collationibus non ipsus loqui videri amat, sed diversos scythicæ eremi Patres inducit loquentes, & sub adscititio nomine bona quidem plurima documenta profert, sed suos etiam hac arte incrustat & propinat errores. Illa ipsa collatio XIII. unde nomen *Collatoris* ei adhæsit, & quam Prosper copioso sermone confutavit, sub nomine Abbatis *Chæremonis* ab eodem est edita. Illam XVII. de utendo mendacio Josepho Abbati adscribit. Haud postremus inter Massilienses Gennadius, qui creditur auctor appendicis ad librum S. Augustini de hæresibus, non solum Prædestinatianam adsuit, sed & in suo de Viris illustribus, seu, Ecclesiasticis Scriptoribus libro Augustini & Prosperi famam deprimit, & suorum Massiliensium ad astra extollit, idque (post Coelestinum I. vid. num. 27.) & vivente Gelasio I. R. P. qui in Concilio Romano Augustini & Prosperi opera commendaverat, Cassiani autem & Fausti inter apocrypha, hoc est, prohibita, rejecerat. Ita vero

ille

ille de S. AUGUSTINO : „ Vir eruditione
„ divina & humana orbi clarus, fide in-
„ teger & vita purus, scripsit, quanta
„ nec inveniri possunt. . . . Unde &
„ multa loquenti accidit, quod dixit per
„ Salomonem Spiritus Sanctus: *ex multilo-*
„ *quio non effugies peccatum* . . . Error ta-
„ men illius sermone multo contractus,
„ lucta hostium exaggeratus, nedum hæ-
„ resis quæstionem dedit. „ De PROSPERO
„ scribit: „ Homo Aquitaniæ regionis . . .
„ legi & librum adversus opuscula sup-
„ presso nomine Cassiani: quæ Ecclesia
„ Dei salutaria probat, ille infamat noci-
„ va. „ De FAUSTO denique: „ Edidit
„ opus egregrium (scilicet!) de gratia
„ Dei qua salvamur, & libero humanæ
„ mentis arbitrio; in quo salvamur. „
Non itaque vana aut temeraria suspicio est, Viros illos nulli sibi religioni duxisse, si pro stabilienda sua, quam præconceperant, opinione, dolis, quos credebant, bonis uterentur, & Augustinianæ doctrinæ jactata novitate in suspicionem adducta, rebus suis saltem apud posteros consulerent. Quod quidem propositum suo eventu non caruit; cum haud ita pridem fuerit, qui pro FAUSTO apologiam edidit: multo autem plures sint, qui AUGUSTINUM de excessu arguunt.

Venio nunc autem ad FAUSTUM, Virum 31
sæculo quinto celebrem, sed Semipelagia-

nis partibus impenſe addictum. Hic ex Abbate Lirinenſi ad Regienſem Epiſcopatum aſſumptus, quam olim adverſus Augustini doctrinam imbiberat invidiam, mira calliditate evomuit; de qua priusquam verba faciam, & aliorum de Fausto indicia proferam, ipſam illius ad Lucidum epiſtolam de prædeſtinatianis erroribus hic ſubjicere haud extra inſtitutum fuerit. „ Domino devinctiſſimo & mihi ſpeciali „ affectu venerando ac ſuſpiciendo fratri „ Lucido Presbytero, Fauſtus. Grandis „ charitas eſt parum cauti fratris errorem, „ per Dei adjutorium & gratiam magis „ velle curare, quam ſicut ſummi Antiſti- „ tes meditantur, a bonitate ſuſpendere. „ Quid poſſum de hoc ſenſu, ſicut vis „ cum unanimitate tua per litteras loqui, „ cum te præſens multa & blanda & hu- „ mili collocutione nunquam potuerim ad „ viam veritatis attrahere. Loquentes er- „ go de gratia Dei & obedientia hominis, „ id omnimode ſtatuere debemus, ut „ neque proni in ſiniſtram, neque impor- „ tune in dexteram, regiam magis gradia- „ mur viam. Illud autem Venerationem „ tuam dixiſſe miratus ſum, quod nullus „ unquam ſub religioſa profeſſione contra „ catholicam fidem vel ſcripſerit, vel præ- „ dicaverit: cum plurimi mutiplices & „ profanos errores ſuos, etiam ſcriptorum „ monumentis crediderint inſerendos, qui „ tamen chriſtiano nomine gloriabantur. „

Se-

Sequuntur modo verba ſuperius n. 3. poſita, poſt quæ ita pergit. „ Cum autem
„ ad nos in Chriſti nomine veneris, aut
„ cum a Sanctis Sacerdotibus evocatus
„ fueris, tunc opportune, ſi Dominus
„ juſſerit, locis ſuis teſtimonia proferemus,
„ quibus & quæ catholica ſunt manifeſtentur,
„ & quæ catholicis ſunt contraria, deſtruantur.
„ Nos autem illuminationem Chriſti veraciter & confidenter
„ aſſerimus, & eum qui periit per
„ culpam, ſalvum eſſe potuiſſe per gratiam,
„ ſi gratiæ ipſius famulatui laboris
„ obedientiam non negaſſet, & eum qui
„ per gratiam ad bonæ conſummationis
„ metas, ſervitio obſequente pervenit,
„ cadere per deſidiam, & perire poſſe
„ per culpam. Nos ergo per medium
„ Chriſto duce gradientes, poſt gratiam,
„ ſine qua nihil ſumus, laborem officioſæ
„ ſervitutis aſſerimus, ſed omnimodo arrogantiam
„ & præſumptionem laboris excludimus,
„ ut totis viribus deſudantes ne
„ gratia in nobis evacuetur, quicquid de
„ manu Domini ſuſceperimus, donum pronuntiemus
„ eſſe, non pretium, ſcientes
„ laboris ipſius fructum officii rem eſſe,
„ non meriti, cum Evangeliſta dicentes:
„ ſervi inutiles ſumus, quod debuimus
„ facere fecimus. Hæc quæ ſtrictim epiſtolæ
„ brevitate memorata ſunt, aut recipere
„ ſe aut reſpuere unanimitas tua recurrente
„ ſermone reſpondeat. Ceterum

„ qui hanc veritatis menſuram, gratia
„ præcedente, & conatu adſurgente non
„ ſequitur, dignus erit, qui a ſacris limi-
„ nibus arceatur. Ego tamen individuam
„ mihi bonitatem tuam toto ſinceræ beni-
„ gnitatis amplexu in via retinens, in ma-
„ tris Eccleſiæ gremio, permanere, re-
„ pudiato hoc errore, deſidero. Qui, ſi
„ cito reſpuatur, ignorantiæ fuiſſe videbi-
„ tur: Blasphemia vero reputabitur, ſi
„ pertinaciter defendatur. Gravem nam-
„ que in Auctorem retorquemus invidiam,
„ ſi dicamus, quod ei poſſibilitatem ca-
„ peſſendæ ſalutis noluerit dare qui periit,
„ ei duntaxat qui capere jam poſſit ar-
„ bitrii libertatem, cum minime negare
„ poſſimus, quod mandati prævaricatorem
„ in judicii ſui examinatione damnabit.
„ Qui enim non eſt obnoxius de ſuſce-
„ pto, neſcio quomodo reus poſſit eſſe
„ de perdito. Ac ſic peccantes in Deum,
„ cujus in primis incautius aſſeruimus gra-
„ tiam, in poſtremis ejus videbimur im-
„ pugnare juſtitiam. Hujus autem epiſto-
„ læ exemplar mecum retineo in conven-
„ tu Sanctorum Antiſtitum, ſi ita neceſſe
„ fuerit, proferendum. Quam ſi ſuſci-
„ piendam putaverit fraternitas tua, aut
„ ſubſcriptam manu propria mox remit-
„ tat, aut ſequentibus ſcriptis omnino ſe
„ improbaſſe reſpondeat. Quod ſi eam
„ ſubſcriptam (ut dixi) transmittere no-
„ lueris, aperte te adhuc in errore perſi-

„ ſtere,

„ ſtere, ipſo ſilentio comprobabis, ac
„ proinde jam neceſſitatem mihi facies ad
„ perſonam tuam publicis conventibus ex-
„ ponendam. Et ideo ſecundum hæc,
„ quæ a me ſunt dicta, reſcribe, utrum
„ ea remotis circuitionibus aut agnoſcas,
„ aut reſpuas. „

Dum attentius iſtam epiſtolam relego, non poſſum non ad illam conjecturam delabi, ut eam adverſus AUGUSTINI doctrinam conceptam fuiſſe exiſtimem. In tres quaſi partes orbis chriſtianus tunc ſciſſus erat, quantum ad quæſtionem de gratia. Extremam unam occupabant Pelagiani, liberi arbitrii decomptores. Oppoſitam tenebant AUGUSTINI defenſores, gratiæ prævenientis neceſſitatem ad omne opus ſalutis, & ad ipſum initium fidei propugnantes. Utrumque extremum declinare volens FAUSTUS, mediam LUCIDO viam, quam Maſſilienſes elegerant, perſuadere adnititur, non callidis ſolum argumentis coram propoſitis, ſed ſcriptis etiam minis excommunicationis ab Epiſcoporum Synodo in eum decernendæ, ni ab Auguſtiniana doctrina ad ipſos recederet. Tuebatur ille ſe primum AUGUSTINI auctoritate, fieri poſſe negans, Virum religioſiſſimum adverſus Eccleſiam ſcripſiſſe. Reponit FAUSTUS, plurimos alios ſub eodem habitu profana tradidiſſe, ſuos deinde profert anathematiſmos (n. 3.) & primum qui- 32

dem adverſus PELAGIUM, peccatum originale inficiantem: reliquos S. AUGUSTINO aperte oppoſitos, atque ad id unice comparatos, ut in ſolis liberi arbitrii manibus hominis ſalus reponeretur, illa autem vocatio ſecundum propoſitum, finale perſeverantiæ donum, & fixus electorum numerus, inter damnandos errores rejiceretur. Quid enim aliud ſibi vult iſta FAUSTI profeſſio: *eum qui periit per culpam, ſalvum eſſe potuiſſe per gratiam, & eum qui per gratiam ad bonæ conſummationis metas pervenit, cadere per deſidiam & perire potuiſſe per culpam*? Quæ quidem aſſertio totidem pene verbis proſcripta fuit a FELICE IV. per capitula ad Epiſcopos Galliæ in Concilio ARAUSICANO II. contra Semipelagianos ſub S. COESARIO Arelatenſi congregato; capitulo enim XIV. ita legitur Tom. VIII. Concil. Manſi col. 724. „ Si quis eos quos Deus per propriam „ præſcientiam ante conſtitutionem mundi „ prædeſtinavit conformes fieri imaginis „ filii ſui, poſſe perire dicit, aut eos, „ quos minime prædeſtinavit, participes „ æternæ vitæ ſeu regni cœleſtis fieri „ poſſe aſſerit, a numero fidelium prorſus „ excluditur; non quod præſcientia „ Dei liberum noſtrum peccare cogat arbitrium, „ quamvis per ipſum liberum arbitrium „ nos peccaturos eſſe præſcierit. „ Inter præſcientiam enim & prædeſtinationem „ hoc intereſt, quod non omnia quæ

„ præ-

„ præſciuntur , prædeſtinantur ; omnia „ autem quæ prædeſtinantur, præſciun„ tur. „ Hæc poſtrema verba denuo directe Faustum feriunt, qui prædeſtinationem ſubdit præſcientiæ.

Jam ſupra (n. 29.) monui, non deeſſe 33
Viros eruditos, qui ſuſpicantur, errores Lucido attributos, Fausti eſſe figmenta ad conflandam Augustino invidiam comparata. Quod ſi ita ſe habeat, conſequens eſt, ut epiſtola Lucidi errorum recantatoria, ejusdem calliditatis artificium ſit; adeo ſubdolis enim verbis reſponſum iſtud contextum eſt, ut ſingulæ propoſitiones, quas revocando condemnat, aliquo ſenſu veræ, alio autem erroneæ deprehendantur. *Prima*: damno illum, qui dicit, *humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non eſſe jungendum*: hoc ſenſu intellecta, quod gratia *ſola* totum in homine nihil agente vel cooperante operetur, erronea; illo autem, quod homo proprio labore & ſuis viribus gratiam prævenire & promereri nequeat, catholica eſt. *Secunda. Poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis extinctum*: in ordine ad actus ſalutares, qui ſine gratia exerceri nequeunt, vera; in ordine ad actus naturales, etiam moraliter bonos, falſa. *Tertia. Quod Chriſtus Salvator noſter mortem non pro omnium ſalute ſuſceperit*: quoad efficaciam & determinatam individuorum ſalutem, vera;

 quoad

quoad sufficientiam, & voluntatem Dei antecedentem omnes salvandi, falsa. *Quarta. Quod præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereat voluntate qui perit*: hoc sensu, quod Deus impios post prævisa peccata compellat ad mortem secundam, seu condemnationem æternam, & voluntate reprobantis pereat qui perit, Augustiniana est; hoc autem sensu, quod Deus compellat ad peccandum, & non libere pereat, qui perit: falsa. *Quinta. Quod post acceptum legitime baptismum in Adam moriatur, quicunque deliquerit*: hoc sensu, quod peccatum originale etiam in Baptizatis reprobis sit causa reprobationis negativæ, & concupiscentia *soluto reatu* reprobum ad peccatum alliciat, Augustiniana, adeoque Catholica est; alio sensu, quod peccatum originale in reprobis non deleatur, & ipsa concupiscentia formale peccatum sit, erronea est. *Sexta. Alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos*: Hoc sensu, quod aliqui post prævisum originale peccatum misericordia Dei sine prævisis meritis gratuito ad gloriam & gratiam prædestinentur, reliqui in massa damnata relinquantur, & propter peccata positive ad pœnam æternam condemnentur, Augustini doctrina est; alio sensu, quod Deus quosdam ad peccatum cogat invitos, erronea. Haud difficulter adducor ut credam, propositiones illas in sensu erroneo

illi

illi Presbytero a FAUSTO imputatas fuiſſe, utpote qui ſibi perſuaſerat, impias iſtas ſequelas ex AUGUSTINI doctrina promanare.

Exſtititne autem eo tempore LUCIDUS ille horum errorum defenſor, & commemorata a FAUSTO Concilia ARELATENSE & LUGDUNENSE verene contra Prædeſtinatianos errores fuerunt celebrata? unus affirmat FAUSTUS, & in omni retro antiquitate præter ipſum nemo: Illarum Synodorum nemo unquam meminit, ne illo quidem ævo, quando cum GOTESCHALCO hæ ipſæ quæſtiones acerrime agitabantur: præter unum HINCMARUM Rhemenſem, in poſtremo ſuo Tractatu *de Prædeſtinatione*, qui eodem forte in angulo epiſtolas FAUSTI, & LUCIDI reperit, in quo librum PRÆDESTINATI (n. 9.) negabant plures, quod poſtea evincam, talem hæreſim unquam extitiſſe. Et, quod primo loco mirandum venit, GENNADIUS Maſſilienſis, & ipſe Semipelagianus, & FAUSTI ſtudioſiſſimus, altum ſilet de hujus ad LUCIDUM epiſtola, de erroribus ei imputatis, de eorum revocatione, de Patrum ſubſcriptione, de gemina Synodo, quam ignorare omnino non potuit, quippe qui eodem tempore, & in ipſa metropoli Arelatenſi degebat. Vix autem iſte in elogio, quod inter Eccleſiaſticos ſcriptores FAUSTO texuit, inſigne hoc factum reticuiſſet, quod mul- 34

tas

tas ſane lauros eidem parere debuiſſet, ſi inſignem S. AUGUSTINI diſcipulum, quem diſputatione frangere non poterat, una epiſtola ad Maſſilienſium caſtra reduxerit, atque ad revocandos in Synodo errores compulerit. Qui autem & fieri potuit, ut epiſtolæ huic, cui undecim ſubſcripſere Epiſcopi, ſolus Metropolita LEONTIUS Arelatenſis, cujus auctoritate Synodus convocata fuerat, non ſubſcriberet? aut LUGDUNENSIS Eccleſia, quæ ſæculo IX. Auguſtinianam doctrinam & easdem LUCIDI propoſitiones recto ſenſu intellectas defendebat, ſui illius Concilii fuerit oblita, nec ab Adverſariis deſuper commonefacta? ſcio, quod Cardinalis NORISIUS hoc negantis argumenti genus *lubricum* pronuntiet, & tantos ſibi de FAUSTO dolos perſuadere non poſſit, ut fictas ab illo Synodos & epiſtolas fuiſſe credat. At vero non in ſolo argumento inficiante alii vim ponunt, ſed in profunda quoque illa Viri hujus CALLIDITATE, cujus poſitivos teſtes ſtatim producam.

35 Et iſtud quidem in dubium vocari nequit, illud FAUSTI *de gratia & libero arbitrio* opus, cujus ichnographiam in epiſtolis prædictis prævie delineaverat, ſub callida PELAGIUM confutandi ſpecie, adverſus AUGUSTINUM exaratum fuiſſe. Ita ipſemet FAUSTUS prodidit, dum Lib. I. cap. 4. ſcribit: *Si ergo unus ad vitam, alter*

ad

ad perditionem , ut asserunt , deputatus est (sicut quidam Sanctorum dixit ,) non judicandi nascimur , sed judicati. Quis alius iste *quidam Sanctorum* est, quam AUGUSTINUS, cujus aperta est illa sententia, de gratuita electorum prædestinatione ad vitam, aliorum non injusta condemnatione ad mortem? testantur id quoque Monachi græci, anno 520. in causa fidei Romam ablegati, & data ad Episcopos Africæ in Sardinia insula exules fidei suæ professionem referentes, ubi cap. 8. scribunt: „ Omnium Sanctorum Patrum imbuti do„ ctrinis anathematizamus Pelagium & „ Cœlestium , simul & Julianum Eclanen„ sem, & qui illis simillima sapiunt, præ„ cipue libros Fausti Galliarum Episcopi, „ qui de Monasterio Lirinensi provectus „ est, quos contra prædestinationis sen„ tentiam (ab Augustino assertam) scri„ ptos esse non dubium est. „ Iidem Episcopi in epistola Synodica ad JOANNEM & VENERIUM testantur, illos FAUSTI libros a S. FULGENTIO Ruspensi Episcopo, fidelissimo AUGUSTINI Discipulo confutatos fuisse. „ Unus ex nobis . . . illis omnibus, „ quæ memoratos fratres (Fasti Libris in „ oriente turbatos) adversus gratiam & „ prædestinationem intimastis vel sentire „ vel dicere, tribus Libris vestro nomine „ dedicatis sufficiente disputatione respon„ dit, quique adversus duos Libros Fau„ sti Galli septem libros edidit : quos

„ cum

„ cum recenſueritis, agnoſcetis protinus, „ quemadmodum memorati Fauſti COMMENTA veritati contraria, catholicæ fidei „ penitus inimica, diſcuſſio prodidit; ratio manifeſta convicit, auctoritas divina „ compreſſit, & præcedentium Patrum „ conſona prorſus adteſtatio confutavit. „ Hoc denuo teſtatur auctor vitæ S. FULGENTII cap. 28. loquens de Libris Fauſti: *quos contra gratiam* SUBDOLO SERMONE *compoſuit, favens occulte Pelagianis; ſed catholicus tamen volens videri.* Taceo S. COESARIUM Arelatenſem, qui & ipſe calamum adverſus FAUSTUM pro AUGUSTINO acuit, & celebratis etiam Synodis Semipelagianam hæreſim condemnavit. ADO autem Epiſcopus Viennenſis in chronico ad annum 49. hæc de FAUSTO notat: „ Fauſtus ex Abbate Lirinenſis monaſterii „ apud Regium Galliæ Epiſcopus factus, „ Pelagianorum dogma deſtruere conatus „ in errorem labitur: unde qui ejus ſenſus in hac parte catholicos prædicant „ (ſicut Gennadius de Viris illuſtribus „ ſcribens) omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Auguſtinus, quam „ ceteri Catholici in Eccleſia Dei docent, „ ut illuminatio, virtus, & ſalus illi a „ Chriſto & per Chriſtum ſit: Fauſtus „ vero iſte ita liberum Chriſtianum arbitrium docere conatur, ut illuminatio „ ejus, virtus, & ſalus non a Chriſto, ſed „ a natura ſit. Contra hunc ſcribit luci-

„ diſſima

„ diſſima fide Avitus Viennenſis Epiſco-
„ pus, ejus redarguens errorem: ſimili-
„ ter & Joannes, Vir eruditus, Antiochen-
„ ſis Presbyter. „ Denique S. ISIDORUS
de Viris illuſtribus cap. 14. *profundam* hanc
Fauſti CALLIDITATEM expreſſis verbis ob-
ſervavit: „ Legimus de gratia Dei & li-
„ bero arbitrio Fulgentii libros reſponſio-
„ num ſeptem, Fauſto Galliæ Regienſis ur-
„ bis Epiſcopo Pelagianæ pravitati conſen-
„ tienti reſpondentis: obnititur ejus *pro-*
„ *fundam* deſtruere *calliditatem*. „

Cum autem ampliſſimos jam teſtes ha- 36
beamus, de PROFUNDA Fauſti CALLIDITATE
deponentes, id nunc ſupereſſe videtur, ut
qua ratione eandem exercuerit, nunc o-
ſtendam, quo deinde majore cum veri
ſpecie arguere liceat, utramque Synodum
una cum Lucidianis epiſtolis eodem FAU-
STI dolo fabricatas, atque ad Auguſtinia-
næ doctrinæ invidiam ſubpoſitas fuiſſe.
Hanc in rem primum mihi argumentum
ſubpeditat Cardinalis BARONIUS, qui licet
neque de LUCIDI Presbyteri erroribus,
neque de gemina adverſus Prædeſtinatia-
nos errores celebrata Synodo ARELATENSI
& LUGDUNENSI dubitet, in eo tamen FAU-
STUM doli arguit, quod operi ſuo *de gra-
tia & libero arbitrio* illam ad FAUSTUM Epiſto-
lam ſubjunxerit Epiſcoporum ſubſcriptio-
ne firmatam, ut incauto Lectori perſua-
deret, integrum opus Concilii auctorita-

te

te fuisse roboratum. En! Baronii verba ad an. 492. n. 16. „ Lectorem monitum „ velim, posteriorem librum haud integrum reperiri, sed desiderari in eo illa, „ de quibus ad Leontium idem Faustus „ in fine ista præfatur: *In quo quidem opusculo post Arelatensis Concilii subscriptionem novis erroribus deprehensis, adjici aliqua, Synodus Lugdunensis exegit.* At quænam „ ista subscriptio Arelatensis Concilii? „ Nunquid Episcoporum Concilium Fausti „ commentarium illum subscriptione firmavit? Minime gentium: verum subscripsit Synodus Fausti illi tantum epistolæ, quam dedit ad Lucidum Presbyterum, ut hominem in errores lapsum „ revocaret ad catholicam fidem, Sed cur, „ dices, illa subscriptio Arelatensis Concilii non in fine Fausti operis amplius, „ sed in fronte ipsius ante præfationem „ posita legitur, quam illis, ut ait, adjici Synodus Lugdunensis exegit? Nunquid hoc casu factum? Nequaquam. „ Sed accipe Fausti vafrum consilium. Sic „ ipse quidem ad finem sui commentarii „ ista apposuit, quibus videri posset, edita scripta ab ipso jam a duabus Synodis „ esse recepta: sed scias, prudenter jureque inde postea esse sublata, & ante „ illud Fausti opus collocata, ut sua quæque tempori & auctoribus redderentur, „ ne Fausti fraus simpliciores decipere posset. „

Alte-

Alterum argumentum pro Fausti *profunda calliditate* inde desumo, quod libros 37
suos adversus Augustinum elucubratos non statim in Gallia publici Juris fecerit (solis forte sectæ suæ sociis secreto illos communicando) sed ad populares suos Britannos, unde ipse erat oriundus, per Tabellarium direxerit, eo tamen pacto, ut per Gallias transiens nullam eorum mentionem faceret, nec cuiquam eos ostenderet. Facilius enim Galli fraudem animadvertere, & fictas sive epistolas, sive subpositas Synodos deprehendere potuissent, quam toto divisi orbe Britanni, quibus facile imponere licuit. Atvero Apollinaris Sidonius, Arvernorum Episcopus, cum suspicaretur, Tabellarium illac transeuntem secreta quædam Fausti opuscula portare, quæ etiam flagitanti communicare minime vellet, cupidine illa legendi incensus, conscensis pernicibus equis jam abeuntem insecutus, libros Fausti vi ac fraude ab illo extorquet, legit, exscribit, & veluti insigni locupletatus præda, dimisso tabellario revertitur. Sed juvat ex ipso Sidonio lib. 9. epist. 9. ad Faustum istius rei seriem percipere. „ Legi volumina tua, quæ Riochatus Antistes ac monachus, atque istiusmodi bis „ peregrinus, tuis Britannis pro te reportat . . . Hic igitur ipse venerabilis, „ apud oppidum nostrum cum moraretur, „ donec gentium concitatarum procella de-

„ ferveret, ſic reliqua dona veſtra detexit,
„ ut perurbane quæ præſtantiora porta-
„ bat, operuerit. Sed poſt duos atque iis
„ amplius menſes ſic quoque a nobis ci-
„ to profectus, cum quippiam providiſ-
„ ſent de viatoribus, myſticæ gazæ clau-
„ ſis involucris clam ferre theſauros, per-
„ nicibus equis inſecutus abeuntem, qui
„ facile poſſent itineris pridiani ſpatia præ-
„ vertere, oſculo in fauces occupati La-
„ tronis inſilui, humano joco, geſtis fe-
„ rino, . . quid multis? capti hoſtis ge-
„ nua complector, jumenta ſiſto, frena
„ ligo, ſarcinas ſolvo, quæſitum volumen
„ invenio, produco, lectito, excerpo,
„ maxima ex magnis capita defructans.
„ Tribuit & quoddam dictare celeranti
„ ſcribarum ſequacitas ſaltuoſa compen-
„ dium, qui comprehendebant ſignis,
„ quod litteris non tenebant. „ Atque hac ratione contigit, clandeſtinos Fausti libros Britannis deſtinatos, etiam in Gallia innoteſcere. Quid autem, rogo, Faustum movere potuit, ut libros ſuos Synodorum, ut ait, auctoritate conſcriptos, ipſis illis Epiſcopis occultare niteretur, non niſi in diſſita Provincia publicandos, ſi Leontius Archi-Præſul hanc ipſi Provinciam impoſuit, ſi Epiſcopi epiſtolæ ſubſcripſerunt, ſi utraque Synodus vere celebrata fuit? Nonne ex ipſo occultandi ſtudio roboratur illa ſuſpicio, PROFUNDAM Fauſti CALLIDITATEM in eo fuiſſe repoſi-

tam;

tam; quod & illas epiſtolas, & Epiſcoporum ſubſcriptiones, & geminas Synodos, doloſe confinxerit, quo Semipelagianas opiniones, quaſi Gallicanis Conciliis confirmatas, Britannis ſuis ſecurius & profundius implantaret? Hinc & celeberrimus PETAVIUS in ſuo temporum rationario Tom. II. pag. m. 591. texens catalogum Conciliorum ad an. 475. ſcribere non dubitat: „ Arelatenſe & Lugdunenſe contra gratiæ defenſores: ſed „ duo hæc Concilia a Fauſto Rhegienſi „ ſuppoſita fuere. „

Sunt & alii Viri, qui cum ſibi perſuaderi non patiantur, utramque Synodum FAUSTI impoſtura fuiſſe confictam, Conciliorum illorum exiſtentiam ita propugnant, ut tamen una aſſerant, Epiſcopos qui illis intererant, Semipelagianis partibus fuiſſe addictos, & Auguſtinianam doctrinam condemnaſſe: quod etſi incredibile Cardinali NORISIO videatur, id tamen certum eſt, ad tempora usque Concilii ARAUSICANI an. 529. celebrati plurimos in Arelatenſi & Viennenſi Galliarum Provinciis Maſſilienſium errores foviſſe, hoc ipſo demum, & VALENTINO Concilio, atque auctoritate S. BONIFACII Papæ II. cum anathemate confixos; a quo etiam tempore hæretici judicati ſunt, qui opinionibus illis porro adhæſerunt. In præfatione autem ARAUSICANI illius Concilii a S. COESARIO Arela- 38

 tenſi

tensi congregati, ita inter alia loquuntur Patres. „ Pervenit ad nos esse aliquos, „ qui de gratia & libero arbitrio per simplicitatem minus caute & non secundum „ fidei catholicæ regulam sentire velint. „ Unde id nobis secundum admonitionem „ & auctoritatem Sedis Apostolicæ justum „ ac rationabile visum, ut pauca capitula „ ab Apostolica nobis sede transmissa, „ quæ ab antiquis Patribus de sanctarum „ Scripturarum voluminibus in hac præcipue causa collecta sunt, ad docendos „ eos, qui aliter quam oportet sentiunt, „ ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus: „ quibus lectis, qui hucusque non sicut „ oportebat de gratia & libero arbitrio „ credidit, ad ea quæ fidei catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non „ differat. „ Cum autem, ut doctissimus observat Pagius in critica Baronii ad an. 529. n. 8. Concilii Arausicani auctoritas Semipelagianorum audaciam infringere non potuisset, nonnullis Episcopis damnatæ sententiæ adstipulantibus, Coesarius Arelatensis Metropolita Synodum indixit Valentiam, ut plurium suffragiis catholica doctrina approbaretur, de qua ita refert Cyprianus Diaconus auctor vitæ S. Coesarii apud Vincentium Barrali in chronologia Sanctorum & aliorum illustrium Insulæ Lerinensis parte I. pag. 247. „ Susurris „ & mala interpretatione quorundam obori-

„ tur

„ tur in Galliorum partibus contra prædicationem Dei hominis fruſtra ſuſpicio.
„ Ob hoc Antiſtites Chriſti (Viennenſis
„ Provinciæ) ultra Iſaram conſiſtentes
„ caritatis amore collecti in Valentina ci-
„ vitate conveniunt , ubi etiam beatus
„ Cœſarius infirmitatis cauſa ſolicitans ,
„ ſicut diſpoſuerat , properare non potuit ;
„ miſit tamen præſtantiſſimos Viros de
„ Epiſcopis cum Presbyteris , & Diaconis,
„ inter quos etiam Cyprianus Epiſcopus
„ Antiſtes magnus & clarus enituit , om-
„ nia quæ dicebat de divinis utique ſcri-
„ pturis firmans , & de antiquiſſimis Pa-
„ trum inſtructionibus , nihil per ſe in
„ divinis profectibus quemquam percipe-
„ re poſſe , niſi fuerit primitus Dei gratia
„ præveniente vocatus. „ Utramque Synodum ſua auctoritate firmavit Bonifacius II. a Coesario rogatus , ad quem data epiſtola in hæc verba inter alia reſpondit Tom. VIII. Concil. col. 735. „ In-
„ dicas , quod aliqui Epiſcopi Gallorum ,
„ cum cetera jam bona ex Dei acquieve-
„ rint gratia provenire , fidem tantum ,
„ qua in Chriſto credimus , naturæ eſſe
„ velint , non gratiæ ; & hominibus ex
„ Adam , quod dici nefas eſt , in libero
„ arbitrio remanſiſſe , non etiam nunc in
„ ſingulis divinæ miſericordiæ largitate
„ conferri , poſtulans ut pro ambiguitate
„ tollenda , confeſſionem veſtram , qua vos
„ e diverſo fidem rectam in Chriſto , to-

„ tiusque bonæ voluntatis initium, juxta
„ catholicam veritatem, per prævenientem
„ Dei gratiam ſingulorum definitis ſenſi-
„ bus inſpirare, auctoritate Sedis Apoſto-
„ licæ firmaremus. Atque ideo cum de
„ hac re multi Patres, & præ ceteris
„ beatæ recordationis Auguſtinus Epiſco-
„ pus, ſed & majores noſtri Apoſtolicæ
„ Sedis Antiſtites, ita ratione probentur
„ diſſeruiſſe latiſſima, ut nulli ulterius de-
„ beret eſſe ambiguum, fidem quoque no-
„ bis ipſam venire de gratia &c. Quod
„ etiam fraternitatem tuam habita collatio-
„ ne cum quibusdam Sacerdotibus Gallia-
„ rum juxta fidem gaudemus ſenſiſſe ca-
„ tholicam . . . Unde nimis qui contra
„ ſentiunt, admiramur, usque adeo vetuſti
„ erroris adhuc reliquiis prægravari, ut
„ ad Chriſtum non credant Dei beneficio
„ ſed naturæ perveniri . . . His itaque
„ breviter aſſignatis, contra reliquas Pe-
„ lagiani erroris ineptias, quas illa vide-
„ tur epiſtola continere, quamdam a quo-
„ dam tibi mandaſti Sacerdote transmiſ-
„ ſam, reſpondendum non duximus, quia
„ ſperamus de miſericordia divina, quod
„ ita per miniſterium tuæ fraternitatis at-
„ que doctrinam, in omnium quos diſſen-
„ tire mandaſti, dignabitur cordibus ope-
„ rari, ut ex hoc omnium bonam volun-
„ tatem non ex ſe, ſed ex divina cre-
„ dant gratia proficiſci, cum ſe ſenſerint
„ id jam velle defendere, quod niteban-

„ tur

„ tur pertinaciter impugnare. „ Cum autem ex allegatis teſtimoniis evidens ſit, ſæculo ſexto adoleſcente in Arelatenſi Provinica multos, etiam Epiſcopos, Maſſilienſium opinionibus adverſus S. AUGUSTINUM tunc adhuc fuiſſe adſtipulatos, inde probabile redditur, ſæculo quinto ad finem vergente, quo illæ de gratia & prædeſtinatione quæſtiones maxime fervebant, Semipelagianos Epiſcopos Conciliis Arelatenſi & Lugdunenſi una cum Fauſto ſubſcripſiſſe.

Quidquid autem horum ſit, & ſive FAU- 39
STI dolis confiĉta fuerint illa Concilia, ſive a Semipelagianis vere celebrata, de quo pertinaciter litigare nolim; hoc unum denique, ſi liberalis fuero, Adverſariis concedere poſſum, privatum quemdam Presbyterum prædeſtinatianos errores temere aſſeruiſſe, ac poſtea revocaſſe; quin tamen inde deduci queat, illum integræ ſectæ extitiſſe auctorem, qui nullos ante CALVINUM habuit ſequaces. Si tamen quod ſentio candide proferre debeam, ajo, me hactenus perſuaſum eſſe, omnes illos Prædeſtinatianis imputatos errores, putidas fuiſſe calumnias, a Pelagianis in Auguſtinianæ doctrinæ defenſores contortas; cum nemo ante HINCMARUM, ab auctore *Prædeſtinati* ſeductum, præter ſolos Semipelagianos iſtius hæreſeos unquam meminerit. Dixi, *Pelagianorum calumnias.* Id

enim præter ea, quæ hactenus adduxi, testimonia ulterius firmatur auctoritate S. FULGENTII, qui sæculo sexto circa ipsa ARAUSICANI Concilii tempora Augustinianam doctrinam solidissime propugnavit, & quodam opere deperdito ad EUGYPIUM, cujus fragmentum exstat in epistola HADRIANI I. ad Episcopos Hispaniæ in Codice Carolino n. 97. hæc verba ex sermone cujusdam Pelagiani refert: „ Illi (gratiæ defenso„ res) dum pro se gratiam solam repre„ hensibiliter intromittunt, in se damna„ biliter calcaverunt, qui alios ad vitam, „ alios ad mortem adserunt destinatos. „ Adverte, quibus impietatis se nexibus „ ligant. Si ad bonum prædestinatus sum, „ contra malum resistere necesse mihi non „ erit: si vero ad malum natus, bonum „ mihi exercere nihil proderit. Ac sic in „ utraque parte interclufo appetitu lau„ dis & gloriæ unus securitate, *alius* de„ speratione torpebit, ac per hoc otiabi„ tur justitiæ exercitatio, oratio cessabit, „ languebit operatio. „ Quis non videt, Augustinianam de prædestinatione doctrinam his verbis calumniose impeti, atque in pravum sensum detorqueri? vidit hoc certe S. FULGENTIUS, qui Pelagiano illi in hunc modum occurrit: „ Hæc verba, „ quibus auctor sermonis illius veritatem „ prædestinationis nititur oppugnare, in„ considerate atque indiscrete prolata Deo „ nos adjuvante monstramus. . . . Opera

„ ergo

„ ergo miſericordiæ atque Juſtitiæ præ„ paravit Deus in æternitate incommuta„ bilitatis ſuæ, & ſicut futurorum ope„ rum ſuorum nunquam fuit ignarus, ſic „ in eorundem operum præparatione nun„ quam improvidus. Præparavit ergo Ju„ ſtificandis hominibus merita, præpara„ vit iisdem glorificandis & præmia, Ma„ lis vero non præparavit voluntates ma„ las aut opera mala, ſed præparavit eis „ juſta & æterna ſupplicia. Hæc eſt æ„ terna prædeſtinatio futurorum operum „ Dei . . . Vigilanter autem in doctrina „ Spiritus Sancti prædeſtinatos impios non „ dicit ad peccatum, ſed ad judicium, id „ eſt, non ad impietatem, ſed ad puni„ tionem. Non enim prædeſtinati ſunt „ ad hoc, quod vitioſas impietates ad„ mittunt, ſed ad illud, quod judicio æ„ quitatis divinæ recipiunt. Ipſorum enim „ opus eſt, quod impie faciunt: Dei au„ tem opus eſt, quod juſti recipiunt. „ Ex hoc reſponſo plane perſpicuum fit, quam perverſam in partem Pelagiani doctrinam S. Augustini de gratuita prædeſtinatione verterint, & pravas ſequelas ex eadem deduxerint. Quodſi autem craſſos illos errores Prædeſtinatiani quidam eo tempore docuiſſent, S. Fulgentius eosdem commemorare, atque ab Augustino amoliri, ubi tam opportunam nactus fuerat occaſionem, non utique prætermiſiſſet. Sed & ſynchroni Patres Arausicani poſt dam-

natos Semipelagianorum errores eandem illis solennem objectionem propulsant, & utrum Prædestinatiani aliqui existant, in dubium omnino revocant, qui tamen illis incogniti esse non potuissent. „ Aliquos „ vero, inquiunt Can. 25. ad malum di- „ vina potestate prædestinatos esse non „ solum non credimus, sed etiam, SI SUNT „ qui tantum malum credere velint, cum „ omni detestatione illis anathema dici- „ mus. „ Quæ verba initio Sæculi IX. repetit auctor confessionis fidei Chiffletianæ, quam ALCUINO vindicat MABILLONIUS disquisitione in eandem Analector. pag. m. 491. Et Patres Concilii Valentini III. Can. 3. eodem sæculo IX. Cum quidam GOTESCHALCUM arguerent, quod prædestinatianos errores in Ecclesiam denuo invexisset, S. PRUDENTIUS Trecensis Episcopus libro contra Joannem Erigenam Scotum cap. 4. hanc hæresin unquam exstitisse negat. „ Tertiam vero, inquit, hæresin, quam „ Pelagianis contrariam asseris, qua ita „ donum gratiæ prædicetur, ut libertas „ arbitrii funditus auferatur, nec legimus, „ nec audivimus . . . Nescio, quem elo- „ gio tertiæ tuæ hæreseos denotare vo- „ lueris, nisi B. Augustini dictorum quæ „ præmisimus, imo Catholicorum om- „ nium fideliter veraciterque sequaces: „ Eodem modo FLORUS *Magister* nomine Ecclesiæ Lugdunensis adversus eundem ERIGENAM cap. 4. scribit. „ Secunda hæresis, „ quam

„ quam dicit esse gratiæ solius, quæ sit
„ vel fuerit in Ecclesia, quæ ita prædica-
„ verit sola Dei gratia hominem salvari,
„ ut liberum hominis negaret vel destrue-
„ ret arbitrium, nobis minime compertum
„ tum est. Nam antiquissimi & impiissi-
„ mi illi hæretici Marcion, & Valentinus
„ & Manichæus, qui vel duo vel tria
„ principia induxerunt, nihil omnino de
„ gratia Dei dixerunt, sed solam naturam
„ naturaliter vel bonam esse vel malam,
„ stultissime defendere conati sunt . . .
„ Quæ est ista secunda hæresis tam in-
„ cognita, tam nova & inaudita, quæ li-
„ bero arbitrio denegato solius gratiæ sit
„ prædicatrix? Nisi quia, ut nobis vide-
„ tur, Disputator iste vel beatum Augu-
„ stinum latenter quasi hæreticum accusat,
„ eoquod manifeste juxta veritatem scri-
„ pturarum sola Dei gratia ostendat &
„ doceat hominem posse salvari, nec ad
„ ipsam salutem æternam aliquid huma-
„ num arbitrium posse, nisi per eandem
„ gratiam fuerit reformatum, sanatum, il-
„ luminatum, ac roboratum. Denique ut
„ manifeste agnoscamus, non eum de an-
„ tiquiori aliqua hæresi dixisse, quod so-
„ lius gratiæ fuerit prædicatrix, non po-
„ suit hanc hæresin ante Pelagianam, sed
„ postea, id est a temporibus S. Augusti-
„ ni usque nunc, nec potest inveniri to-
„ to hoc tempore, quod fuit inter illum
„ & nos, aliquam talem hæresin in Eccle-

„ sia

„ sia extitisse, nisi quod vel ipsum, ut „ jam diximus, Beatum Augustinum, vel „ nos qui eum sequimur, istius erroris „ accusat. „ Atque ex istis, quæ hactenus pertractavi, evictum esse confido, nullam nec AUGUSTINI tempore, nec postea, Prædestinatianorum extitisse hæresin, sed fictitios illos errores meras fuisse Massiliensium, aliorumque gratiæ hostium, calumnias, AUGUSTINO, ejusque doctrinæ defensoribus impactas. Superest modo, ut inquiram,

§. IV.

An Prædestinatiana hæresis per Goteschalcum Sæcul. IX. innovata fuerit?

40 De isto crimine diffamatum fuisse Goteschalcum, nemo nescit: habuit tamen & olim & hodie illustres Patronos, qui causam non tam Personæ quam doctrinæ ab eodem propugnatæ egerunt, & AUGUSTINUM in eo condemnatum fuisse conquesti sunt. Quapropter nemo mihi jure succensebit, si post magnos Ecclesiarum Præsules & purpuratos Principes a prædestinatiano errore monachum istum vindicare adgrediar, hujusque adinventionis gloriam CALVINO relinquam. Itaque GOTESCHALCUS, BERNI comitis in Saxonia filius, pro ætatis illius more in Monasterio

Ful-

Fuldenſi ſub RHABANO tunc Abbate educatus, atque Parentum voto monaſticen profeſſus, quod vim ſibi factam fuiſſe quereretur, ab OTGARIO Archi-Epiſcopo in Synodo MOGUNTINA an. 829. celebrata abſolutus fuit, RHABANO ab ea Synodo ad LUDOVICUM pium Imperatorem, ſed incaſſum provocante, quæ omnia conſtant ex epiſtola HATTONIS, ſeu WALDONIS, Abbatis Fuldenſis ad eundem OTGARIUM. Quod autem non tam vitæ religioſæ, quam loci, & forte Abbatis ſui fuerit pertœſus, inde colligitur, quod monachum denuo in Orbacenſi Diœceſis Sueſſionenſis monaſterio induerit, Presbyter etiam a RIGBOLDO Eccleſiæ Rhemenſis Chori-Epiſcopo anno ætatis quadrageſimo ordinatus. Ad apoſtolica deinde limina viſitanda Romam an. 846. profectus, inde in Dalmatiam, Pannoniam atque Noricam Evangelii Barbaris prædicandi gratia abiit, tandem in Lombardiam venit, ubi apud EBRALDUM (Eberhardum) comitem aliquamdiu ſubſiſtens, cum NOTINGO Veronenſi (aliis Viennenſi, Vercellenſi, aut Brixienſi) Epiſcopo de gemina prædeſtinatione electorum ad vitam, & reproborum ad mortem collationem habuit, quam ſi malorum omnium, quæ miſerum hunc monachum deinceps vexarunt, originem dixerim, nihil a vero alienum dixero. NOTINGUS enim, in AUGUSTINI de prædeſtinatione doctrina minus forte exercitatus,

nec

nec GOTESCHALCI mentem ſatis penetrans, cum in comitatu LUDOVICI Germanici RHABANUM jam Archi-Epiſcopum Moguntinum offenderet, & GOTESCHALCI doctrinam referret, auctor eidem fuit, ut edito ſcripto illam confutaret. Ille, priorum forte diſſidiorum memor, facile in ejus vota deſcendit, & opuſculum adverſus imputatum GOTESCHALCO errorem edidit, ad Notingum una cum epiſtola, & alia ad Ebraldum comitem, directum, unde & quid illi monacho vitio datum fuerit, addiſcimus. In præfatione operis ad NOTINGUM hæc ſcribit RHABANUS: „ Nuper „ quando ad Sereniſſimum Imperatorem „ Ludovicum in tranſitu expeditionis ho„ ſtilis in pago Laganæ veniſti, & ibi„ dem mecum locutus de hæreſi, quam „ quidam de Prædeſtinatione Dei inique „ contendunt errantes, & alios in erro„ rem mittentes, ſermonem habuiſti, con„ venit inter nos, ut de divinis & ortho„ doxorum Patrum ſententiis aliquod o„ puſculum conficerem ad convincendum „ errorem eorum, qui de Deo bono & „ juſto tam nequiter ſentiunt, ut dicant, „ ejus prædeſtinationem facere, quod nec „ homo ad vitam prædeſtinatus poſſit in „ mortem incidere, nec ad mortem præ„ deſtinatus ullo modo ſe poſſit ad vitam „ recuperare: cum Auctor omnium re„ rum & conditor naturarum Deus nul„ lius ruinæ atque interitus cauſa ſit,

„ ſed

„ sed multorum origo salutis. „ Et in epistola ad EBRALDUM comitem : „ Quia „ divulgatum in istis partibus constat, „ quemdam sciolum nomine Goteschalcum, „ apud vos manere, qui dogmatizat, quod „ Prædestinatio Dei omnem hominem ita „ constringat, ut etiam si quis velit sal- „ vus fieri, & pro hoc fide recta atque „ bonis operibus certet, ut ad vitam æ- „ ternam per Dei gratiam veniat, frustra „ & incassum laboret, si non est præde- „ stinatus ad vitam : quasi Deus præde- „ stinatione sua cogat hominem interire, „ qui est causa salutis nostræ, non per- „ ditionis. Et jam hinc multos in despe- „ rationem suimet hæc secta perduxit, ut „ ita dicant : *Quid mihi necesse est pro sa-* „ *lute mea & vita æterna laborare? Quia* „ *si bonum fecero, & prædestinatus ad vi-* „ *tam non sum, nihil mihi prodest; si au-* „ *tem malum egero, nihil obest, quia præ-* „ *destinatio Dei me facit ad vitam æternam* „ *pervenire.* Hæc traditio multis in istis „ partibus scandalum est, & prædicatori- „ bus Evangelii homines inobedientes fa- „ cit, quia jam desperantes de semetipsis „ eos reddidit. „ Si cui placet & vacat S. PROSPERI & HILARII ad AUGUSTINUM epistolas evolvere, & cum ista RHABANI objectione conferre; manifeste deprehendet, Massilienses easdem querelas & pravas sequelas AUGUSTINI doctrinæ opposuisse. Vid. Epist. HILARII n. 6. & 7.

Quam-

41 Quamprimum iſtud RHABANI ſcriptum GOTESCHALCO innotuit, aliud eidem oppoſuit, atque iſtam, de qua agebatur, quæſtionem peritiſſimis illius temporis Viris propoſuit, ut LUPO Servato Abbati Ferrarienſi, MARCAUDO Abbati Prumienſi, & cuidam JONÆ nomine, mentem eorum deſuper exquirens, totamque controverſiam ad tria capita revocans: I. De prædeſtinatione ad mortem. II. De voluntate Dei & morte Chriſti ſalvandi omnes. III. De libero arbitrio. In ipſo autem opere, cujus non niſi fragmenta quædam apud HINCMARUM lib. de Prædeſt. cap. 5. ſuperſunt, RHABANUM Semipelagianismi arguit. „ Tandem, inquit, legi librum, „ Venerande Pontifex tuum, in quo po„ ſitum reperi, quod impii quoque ſive „ reprobi non ſint divinitus ad damna„ tionem prædeſtinati . . . Præſcivit, in„ quam illos peſſimum habituros ortum, „ pejorem interitum. Prædeſtinavit au„ tem eos ad luendum perenne tormen„ tum & ſempiternum interitum . . . Quia „ revera ſicut electos omnes prædeſtina„ vit ad vitam per gratuitum ſolius gra„ tiæ ſuæ beneficium, quemadmodum V. „ & N Teſtamenti paginæ manifeſtiſſimum „ præbent ſolerter ac provide conſideran„ tibus judicium; ſic nimirum & repro„ bos quosque ad æternæ mortis præde„ ſtinavit ſupplicium per juſtiſſimum vi„ delicet incommutabilis Juſtitiæ ſuæ ju„ dicium. „

„ dicium. „ Item apud HINCMARUM. cap. 21. „ De quo videlicet libero arbitrio „ quid Ecclesiæ Christi tenendum sit at„ que credendum, cum a ceteris catholi„ cis Patribus evidenter sit, Deo gratias, „ disputatum, cum præcipue contra Pe„ lagianos & Cœlestianos a B. Augustino „ plenius & uberius diversis in opusculis „ & maxime in hypomnesticon esse digno„ scitur inculcatum. Unde te potius ejus„ dem Catholicissimi Doctoris fructuosissi„ mis assertionibus incomparabiliter inde „ malueram niti, quam erroneis opinio„ nibus Massiliensis Gennadii, qui pleris„ que præsumpsit in locis, tam fidei Ca„ tholicæ, quam Beatorum etiam Patrum „ invictissimis auctoritatibus, infelicis Cas„ siani perniciosum nimis dogma sequens, „ reniti. „ Quid de voluntate Dei omnes salvandi senserit GOTESCHALCUS, his verbis in eodem Libello exponit apud HINCMARUM citato opere cap. 24. „ Omnes „ quos vult Deus salvos fieri, sine dubi„ tatione salvantur: nec possunt salvari, „ nisi quos Deus vult salvos fieri: Nec „ est quisquam quem Deus salvari velit, „ & non salvetur; quia Deus noster om„ nia, quæcunque voluit, fecit, ipsi om„ nes itaque salvi fiunt, quos omnes vult „ salvos fieri. „ Denique de morte Chri„sti ait ibidem cap. 27. „ Quod illos om„ nes impios & peccatores, quos pro„ prio fuso sanguine filius Dei redimere

 „ venit,

„ venit, hos omnipotens Dei bonitas ad
„ vitam prædeſtinatos irretractabiliter ſal-
„ vari tantummodo velit: & rurſum illos
„ omnes impios & peccatores, pro qui-
„ bus idem filius nec corpus aſſumpſit,
„ nec orationem, ne dico ſanguinem fu-
„ dit, neque pro eis ullo modo crucifixus
„ fuit, quippe quos peſſimos futuros eſſe
„ præſcivit, quosque juſtiſſime in æterna
„ præcipitandos tormenta præfinivit, ipſos
„ omnes perpetim ſalvari penitus nolit."
Hæc erant GOTESCHALCI dogmata, quæ ſi quispiam in AUGUSTINI ſcriptis paululum exercitatus expendit, facile perſpicit, ex AUGUSTINO eſſe deſumpta, & ab Auguſtinianis hodiedum defendi. Nuspiam ille aſſeruit, quod ei tamen Adverſarii affingunt, prædeſtinationem ad mortem CULPÆ, ſed ad mortem *pœnæ*; non loquitur de voluntate Dei *antecedente*, ſed *conſequente* omnes & ſolos prædeſtinatos ſalvandi. De Paſſione & morte Chriſti ait, eam quoad *efficaciam* & *actualem* a pœnis æternis liberationem ſolis ad vitam æternam prædeſtinatis prodeſſe: quo ſenſu & Chriſtus dixit Joan. XVII. 9. *Pro eis* (electis) *rogo, non pro mundo rogo.* 20. *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum tuum in me.* Et Math. XXVI. 28. *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui* PRO MULTIS *effundetur in remiſſionem peccatorum.*

Quo

Quo vero mentem ſuam clarius expo- 42
nere poſſet, ad initium anni 848. Moguntiam contendit, ut cum RHABANO coram conferret, & ſiniſtram de ſua doctrina conceptam opinionem eidem eximere poſſet. Convocata autem ibidem circa octobrem Synodo congregatis Epiſcopis hanc fidei ſuæ profeſſionem exhibuit: „ Ego „ Goteſchalcus credo & confiteor, pro- „ fiteor & teſtificor ex Deo Patre, per „ Deum filium, in Deo ſpiritu Sancto, „ & affirmo atque approbo coram Deo „ & Sanctis ejus, quod gemina eſt præ- „ deſtinatio, ſive electorum ad requiem, „ ſive reproborum ad mortem: quia ſicut „ Deus incommutabilis ante mundi conſti- „ tutionem omnes electos ſuos incommu- „ tabiliter per gratuitam gratiam ſuam „ prædeſtinavit ad vitam æternam, ſimili- „ ter omnino omnes probos, qui in die „ judicii damnabuntur NB. *propter ipſo-* „ *rum mala merita* idem ipſe incommuta- „ bilis Deus per juſtum judicium ſuum „ incommutabiliter prædeſtinavit ad mor- „ tem ſempiternam. „ Non dicit, Reprobos prædeſtinatos eſſe ad *culpam*, qui error foret prædeſtinatianus, & hodie Calvinianus, ſed ad *pœnam*, & quidem *propter ipſorum mala merita* præſcita fore damnandos. Hoc tamen non obſtante a Moguntina Synodo damnatus, & ad Archi-Epiſcopum ſuum Rhemenſem arcte cuſtodiendus transmiſſus eſt, quod his verbis

 tra-

tradunt annales Francorum Fuldenſes ad an. 848. „ Goteſchalcus Presbyter de „ prædeſtinatione Dei prave ſentiens, & „ tam bonos ad vitam, quam malos ad „ mortem perpetuam inevitabiliter a Deo „ prædeſtinatos eſſe affirmans, in conven- „ tu Epiſcoporum rationabiliter (ut plu- „ rimis viſum eſt) convictus, & ad pro- „ prium Epiſcopum Hincmarum Remos „ transmiſſus eſt, prius tamen juramento „ confirmans, ne in regno Ludovici ul- „ tra rediret. „ Scripſit etiam RHABANUS epiſtolam Synodicam ad HINCMARUM in hæc verba conceptam apud HARDUINUM Tom. V. Concil. col. 15. „ Notum ſit „ dilectioni veſtræ, quod quidam gyro- „ vagus monachus, nomine Goteſchalcus, „ qui ſe aſſerit Sacerdotem in veſtra „ parochia ordinatum, de Italia venit ad „ nos Moguntiam, novas ſuperſtitiones, „ & noxiam doctrinam de prædeſtinatio- „ ne Dei introducens, & populos in er- „ rorem mittens: dicens, quod præde- „ ſtinatio Dei ſicut in bono, ſit ita & in „ malo, & tales ſint in hoc mundo qui- „ dam, qui propter prædeſtinationem Dei, „ quæ eos cogat in mortem ire, non poſ- „ ſint ab errore & peccato ſe corrigere, „ quaſi Deus eos feciſſet ab initio incor- „ rigibiles eſſe, & pœnæ obnoxios in in- „ teritum ire. Hanc ergo opinionem nu- „ per in Synodo apud Moguntiam habi- „ ta ab eo audientes, & incorrigibilem

„ eum

„ eum reperientes, annitente atque jubente piissimo Rege nostro Hludovico, „ decrevimus eum cum periculosa sua doctrina damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis in vestra parochia, „ unde primum inordinate recessit, & „ non sinatis eum amplius errorem docere, & seducere populum Christianum, „ quia jam multos, ut audivi, seductos „ habet, & minus devotos erga suam salutem, qui dicunt: *Quid mihi proderit* „ *laborare in servitio Dei? Quia si prædestinatus sum ad mortem, nunquam illam evadam: si autem male egero, &* „ *prædestinatus sum ad vitam, sine ulla dubitatione ad æternam requiem vado.* Hæc „ ergo paucis vobis scripsimus, intimantes, qualem ejus doctrinam reperimus. „ Vos autem valebitis de ore ejus, quod „ sentit plenius audire, & quid inde agendum sit, plenius decernere. „ Nolim hic, quod alii faciunt, in Synodalis hujus sententiæ æquitatem inquirere, aut RHABANUM præconcepti adversus GOTESCHALCUM odii reum suspicari; hoc unum observo, quod, cum Annales Fuldenses ante relati dicant, eum rationabiliter, ut *plurimis* visum est, convictum fuisse, quod inquam non *omnibus* ita visum sit, nec aliqui defuerint, qui de legitima damnatione dubitaverint. Et certe meliorem in sensum verba GOTESCHALCI accipi potuissent, qui AUGUSTINUM do-

ctrinæ suæ auctorem constanter in ore ferebat.

43 Hincmarus Goteschalci persona potitus, ubi primum commoda se obtulit occasio, in conventu Carisiaco, quo ad placitum regium Episcopi plures cum Abbatibus ineunte anno 849. convenerant, eundem ab officio Sacerdotali depositum, & tamdiu virgis immaniter cœsum, quoadusque libellum e SS. Scripturarum & Patrum testimoniis in defensionem suæ doctrinæ exaratum igni traderet, ad Altivillarensis Monasterii carcerem & perpetuum silentium condemnavit. Hic est autem tenor sententiæ apud Harduinum Tom. V. Concil. col. 20. „ Frater Goteschalce, sacrosanctum Sacerdotalis „ ministerii officium, quod irregulariter „ usurpasti, & in cunctis moribus ac pravis actibus, atque perversis doctrinis eo „ hactenus abuti non pertimuisti, judicio „ Spiritus Sancti, cujus gratiæ munus est „ Sacerdotale officium, per virtutem sanguinis Domini Jesu Christi noveris tibi esse, si quo modo suscepisti, sublatum, & ne ulterius eo fungi præsumas, „ penitus interdictum. Insuper quia & „ Ecclesiastica & Civilia negotia contra „ propositum & nomen monachi conturbare contemnens jura Ecclesiastica præsumpsisti, *durissimis verberibus te castigari*, & secundum Ecclesiasticas regu-

„ las

„ las ergaſtulo retrudi, auctoritate Epi-
„ ſcopali decernimus. Et ut de cetero
„ doctrinale tibi officium uſurpare non
„ præſumas, perpetuum ſilentium ori tuo
„ virtute æterni verbi imponimus. „
Quid de hujus judicii Synodalis rigore, & doctrinæ condemnatione cenſendum ſit, malim Eccleſiæ Lugdunensis, quam meis verbis dare. Ita autem ſcribit in libro adverſus Joannem Scotum in auctuario Biblioth. PP. Tom. II. edit. Pariſ. col. 1075.
„ Tertiam hæreſin ponit prædeſtinationi-
„ bus neceſſitates & vim inferentem. Cu-
„ jus, ut ſibi videtur, auctorem non ta-
„ cet, vocans eum Gotteſchalcanam, a
„ quodam videlicet miſerrimo & infeliciſſi-
„ mo monacho jam dudum (*illic neſcimus*
„ *quo ordine*) (dubitat ergo, num cano-
„ nice) damnato, & annis jam plurimis
„ carcerali ergaſtulo retruſo, nomine Go-
„ teſchalco. Quodſi aliquid tam grande
„ & periculoſum contra fidem catholicam
„ dicere præſumpſit, ut neceſſario Syno-
„ dali judicio *tali ac tanta damnatione* ple-
„ cteretur, profecto dignum fuerat juxta
„ antiquum Eccleſiæ morem, ut tantus error
„ propter cautelæ ſtudium, ne eo plures
„ inficerentur, ceteris Eccleſiis in diver-
„ ſis regni partibus conſtitutis, etſi non
„ initio quando tantum malum eſt depre-
„ henſum, vel in fine, quando *tanta ſe-*
„ *veritate eſt damnatum*, ſaltem poſtea per
„ Litteras Synodicas & Eccleſiaſticas ad

 „ om-

„ omnium fratrum & coepiſcoporum no-
„ titiam perferretur. Quodſi more, ut
„ diximus, Eccleſiaſtico ſemper a Patri-
„ bus obſervato factum fuiſſet, melius
„ nunc ſciremus, & paratiores eſſemus ad
„ redarguenda & convincenda, quæ iſte
„ eum docuiſſe proponit, dicens, eum
„ prædeſtinationibus neceſſitates & vim
„ inferentem &c. „ Et in libro *de tribus epiſtolis* ibidem col. 1182. „ Quod autem
„ in Epiſcoporum contumelias dicitur (Go-
„ teſchalcus) prorupiſſe, vere hoc &
„ impium & inſanum eſt, & omnino ju-
„ ſta ultione damnandum, licet melius ab
„ aliis, quam ab ipſis (id eſt, Epiſcopis,
„ propriam injuriam ulciſcentibus.) De
„ aliis vero ſententiis, quas & antea præ-
„ dicaſſe, & tunc in Synodo propoſuiſſe,
„ nec ullatenus mutare voluiſſe firmatur,
„ ignoſcat nobis unusquisque Lector,
„ ignoſcat etiam reverendus ille *epiſtolæ*
„ ſcriptor (Hincmarus:) quia ſicut
„ jam ſuperius & ex divina & ex Pater-
„ na auctoritate ſatis oſtendimus, videtur
„ nobis ſine dubio, quod illa, quæ (Go-
„ teſchalcus) de divina prædeſtinatione
„ dixit, *juxta regulam catholicæ fidei vera*
„ *ſunt*, & a veridicis Patribus manifeſtiſ-
„ ſime confirmata, nec ab ullo penitus
„ noſtrum, qui Catholicus haberi vult,
„ reſpuenda ſive damnanda. Et ideo
„ in hac re dolemus, non hunc miſerabi-
„ lem, *ſed Eccleſiaſticam veritatem* eſſe dam-
„ natam,

„ natam. In illa autem Apoſtoli ſententia,
„ qua de Deo ait, *qui vult omnes homines*
„ *ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis ve-*
„ *nire*, putamus, eum ſenſum beatiſſimi
„ Patris Auguſtini ab omni ſemper Eccle-
„ ſia venerabiliter recepti, & usque in
„ finem ſæculi recipiendi, ſecutum fuiſ-
„ ſe . . . Et quid ei de re tanta, & poſt-
„ modum ab Epiſcopis debuerit condem-
„ nari, ſed & de ipſis flagellis & cædi-
„ bus, quibus ſecundum regulam ſancti
„ Benedicti dicitur adjudicatus, quibus
„ & omnino fertur *atrociſſime & absque*
„ *ulla miſericordia pene usque ad mortem di-*
„ *laceratus*, quæ moderatio & menſura
„ juxta pietatem probabilius videatur,
„ manifeſtat. Cujus omnino veridicum
„ ſenſum non oportuit ſub perſona ali-
„ cujus hominis a Catholicis Dei Sacer-
„ dotibus condemnari; ne jam non iſte,
„ qui errare putatur, ſed ille potius, cu-
„ jus authoritatem ſequitur, hæreticus eſ-
„ ſe judicetur. „ Hæc Eccleſia Lugdu-
nensis, ſanam omnino Goteschalci do-
ctrinam cenſens, illamque male fuiſſe con-
demnatam, judicans.

Goteschalco hunc in modum ad carce- 44
rem monaſticum detruſo, Hincmarus per
litteras Prudentium Trecenſem Epiſcopum
conſuluit, utrum eundem in cœna Domini
vel in Paſcha ad audiendum ſacrum officium,
vel accipiendam communionem admittere

debeat? Quæ ſane ſupervacua fuiſſet interrogatio, ſi vel ipſe HINCMARUS eum pro hæretico, & excommunicato habuiſſet. Inter hæc autem & epiſtolam dedit ad GOTESCHALCUM cum confeſſione fidei ſubſcribenda in hunc fere modum: „ Deum „ & bona præſcire & mala: ſed mala tan„ tum præſcire, bona vero & præſcire „ & prædeſtinare. Unde præſcientia eſſe „ poteſt ſine prædeſtinatione: Prædeſtina„ tio autem eſſe non poteſt ſine præ„ ſcientia: & quia bonos præſcivit & „ prædeſtinavit ad regnum; malos autem „ præſcivit tantum, non prædeſtinavit, „ nec ut perirent, ſua præſcientia compu„ lit. „ Ut igitur infelix iſte monachus mentem & doctrinam ſuam uberius declararet, geminam edidit fidei profeſſionem, prolixiorem unam, breviorem alteram. In illa profitetur, *Deum non prædeſtinaſſe ad peccatum & ad malum*, ſed *ſolum* ad bonum, idque geminum, quorum unum ſunt beneficia ſuæ gratiæ, alterum effectus ſuæ juſtitiæ, illum electos ſuos gratuito prædeſtinaſſe ad vitam æternam, & dæmones quoque ac reprobos prædeſtinare ad mortem æternam. Quam doctrinam firmat ſequelis e Scriptura S. & Patrum, præſertim AUGUSTINI, FULGENTII, GREGORII M. & ISIDORI deſumptis. Addit, hanc prædeſtinationem in ſe quidem unam eſſe, licet ad duplex objectum referatur; quemadmodum Charitas Dei & proximi

una

una est, ad duplex objectum ordinata. Se autem hæreticum non esse, ostendit ex definitione hæretici a CASSIODORO tradita. Ille enim Auctori isti hæreticus est, qui per ignorantiam aut contemptum legis divinæ novum defendit errorem, aut veteri adhæret: se vero nihil defendere asserit, quod Scripturæ S. & SS. Patrum doctrinæ conforme non sit, ideoque definitionem hæretici nequaquam sibi convenire. Denique ad demonstrandam doctrinæ suæ veritatem se ultro offert & provocat *ad probationem vulgarem*, illo adhuc ævo usitatam. Ita illa apud DU PIN *Bibliotheque des auteurs Ecclesiast.* Tom. VII. pag. 13. In illa autem breviore „ credo, „ inquit, & confiteor, Deum omnipotentem „ & incommutabilem præsciisse & „ prædestinasse Angelos sanctos, & ho- „ mines electos ad vitam gratis æternam: „ & ipsum diabolum caput omnium dæ- „ moniorum cum omnibus Angelis suis „ apostaticis, & cum ipsis quoque homi- „ nibus reprobis, membris videlicet suis, „ *propter præscita certissime ipsorum propria* „ *futura mala merita*, prædestinasse pari- „ ter per justissimum judicium suum, in „ mortem merito sempiternam. „ Ecce manifestam professionem prædestinationis, non ad *culpam*, sed ad *pœnam*, & quidem *propter prævisa mala reproborum merita.* An ita Prædestinatianus aut Calvinianus loqui potuit? Sed & ipsi HINCMARO, odio

licet

licet adverſus GOTESCHALCUM abrepto, vis veritatis hæc verba extorſit lib. de prædeſt. cap. 15. *Dicunt Goteſchalcus & ejus affines*: PRÆDESTINAVIT DEUS REPROBOS AD INTERITUM NON PECCATUM.

45 Quid poſt illuſtre hoc teſtimonium requiri amplius poterat ad demonſtrandam integritatem doctrinæ, ab illo monacho poſt AUGUSTINUM aſſertæ? Nihilominus Natalis ALEXANDER diſſert. V. ad ſæc. IX. §. V. pag. m. 310. fingit, GOTESCHALCUM in gemina illa profeſſione errorem ſuum callide ac fraudulenter diſſimulaſſe, quo reprobos prædeſtinari non tantum ad pœnam, ſed etiam ad culpam propugnaverat in Germania. Suſpicionem hanc ſuam inde firmare nititur; quod AMOLO Archi-Epiſcopus Lugdunenſis in epiſtola ad GOTESCHALCUM varios eidem errores, & effuſas in Epiſcopos, Judices ſuos, calumnias exprobret, quarum nulla eſt mentio in gemina fidei confeſſione, quos adeo aliis libellis in carcere ſcriptis inſertos fuiſſe neceſſe eſt. Atvero, quis demum innocens erit, ſi unicuique liceat, internas de aliquo oppreſſo fraudes & technas temere ſuſpicari? De manifeſtis, non de occultis judicium ferendum eſt. Ad AMOLONEM quod attinet, ſunt, qui aſſerere non verentur, aliena ſub GOTESCHALCI nomine ab HINCMARO ſubpoſita ſcripta ad eundem tranſmiſſa fuiſſe, quo Cariſiacæ ſententiæ

æqui-

æquitas monſtraretur. Qui HINCMARI, *cui fallere & falli proclive fuit*, ut ait SIRMONDUS diſſert. de duobus Dionyſiis cap. 4. Qui, inquam, aſtuti & imperioſi hujus Præſulis genium novit, haud difficilem Viris illis aſſenſum præbebit. Legantur, quæ ipſe ALEXANDER de eodem ſcripſit diſſertatione VI. ſeq. in cauſa ROTHADI, VUULFADI & HINCMARI Laudunenſis, ejus arrogantia crudeliter ſuppreſſorum. Qui apoſtolicas BENEDICTI III. Litteras corrumpere non eſt veritus, ut videre eſt apud BARONIUM ad an. 855. n. 14. ſeq. ad an. 863. n. 64. ſeq. Qui cum aliis Galliæ Epiſcopis zeli & invidiæ facibus accenſus Rothaldo Venerabili Viro (Sueſſionis Epiſcopo) inſultans, & per octo circiter annos quemadmodum illum proprio privaret Epiſcopatu, judicio meditatus eſt, ut ſcribit NICOLAUS I. R. P. apud Baron. an. 865. n. 88. an incredibile videatur, ut & falſa quædam ſcripta miſerrimi Monachi nomine ſubſtitueret, illiusque doctrinam, ab illuſtribus Patronis defenſam, apud alios diffamaret, ſuamque crudelitatem hoc pallio operiret? „ O Livor, exclamat BARONIUS loco nunc „ primum allegato, omnium virtutum „ exitium, atque vitiorum cunctorum au- „ ctor atque nutritor. Hincmarus iſte . . . „ ubi ſemel ſui oblitus, fraterno infectus „ eſt odio, omnis in eo mox pulchritu- „ do ex virtutibus florens emarcuit &

„ ex-

„ exſiccata penitus excidit, atque omnem „ ſimul deformitatem ſuperinduxit, adeo ut „ nihil eo turpius excogitari potuerit &c. „ Dolos ejusdem, faſtum, atque aſtutiam in depravandis Apoſtolicæ Sedis Litteris hunc in modum reprehendit NICOLAUS I. R. P. apud BARONIUM ad an. 866. n. 57. ſeq. „ Ipſe (Hincmarus) hujus tenoris „ circumſtantiam de collati privilegii textu „ excipiens & noſtræ viſioni ſubduxit, & „ aliorum notioni ſubtraxit. Interſerens in- „ ſuper quæ idem ſummus Pontifex aut nun- „ quam, aut aliter ſanxerat.... Frater vero „ Hincmarus quædam addens, plura ſubtra- „ hens, vel commutans, aliter perſecutus „ eſt. Sed adhuc & in alio mira fratris „ Hincmari rurſus accedit ASTUTIA; & „ ſoli proprio voto favens ſe immiſcet „ prudentia... ſed ille quæ horum ſuo „ libitui favere conſpexit, omnium noti- „ tiæ patefecit, quæ autem Sedi ſunt A- „ ſtolicæ reſervata jura; cunctorum no- „ tioni ſubduxit &c. „ Quodſi ergo ar- rogans iſte Præſul, qui ignorare non po- terat, Apoſtolicarum Litterarum exempla- ria priſco Eccleſiæ Romanæ more in re- geſtis reſervari, & corruptionem facile de- prehendi, adeo tamen exiſtimationem ſuam prodere non erubuit, ut depravatam epi- ſtolam Romanæ Sedi pro confirmatione transmitteret. Quis porro mirabitur, ſimile facinus eundem adverſus monachum miſere oppreſſum, qui tam facile ſe purgare non pote-

poterat, tentare voluisse? Quid, quod ipse HINCMARUS dissimulare non audeat, tumorem, dolositatem, atque crudelitatem a NICOLAO I. sibi fuisse objectam; ita enim rescribit ad Pontificem epist. 26. „ *Mo-*
„ *do cum tumore, quem quantum potui ab*
„ *ineunte ætate vitavi, dolositate, atque cru-*
„ *delitate apud Sanctam atque prudentissimam*
„ *simplicitatem vestram videor denotari.* „
Bona verba! sed contrarium cum multis expertus est RHOTADUS Episcopus Suessionensis, qui licet ordinarius esset Goteschalci Judex, conventui tamen Carisiaco interesse noluit, quod prævideret, Monachum istum & veritatem in eo opprimendum fore, ut ex FLODOARDO Lib. III. Histor. Rhemens. observat Constantinus RONCAGLIA in animadversionibus ad citatam ALEXANDRI Dissertationem de GOTESCHALCO. Præterea autem haud difficile mihi foret, si præsentis instituti ratio pateretur, etiam illa a GOTESCHALCO abstergere, quæ AMOLO in eodem reprehendenda censuit; ejus tamen sensum, uti videtur, haud satis perspexit. Sed pergendum mihi est ad reliqua.

Post editas a GOTESCHALCO fidei suæ 46
professiones supra commemoratas, metuens HINCMARUS, ne plures, præsertim ex ordine monastico, doctrinæ illius subscriberent, ejusque causam defendendam susciperent, opusculum adversus eundem scripsit,

psit, reclusis suæ Diœceseos destinatum; quod statim RATRAMNUS Corbejensis monachus impugnavit. Pro eodem GOTESCHALCO velut Augustinianæ doctrinæ assertore, scripserunt etiam PRUDENTIUS Episcopus Trecensis, & LUPUS SERVATUS Abbas Ferrariensis, ac iterum RATRAMNUS, editis Jussu CAROLI Calvi duobus libris *de Prædestinatione*, in quorum altero luculentissimis S. AUGUSTINI testimoniis demonstrat, reprobos ad interitum, & pœnas æternas esse *prædestinatos*: quæ assertio GOTESCHALCO tantam apud RHABANUM & HINCMARUM invidiam, verbera, carcerem conflaverat. Lepidum mihi videtur, quod ait P. ALEXANDER cit. dissert. §. 6. pag. m. 320. RATRAMNUM Prædestinatianorum & GOTESCHALCI errori non favisse, quia negat, prædestinationem Reprobos constringere necessitate pereundi, aut eos ad peccatum a Deo prædestinari. Quasi vero GOTESCHALCUS hoc unquam affirmasset, aut ab illo assertum fuisse, ALEXANDER hactenus demonstrasset. Quodsi etiam affirmavit, Reprobos *necessario* damnari, nec posse salutem consequi; de immutabilitate Decreti divini, præsupposita peccatorum præscientia, de *certitudine* effectus, & de necessitate *consequente* facillime exponitur. RATRAMNUS ipse pravæ huic sequelæ, quam seu imperiti, seu malevoli e prædestinatione ad interitum deduxerant, hoc modo occurrit, & GOTESCHALCUM a

calum-

calumnia liberat. „ Sed quoniam , ait, „ nonnulli fortassis, cum audiunt iniquos „ ad pœnam prædestinatos , arbitrantur „ quadam necessitate ad eam trahi, nec „ ab hac necessitate aliquomodo posse mu- „ tari ; non inconveniens nobis videtur, „ manifestius id patefieri, ut prædestina- „ tio malorum ad pœnam doceatur, nec „ tamen ideo ad eam perveniant, quia „ prædestinati sunt, sed causa perventio- „ nis ex culpa sit delinquentis, non ex „ necessitate prædestinantis (quasi vim in- „ ferentis.) Sicut enim iniqui, quia præ- „ destinati sunt ad pœnam, non idcirco „ prædestinati sunt ad peccatum : unus- „ quisque enim propria concupiscentia vi- „ ctus trahitur ad peccandum : ita & qui „ peccant, propterea quia peccatores præ- „ sciti sunt, nec pro peccatis pœnitentiam „ gessuri, idcirco ad pœnam prædestinati „ sunt. „ Nihil plane aliud in gemina Goteschalci confessione legere est.

Prudenti & Ratramni libros Imperator 47 Hincmaro, & Pardulo Laudunensi examinandos submisit, qui Amalarium Diaconum Trevirensem, & Joannem Scotum Erigenam excitarunt, ut Goteschalco, ejusque defensoribus sese opponerent. Periit ille Amalarii liber ; exstat autem ille Joannis Scoti infelix sane partus, erroribus & paradoxis scatens innumeris, qui excerpti leguntur apud Alexandre Dissert.

XIV. §. IV. ad ſæc. IX. pag. m. 479. Ubi primum igitur ad manus WENILONIS Archi-Epiſcopi Senonenſis pervenit, varias inde collegit propoſitiones erroneas, & ad PRUDENTIUM Epiſcopum Trecenſem miſit confutandas, quod etiam exſecutus eſt. Cum autem & ad Eccleſiam LUGDUNENSEM erroneæ SCOTI propoſitiones fuiſſent delatæ, FLORUS Eccleſiæ illius Diaconus, dictus *Magiſter*, qui jam antea in quodam ſermone gratuitam prædeſtinationem ad gloriam aſſeruerat, & GOTESCHALCUM ex obliquo ſugillaverat, Eccleſiæ ſuæ nomine librum adverſus JOANNEM Scotum edidit, unde jam ſupra n. 39. & 43. pro GOTESCHALCI innocentia quædam teſtimonia exſcripſi. Eodem fere tempore AMOLO Lugdunenſis Archi-Epiſcopus epiſtolam, de qua ſupra n. 45. ad GOTESCHALCUM dedit, ubi, quæ ſibi in ejus ſcriptis diſplicent, ad quinque capita revocat. I. Quod diceret: *Neminem perire poſſe Chriſti ſanguine redemptum.* Quæ quidem propoſitio intellecta de potentia cum actu conjuncta, veriſſima eſt; eoquod finalis perſeverantiæ donum, Prædeſtinatis proprium, eos certiſſime, ex AUGUSTINO, ſalvari faciat. Hæc propoſitio etiam Maſſilienſibus diſplicuerat. II. Quod diceret: *Veriſſima & Sacratiſſima Eccleſiæ Sacramenta, videlicet Exorciſmi & Baptiſmi, Chriſmatis & Euchariſtiæ, ac manus impoſitionis, perfunctorie & fruſtratorie omnibus, qui poſt perceptionem*

eorum

eorum pereunt, dari, dum eos ſanguine Chriſti, ſine quo ipſa myſteria, jam non myſteria, ſed quædam veluti vacua & inania ludibria ſunt habenda, redemptos negas. Hæc exprobratio mihi potius cavillatio, quam genuina GOTESCHALCI aſſertio videtur; ex eo enim, quod Reprobos Chriſti ſanguine redemtos negaret, *redemptione* videlicet *perfecta* ab æterna morte, Adverſarii inferebant, quod Sacramentis a Reprobis perceptis, virtutem ineſſe denegaret. Hoc ipſum AUGUSTINO objicit Auctor *Prædeſtinati.* hæreſi XC. cap. VI. & VII. ſupra n. 2. Quodſi autem GOTESCHALCUS vere id aſſeruit; mens illius hæc eſſe potuit, quod Reprobis Sacramenta nihil *effective* proſint ad perfectam & æternam eorum ſalutem, quia gratiam Sacramenti perceptam libere peccando denuo perdunt, & in peccato perſeverantes, æternum pereunt, nullo meritorum Chriſti fructu ad eos amplius pertingente. Supereſſent modo illa GOTESCHALCI ſcripta! facilius deſuper judicium ferri poſſet, quam ubi ſola fragmenta ab ejus Adverſariis truncata, aut avulſa oſtenduntur. III. Quod diceret, *Parvulos & adultos baptizatos, qui ſunt de Reproborum numero, Eccleſiæ Chriſti non eſſe inſertos.* Intelligo, vel de Eccleſia *electorum*; vel, quod non ſint inſerti ut membra *ſtabilia*, quippe aliquando ſeparanda. IV. Quod de prædeſtinatione loquens diceret: *Dæmones & Reprobos ita*

ad damnationem esse prædestinatos, ut nullus eorum salvari queat. Hanc assertionem horribilem in Deum blasphemiam, & impietatem arbitratur, quæ necessitatem peccandi imponit. Est idem a contrario sensus, ut in Propositione I. procul ab omni blasphemia. Sola enim voluntas Dei *consequens*, qua tamen salutem Reproborum non decrevit, infallibiliter impletur, & qui prædestinati non sunt, in AUGUSTINI principiis, propter eorum præscita mala merita, libere commissa, necessitate *consequente* damnantur. V. Quod diceret, *Damnatos tam irrevocabiliter & incommutabiliter perditioni esse prædestinatos, sicut Deus ipse incommutabilis & inconvertibilis est, & Episcopos quasi misericorditer adhortetur, ut hoc prædicent populis, ut qui jam præfinitam damnationem evadere non possunt, saltem aliquantulum Deo supplicent, & humilientur, ut statutas eis vel modicum mitiget & læviget pœnas.* Prior propositionis pars verissima est. Decretum enim Dei, seu, Deus ipse decernens, immutabilis & invariabilis est, & cum ex AUGUSTINO certus & determinatus sit numerus electorum; nullus ei jam additur, nullus inde demitur. Altera pars, si vere GOTESGHALCI est, & non potius eidem fraudulenter afficta, imprudentissime prolata, quam nemo sanus tuebitur, sed & nemo, præter AMOLONEM eidem exprobravit. VI. Quod diceret, *Deum & Sanctos gavisuros de æterna*

terna Reproborum damnatione: cum dici potius debeat, Deum gavisurum IN *eorum, non autem* DE *eorum perditione; utpote qui non delectatur de eorum malitia, sed de propria sua Justitia.* Quis hic denuo cavillus? Gaudet Deus *de* & *in* æterna beatorum salute, ceu effectu suæ Misericordiæ præmiantis: & cur non gaudeat *de* & *in* punitione peccatorum, tanquam effectu suæ Justitiæ vindicantis? Neque etiam vero simile est, GOTESCHALCUM dixisse, quod Deus de Reproborum peccato, ad quod illos prædestinari, nunquam asseruit. VII. Quod Episcopos injuriis, conviciis & maledictis laceraret, & per contemptum Hæreticos ac Rhabanicos compellaret: quod suam ab Ecclesia separationem tam parum curaret, atque sibi soli sapere vellet. Aliud, fateor, christiana modestia, & humilitas Benedictina gradu quarto humilitatis eidem imperare debuerat. Quodsi etiam excommunicationis sententiam injuste in se latam arbitratus est; oportebat patienter sufferre, & ab omni vindicta atque calumniis abstinere: si tamen vere in Episcopos, Judices suos illas evomuit, & non potius HINCMARUS, ille plurimarum falsitatum convictus artifex, eas eidem adfinxit. Verum ista non ad doctrinam GOTESCHALCI, quam innoxiam, licet perverse intellectam, fuisse existimo, sed ad ejus mores pertinent, quos defendendos non suscipio.

48 Videns itaque HINCMARUS, AMOLONEM a partibus GOTESCHALCI minime ſtare, opportunum judicavit, ut ad Eccleſiam LUGDUNENSEM errores ejus perſcriberet, eorumque damnationem ab eadem impetraret. Ad quinque autem capita illos revocat. I. „ Quod ante omnia ſæcula Deus, „ quos voluit, prædeſtinavit ad regnum, & „ quos voluit, prædeſtinavit ad interitum. „ II. Et qui prædeſtinati ſunt ad Regnum, „ perire non poſſunt. III. Et quod Deus „ non vult omnes homines ſalvos fieri, „ ſed eos tantum, qui ſalvantur, & quod „ dicit Apoſtolus : *Qui vult omnes homi-* „ *nes ſalvos fieri*, illos dici *omnes*, qui tan- „ tummodo ſalvantur. IV. Et Chriſtus „ non venit ut omnes ſalvaret, nec paſſus „ eſt pro omnibus, niſi ſolummodo pro „ his, qui paſſionis ejus ſalvantur myſte- „ rio. V. Et poſtquam primus homo li- „ bero arbitrio cecidit, nemo noſtrum ad „ bene agendum, ſed tantummodo ad ma- „ le agendum libero poteſt uti arbitrio. „ Huic epiſtolæ & aliam addidit PARDULI Epiſcopi Laudunenſis, & illam RHABANI ad NOTINGUM, flagitans, ut quid Eccleſia LUGDUNENSIS de eadem re ſentiret, vere & fideliter reſpondere vellet.

49 REMIGIUS, in ſede Lugdunenſi AMOLONIS interea defuncti ſucceſſor, receptis prædictis epiſtolis, Eccleſiæ ſuæ nomine libro *de tribus opuſculis* reſpondit : ubi primum *incredibile* ſibi videri aſſerit, quod

GOTE-

Goteschalcus prædicationis ſuæ apud Infideles exordium a difficillima illa de prædeſtinatione quæſtione fecerit, quod ei tamen ab Hincmaro fuerat exprobratum. Deinde vero ſepoſita miſeri monachi Perſona, & præmiſſis ſeptem Regulis, ſecundum quas propoſitæ quæſtiones examinandas eſſe indicat, doctrinam S. Augustini ac infallibilitatem præſcientiæ, & prædeſtinationis defendit. Quantum autem ad duas priores Goteschalci propoſitiones attinet, easdem non improbat, ſed propter miſerabilis monachi importunam levitatem, non ideo divinam veritatem eſſe negandam cenſet, „ Quia juxta „ præmiſſam catholicæ fidei veritatem Omnipotens Deus ante conſtitutionem mundi, certis & juſtis atque immutabilibus „ cauſis æterni conſilii ſui quosdam prædeſtinaverit ad regnum gratuita bonitate ſua, ex quibus nemo ſit periturus „ protegente miſericordia ſua, & quosdam prædeſtinaverit ad interitum juſto „ judicio ſuo, propter meritum quod „ præſcivit impietatis eorum. Ex quibus nemo poſſit ſalvari; non propter „ violentiam aliquam divinæ poteſtatis: „ ſed propter indomabilem & perſeverantem nequitiam propriæ iniquitatis. Quod ad *Tertiam* de Voluntate „ Dei omnes ſalvandi, difficilem quæſtionem agnoſcit, quadruplicem tamen ejusdem ſenſum e SS. Patribus eruit. I.

 „ Quod

„ Quod τὸ *omnes*, in hoc loco accipiatur
„ pro generibus ſingulorum, non pro ſin-
„ gulis generum. 2. Pro omnibus ſal-
„ vandis, eoquod nullus, niſi a Deo ſal-
„ vetur. 3. Quod Deus faciat omnes ho-
„ mines velle ſalvari. 4. Quod velit om-
„ nes ſalvos fieri bonitate *creatoris*, qui
„ creaturam bene a ſe conditam perire
„ non vult; nolit eam tamen ſalvari æ-
„ quitate *Judicis*, qua eandem creaturam
„ ſuam vel originali vel etiam actuali pec-
„ cato vitiatam, impunitam eſſe non ſinit.
„ *Quartam* quæſtionem de morte Chriſti
„ pro omnibus, quamvis eam maluiſſet
„ intactam relinqui, ſub diſtinctione reſol-
„ vit, & in reconciliatione mundi per
„ Chriſtum quatuor hominum ordines di-
„ ſcernendos eſſe ſtatuit. *Primum* Electo-
„ rum, quorum nullus perire poteſt. *Se-*
„ *cundum* fidelium, quibus accepto *rite*
„ baptiſmo peccata fuerunt remiſſa per
„ gratiam, in qua tamen non perſeverant.
„ *Tertium* eorum infidelium, qui ad gra-
„ tiam adhuc miſericorditer ſunt vocandi.
„ *Quartum* eorum, qui in ſua infidelitate
„ conſtanter perſeverant, & qui nec fina-
„ lem, nec temporalem gratiam (effica-
„ cem) unquam recipiunt. Pro *tribus*
„ prioribus fatetur, & probat, Chriſtum
„ mortuum fuiſſe, non autem *proprie* lo-
„ quendo, & quantum ad *efficaciam*, pro
„ *quarti* ordinis hominibus; eoquod Paſ-
„ ſionis Chriſti meritum illis *efficaciter* non

„ appli-

„ applicatur. Permittit tamen pro bono
„ pacis, ut & illa toleretur Patrum quo-
„ rumdam locutio, Chriſtum pro illis
„ etiam poſtremi ordinis infidelibus mor-
„ tuum fuiſſe, nempe quantum ad pretii
„ oblati *ſufficientiam*. Ad *Quintam* denique
„ aſſertionem incredibile ſibi videri ait,
„ ut homo inter fideles & a fidelibus nu-
„ tritus & eruditus, & in Eccleſiaſtico-
„ rum Patrum ſcriptis non parum exer-
„ citatus, hoc dicere vel ſentire potuerit,
„ quod poſt primi hominis lapſum, ne-
„ mo etiam fidelium ad bene agendum li-
„ bero poſſit uti arbitrio, ſed tantum ad
„ male agendum Si enim dixiſſet
„ generaliter, *nemo hominum*, & addidiſſet,
„ *ſine gratia*, & ita ſubjungeret : *libero*
„ *bene uti poteſt arbitrio*, eſſet catholicus
„ ſenſus & catholica omnino aſſertio . . .
„ NB. Quod genus erroris nec apud hæ-
„ reticos, nec apud quemquam catholico-
„ rum nos cognoviſſe vel audiiſſe memini-
„ mus, ita ut etiam de iſto hoc nobis,
„ ut jam diximus incredibile videatur. „
Vid. Biblioth. PP. Auctuarii Tom. II. cit. edit. col. 1179. Mirari hic iterum ſubit P. Alexandri ingenium, dum cit. Diſſert. §. VII. pag. 332. ait, Lugdunenſem Eccleſiam Goteschalco errore facti fuiſſe patrocinatam, quia exiſtimabat, ipſum ita Prædeſtinationem ad pœnam admiſiſſe, ut ad culpam prædeſtinatos eos negaret, aut aliquam perditionis eorum cauſam in Deo

 eſſe,

esse, aut ipsis pereuntibus necessitatem Divina prædestinatione ita imponi, ut salvari non possent. Atque GOTESCHALCUS sæpius professus est, ipso fatente HINCMARO (n. 44) Reprobos ad culpam non prædestinari; illos *justo* Dei judicio (non absoluto dominio) propter prævisa eorum peccata ad interitum prædestinari. Nempe omnes GOTESCHALCI Patroni errore facti decepti sunt: solus RHABANUS & HINCMARUS, ille notorius tot fraudum artifex, *cui fallere & falli proclive fuit*, nullo errore labi, nulla passione aut præjudicio abripi potuerunt!

50 Istud LUGDUNENSIS Ecclesiæ Responsum cum ad vota HINCMARI non esset comparatum, ut præconceptam suam stabiliret opinionem, in conventu CARISIACO II. an. 853. ex aliquot Episcopis & Abbatibus conflato, famosa illa quatuor capitula Imperatori proposuit, ejus etiam auctoritate firmata, quorum hic est tenor apud HARDUINUM Tom. V. Concil. col. 18.

„ I. *Quod una tantum sit prædestinatio*
„ *Dei.* Deus omnipotens hominem sine
„ peccato rectum cum libero arbitrio con-
„ didit, & in paradiso posuit, quem in
„ sanctitate Justitiæ permanere voluit. Ho-
„ mo libero arbitrio male utens peccavit
„ & cecidit, & factus est massa perditio-
„ nis totius humani generis. Deus au-

„ tem

„ tem bonus & juſtus elegit ex eadem „ maſſa perditionis, ſecundum præſcien- „ tiam ſuam, quos per gratiam prædeſti- „ navit ad vitam, & vitam illis prædeſti- „ navit æternam. Ceteros autem, quos „ Juſtitiæ judicio in maſſa perditionis re- „ liquit, perituros præſcivit, ſed non ut „ perirent, prædeſtinavit, pœnam autem „ illis, quia juſtus eſt, prædeſtinavit æ- „ ternam. Ac per hoc unam Dei præde- „ ſtinationem tantummodo dicimus, quæ „ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad „ retributionem Juſtitiæ.

„ II. *Quod liberum arbitrium per gratiam* „ *ſanetur.* Libertatem arbitrii in primo „ homine perdidimus, quam per Chriſtum „ Dominum noſtrum recepimus, & ha- „ bemus liberum arbitrium ad bonum præ- „ ventum & adjutum gratia; & habemus „ liberum arbitrium ad malum, deſertum „ gratia. Liberum autem habemus arbi- „ trium, quia gratia liberatum, & gratia „ de corrupto ſanatum.

„ III. *Quod Deus omnes homines velit ſal-* „ *vos fieri.* Deus omnipotens omnes ho- „ mines ſine exceptione vult ſalvos fieri, „ licet non omnes ſalventur. Quod au- „ tem quidam ſalvantur, ſalvantis eſt do- „ num: quod autem quidam pereunt, „ pereuntium eſt meritum.

„ IV.

„ IV. *Quod Christus pro omnibus homini-
„ bus passus sit.* Christus Jesus Dominus
„ noster, sicut nullus homo est, fuit, vel
„ erit, cujus natura in illo assumpta non
„ fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit ho-
„ mo, pro quo passus non fuerit; licet
„ non omnes passionis ejus mysterio re-
„ dimantur. Quod vero omnes passionis
„ ejus mysterio non redimuntur, non re-
„ spicit ad magnitudinem & pretii copio-
„ sitatem, sed ad infidelium & ad non
„ credentium ea fide, quæ per dilectio-
„ nem operatur, respicit partem. Quia
„ poculum humanæ salutis, quod confe-
„ ctum est infirmitate nostra & virtute di-
„ vina, habet quidem in se ut omnibus
„ prosit, sed si non bibitur, non mede-
„ tur. „

51 An PRUDENTIUS Trecensis Episcopus Synodo huic interfuerit, & subscripserit, quod affirmat HINCMARUS, negant alii. Quæstio est huc parum faciens, cui me immiscere nolim. Id autem certius; quod cum Concilio SENONENSI pro eligendo Episcopo Parisiensi eodem anno celebrato per infirmitatem adesse non posset, ARNOLDO Presbytero vices suas demandaverit, & tractoriam ad Synodum scripserit epistolam apud HARDUINUM Tom. V. col. 1446. Ubi non aliter electioni se consentire protestatur, nisi electus quatuor capitulis a se transmissis, quibus Ecclesia Catholica adversus

verſus Pelagium ejusque hæreſeos ſequaces pugnavit ac vicit, & quæ Carisiacis illis erant oppoſita, conſentiret. I. Quod liberum arbitrium in Adam inobedientiæ merito amiſſum ita per Chriſti gratiam fuerit reparatum, ut tamen ſine ea nihil boni (ad ſalutem) agere, cogitare, aut velle poſſimus. II. Quod Deus aliquos ſola miſericordia ad vitam æternam, reliquos juſto judicio ad damnationem prædeſtinaverit. III. Quod ſanguis Chriſti pro omnibus in eum credentibus, non autem pro incredulis fuſus ſit. IV. Quod Deus omnes ſalvet, quos ſalvare voluerit, nemo autem ſalvari poſſit, niſi quem ipſe ſalvaverit.

Prædicta quatuor capitula Carisiaca 52
quamprimum ad Eccleſiam Lugdunensem delata fuerunt, ejusdem Sedis ArchiEpiſcopo Remigio a Priorum Patrum, Augustini præſertim, ſenſu adeo recedere viſa ſunt, ut illa ſtatim Eccleſiæ ſuo nomine confutaret, edito libro *de tenenda veritate Scripturæ*, in Biblioth. PP. auctuar. Tom. II. pag. 1221. Ubi mox a principio dolet, quosdam contempta veritate Scripturarum SS. calcata auctoritate Patrum, præſumere de rebus ad fidem pertinentibus ex proprii ſenſus temeritate docere, & aliis tenendum ſtatuere. Progreditur dehinc ad examinanda ſingillatim capitula illa, & in I. reprehendit, 1. quod pri-

primo homini tribuatur libertas bene operandi ſine auxilio gratiæ, ſine qua nec ipſe, nec Angeli mereri poterant. 2. Quod de prædeſtinatione Electorum loquatur, ceu ex prævifis meritis facta. 3. Quod in eodem prædeſtinatio impiorum ad damnationem negetur. In II. capitulo carpit, quod tam confuſe & abſtruſe & decurtate de libero arbitrio definitum ſit, cum tam claræ exſtent orthodoxorum PP. definitiones, eumque in finem aliquot Concilii ARAUSICANI II. canones ſubdit, & oſtendit, hominem etiam lapſum ita libero gaudere arbitrio, ut eo tamen ſine gratiæ auxilio uti non poſſit. In III. de voluntate Dei omnes homines ſalvos faciendi licet integra REMIGII animadverſio haud ſuperſit, reprehendit, quod dicatur, Deum omnes homines *ſine exceptione* ſalvos fieri velle, & contendit, duplicem hujus *Apoſtolici* textus ſenſum pacifice tolerandum eſſe, ut ſive *το omnes* ſumatur pro omni hominum genere, ſive pro univerſo genere humano (pro generibus ſingulorum, aut ſingulis generum;) cum certum tamen ſit, quod nullus hominum niſi gratuita ejus miſericordia ſalvetur, nullus niſi juſto ejus Judicio perire permittatur. In IV. improbat 1. quod dicatur, nullum eſſe hominem, cujus natura in Chriſto ſanata non fuerit; cum illum tamen non ex neceſſitate, ſed libera voluntate pro electis aſſumpſerit. 2. Quod dicatur,

nul-

nullum hominem eſſe, fuiſſe, aut fore, pro quo Chriſtus paſſus non fuerit. Fatetur equidem, illum mortuum eſſe pro omnibus *baptizatis*, pro *Juſtis* V. T. non autem pro *infidelibus* ante Chriſtum defunctis, nec pro illis, qui fidem nunquam receperunt, nec pro *parvulis* ſine Baptiſmo decedentibus. Aſſerit quoque, pro illis Chriſtum paſſum & mortuum fuiſſe, pro quibus defunctis Eccleſia Sacrificia offerre conſuevit. 3. Quod inter illos, qui fidem nunquam habuerunt, & chriſtianos, qui poſt Baptiſmum in peccato moriuntur, comparatio inſtituta fuerit.

Hac confutatione minime contentus REMIGIUS, in Synodo VALENTINA III. e trium provinciarum, LUGDUNENSIS, ARELATENSIS, & VIENNENSIS Epiſcopis anno 855. congregata, cui tres Archi-Epiſcopi præſidebant, eadem capitula CARISIACA examinari, & configi curavit; ubi & celeberrimi illi ſex canones ſtatuti fuerunt, quos pro Lectoris commodo integros hic ſubjicio ex Harduino Concil. Tom. V. col. 88. ſeq. 53

Canon I.

Quia Doctorem gentium in fide & veritate fideliter commonentem obedienterque audimus: *O Timothee! depoſitum cuſto-*

custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Et iterum: *Profana autem & inaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit.* Et iterum: *Stultas autem & sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites; servum autem Domini non oportet litigare.* Et iterum: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Paci, quantum Deus dederit, & caritati studere cupientes, attendentes pium ejusdem Apostoli consilium, *soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*, novitates vocum & præsumtivas garrulitates, unde potius inter Fratres contentionum & scandalorum fomes excitari potest, quam ædificatio ulla timoris Dei succrescere, cum studio omni devitamus. Indubitanter autem Doctoribus pie & recte tractantibus verbum veritatis, ipsisque S. Scripturæ lucidissimis Expositoribus, id est, Cypriano, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, ceterisque in catholica pietate quiescentibus, reverenter auditum, & obtemperanter intellectum submittimus, & pro viribus, quæ ad salutem nostram scripserunt, amplectimur. Nam de præscientia Dei, & de prædestinatione, & de quæstionibus aliis, in quibus Fratrum animi non parum scandalizati probantur, illud tantum firmissime tenendum esse credimus, quod ex

mater-

maternis Eccleſiæ viſceribus nos hauſiſſe gaudemus.

Canon II.

Deum præſcire & præſciſſe æternaliter, 54
& bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali ſunt geſturi, quia vocem Scripturæ dicentis habemus: *Deus æterne! qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia, antequam fiant*: fideliter tenemus, & placet tenere, bonos præſciſſe omnino per gratiam ſuam bonos futuros, & per eamdem gratiam æterna præmia accepturos: malos præſciſſe per propriam malitiam malos futuros, & per ſuam juſtitiam æterna ultione damnandos: ut ſecundum Pſalmiſtam, *quia poteſtas Dei eſt, & Domini miſericordia, ut reddat unicuique ſecundum opera ſua.* Et ſicut apoſtolica doctrina ſe habet: *His quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: his autem, qui ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.* In eodem ſenſu idem alibi: *In revelatione,* inquit, *D. N. J. Chr. de cælo cum Angelis Virtutis ejus, in igne flammæ dantis vindictam his, qui non noverunt Deum, & qui*

non obediunt Evangelio D. N. J. Chr. qui pœnas dabunt in interitu æternas, cum venerit glorificari in Sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Nec prorsus ulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non posset; sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus, qui novit omnia, antequam fiant, præsciit ex sua omnipotenti & incommutabili Majestate. Nec ex præjudicio ejus aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt; sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.

Hoc Canone, inquit ALEXANDER cit. Dissert. §. XI. pag. 342. GOTTESCHALCI error in Synodis MOGUNTINA, & CARISIACA damnatus configitur, etsi Gotteschalco patrocinarentur VALENTINI Patres. Mirum! Patres VALENTINI patrocinantur GOTTESCHALCO, & eum condemnant! Damnarent utique, si docuisset prædestinationem necessitatem imponentem. At vero, hoc illum asseruisse, incredibile visum est REMIGIO, qui potiores partes in isto Concilio habuit. Scribit enim L. de 3. Epistolis cit. Tom. Bibl. PP. col. 1200. „ Quæritur in præsenti disceptatione non

„ illud,

,, illud ; utrum impios Deus & iniquos
,, prædeſtinaverit ad ipſam impietatem &
,, iniquitatem, id eſt, ut impii & iniqui
,, eſſent, & aliud eſſe non poſſent : NB.
,, *Quod nullus omnino moderno tempore di-*
,, *cere vel dixiſſe invenitur.* . . . Sed illud
,, potius quæritur, utrum eos, quos ve-
,, raciter omnino præſcivit, proprio vitio
,, impios & iniquos futuros, & in ſuis
,, impietatibus atque iniquitatibus usque
,, ad mortem perſeveraturos ; juſto judi-
,, cio *prædeſtinaverit* æterno ſupplicio pu-
,, niendos. ,,

Canon III.

Sed & de prædeſtinatione Dei placuit, 55
& fideliter placuit, juxta auctoritatem apoſtolicam, quæ dicit : *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam ?* Ubi & ſtatim ſubjunxit : *Quod ſi volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam ; ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ aptata ſive præparata in interitum, ut oſtenderet divitias gratiæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam :* fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem : in electione tamen ſalvandorum miſericordiam Dei præcedere

meritum bonum ; in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere juſtum judicium. Prædeſtinatione autem Deum ea tantum ſtatuiſſe , quæ ipſe vel gratuita miſericordia , vel juſto judicio facturus erat, ſecundum Scripturam dicentem : *Qui fecit, quæ futura ſunt.* In malis vero ipſorum malitiam præſciiſſe, quia ex ipſis eſt ; non prædeſtinaſſe , quia ex illo non eſt. Pœnam ſane malum meritum eorum ſequentem, uti Deum, qui omnia proſpicit, præſciviſſe, & prædeſtinaſſe, quia juſtus eſt , apud quem eſt , ut ait S. Auguſtinus, de omnibus omnino rebus tam fixa ſententia , quam certa præſcientia. Ad hoc ſiquidem facit Sapientis dictum : *Parata ſunt deriſoribus judicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.* De hac immobilitate præſcientiæ & prædeſtinationis Dei, per quam apud eum futura jam facta ſunt , etiam apud Eccleſiaſten bene intelligitur dictum: *Cognovi, quod omnia opera, quæ fecit Deus , perſeverent in perpetuum. Non poſſumus his addere, nec auferre , quæ fecit Deus , ut timeatur.* Verum aliquos ad malum prædeſtinatos eſſe divina poteſtate , videlicet ut quaſi aliud eſſe non poſſint , non ſolum non credimus ; ſed etiam ſi ſunt, qui tantum mali credere velint, cum omni deteſtatione , ſicut Arauſica Synodus , illis anathema dicimus.

Iſto

Isto canone denuo errorem GOTTESCHALCI damnari, ejusque assertores, siqui sint, anathemate configi, ait NATALIS; quamvis errore facti censerent VALENTINI Patres, miserabilem illum Monachum esse ab eo errore immunem. Semper errore facti omnes GOTTESCHALCI Patroni falluntur: soli ejus Adversarii infallibiles sunt. Atqui tamen solenniter & sæpius Monachus ille protestatus est, se prædestinationem reproborum ad pœnam defendere *propter mala ipsorum merita.* Oppositus error a RHABANO & HINCMARO eidem impositus fuit.

Canon IV.

Item de redemtione sanguinis Christi, 56
propter nimium errorem, qui de hac causa exortus est; ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui a mundi exordio usque ad Passionem Domini in sua impietate mortui æterna damnatione puniti sunt, effusum eum definiant, contra illud propheticum: *Ero mors tua o mors! ero morsus tuus inferne!* illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, juxta evangelicam & apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster

 dicit:

dicit : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto : ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipso non pereat ; sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum , ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum non pereat , sed habeat vitam æternam.* Et Apostolus : *Christus* , inquit , *semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Porro capitula quatuor quæ a Concilio Fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt, propter inutilitatem ; vel etiam noxietatem , & errorem contrarium veritati : sed & alii XIX. Syllogismis ineptissime conclusa ; & licet jactetur ; nulla seculari litteratura nitentia ; in quibus commentum diaboli potius ; quam argumentum aliquod fidei deprehenditur ; a pio auditu fidelium penitus explodimus ; & ut talia & similia caveantur per omnia auctoritate Spiritus sancti interdicimus. Novarum etiam rerum introductores ; ne districtius feriantur , castigandos esse censemus.

Non modo errorem facti VALENTINIS Patribus hic iterum exprobrat ALEXANDER, sed etiam hæc verba canonis : *Porro capitula quatuor ; quæ a Concilio Fratrum nostrorum , &c.* ab EBBONE gratianopolitano adsuta fuisse suspicatur ; his nixus ratiunculis. 1. Quod illi ipsi Episcopi Valentini in Concilio LINGONENSI & TULLENSI

ad

ad Saponarias poſtea An. 859. congregati, canones Valentinos confirmaverint, omiſſis illis verbis de capitulis Cariſiacis. 2. Quod EBBONI privatæ cum HINCMARO ſimultates interceſſerint, ideoque ille HINCMARO Cariſiacorum capitulorum auctori hanc fabam ultionis gratia cudere voluerit. Ad *primum* repono: cum & poſterius nominatis Synodis RHEMIGIUS præſideret, & Epiſcopi, qui Cariſiaco Conventui intererant, capitula ſua tueri pergerent, ille pro facilius ineunda concordia, prædicta verba præmittenda eſſe cenſuit. Ad *alterum*, ſi de integerrimo Præſule EBBONE hæc ſuſpicio valet; quidni magis illa valebit adverſus vaferrimum HINCMARUM, de non una fraude & epiſtolarum depravatione convictum, quod ille in odium GOTTESCHALCI quædam ejus nomini opuſcula ſuppoſuerit. Calumniam HINCMARO hac ratione fieri, queritur ALEXANDER §. V. pag. 314. ſi falſorum libellorum auctor aſſeratur. Ergo & EBBO calumnia laceratur, ſi præter Valentinorum Patrum ſcitum & conſenſum canoni quarto laciniam illam adſuit. Dimittit corvos, vexat cenſura columbas.

Canon V.

57 Item firmissime tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium ex aqua & S. Spiritu regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, & juxta doctrinam apostolicam in morte Christi baptizata, in ejus sanguine sit a peccatis suis abluta: quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret & vera redemtio: cum in Ecclesiæ Sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, & ipsa sua veritate ac sinceritate subnixum. Ex ipsa tamen multitudine fidelium & redemtorum, alios salvari æterna salute, quia per gratiam Dei in redemtione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*: alios, quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt; redemtionisque gratiam potius irritam facere prava doctrina, vel vita, quam servare, elegerunt, ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire. In utroque siquidem doctrinam pii Doctoris habemus: *Quicumque baptizati sumus in Chr. J. in morte ipsius baptizati sumus.* Et: *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Et iterum: *Accedamus cum vero*

corde in plenitudine fidei, aſperſi corda a conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem. Et iterum: *Voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Et iterum: *Irritam quis faciens legem Moyſis, ſine ulla miſeratione duobus aut tribus teſtibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

Canon VI.

Item de gratia, per quam ſalvantur cre- 58
dentes & ſine qua rationalis creatura numquam beate vixit: & de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, ſed per gratiam D. Jeſu fidelibus ejus redintegrato, & ſanato, idipſum conſtantiſſime & fide plena fatemur, quod SS. PP. auctoritate S. Scripturarum nobis tenendum reliquerunt; quod Africana, quod Arauſica Synodus profeſſa eſt, quod beatiſſ. Pontifices apoſtolicæ Sedis catholica fide tenuerunt: ſed & de natura & gratia, in aliam partem nullo modo declinare præſumentes. Ineptas autem quæſtiunculas, & aniles pene fabulas, ſcotorumque pultes, puritati fidei nauſeam in-

ferentes; quæ periculosissimis & gravissimis temporibus, ad cumulum laborum nostrorum, usque ad scissionem caritatis miserabiliter, & lacrymabiliter succreverunt; ne mentes christianæ inde corrumpantur, & excidant a simplicitate & castitate fidei, quæ est in Chr. J. penitus respuimus; & ut fraterna caritas cavendo a talibus auditum castiget, Domini Christi amore monemus. Recordetur fraternitas malis mundi gravissimis se urgeri, messe nimia iniquorum, & paleis levium hominum se durissime suffocari. Hæc vincere ferveat, hæc corrigere laboret, & superfluis cœtum pie dolentium & gementium non oneret: sed potius certa & vera fide, quod a SS. PP. de his & similibus sufficienter prosecutum est, amplectatur.

59 Concilii VALENTINI Canones, una *cum* scriptis LUGDUNENSIS Ecclesiæ de *his* quæstionibus, & cum excerptis ex opere JOANNIS Scoti propositionibus, eodem Concilio damnatis, ab EBBONE Gratianopolitano CAROLO Calvo extraditos, & ab eodem an. 856. HINCMARO transmissos, cum iste adversum se editos animadvertisset; ingens volumen in sui & capitulorum CARISIACORUM defensionem composuit, cujus nunc sola præfatio superest apud FLODOARDUM Hist. Eccles. Rhemens. Lib. III. cap. 15. pag. 380. Ibi de capitulorum suo-

ſuorum condemnatione, truncatione, & alieno iisdem affiƈto ſenſu conqueritur. Aſſerit etiam, perperam ſibi imputari XVI. capitula, h. e. propoſitiones Joannis Scoti Erigenæ, de quibus nihil ſe audiviſſe vel vidiſſe teſtatur, antequam venerabilis Ebo Gratianopolitanus Epiſcopus Carolo Calvo in Palatio Vermerienſi detuliſſet. Hic merito bonam in Hincmaro fidem deſidero. Affirmat ipſius in epiſtola ad Eccleſiam Lugdunenſem, quod *Scotum illum ad ſcribendum* adverſus Goteſchalcum *compuliſſet.* (Scotum illum, qui eſt in palatio Regis Joannem nomine, ſcribere coegimus:) verba ſunt Hincmari in Libro Eccleſiæ Lugdunenſis *de tribus epiſtolis* cit. Tom. II. auƈtuar. Bibl. PP. col. 1198. & 1200. Cuinam vero ſimile videbitur, illud Scoti opus Hincmari coaƈtione compoſitum, nec oculis nec auribus in ejus cognitionem veniſſe? Nempe pudebat Archi-Præſulem, ſe talem pugnæ ſocium ſibi adſciviſſe, qui fœdiores multo errores operi ſuo inſperſit, quam Goteschalco fuerant imputati; hinc novo dolo illas propoſitiones ſibi penitus ignoratas fuiſſe, comminiſci debuit.

Iidem Epiſcopi, qui Canones Valentinos condiderant, apud Audomarum Lingonum, ſeu in Concilio Lingonensi an. 859. congregati, eosdem nova Sanƈtione 60.
confir-

confirmarunt, & quindecim post diebus in Concilio TULLENSI apud Saponarias cum duodecim Provinciarum Episcopis, cui HINCMARUS cum Sociis intererat, iterum relectos adprobarunt; hoc uno discrimine, quod in gratiam HINCMARI illa Canonis IV. verba: *Porro capitula quatuor* &c. usque ad illa: *sed in alia novendecim* &c. Prætermissa fuerint, totius controversiæ definitione ad proximum Concilium reservata. Atvero PRUDENTIUS, Trecensis Episcopus hac decisione haud exspectata, prædictos VALENTINOS Canones I. R. P. transmisit, a quo & confirmatos fuisse, testantur Annales Bertiniani ad an. 859. „ Nicolaus R. P. de gratia Dei & libero „ arbitrio, de veritate geminæ Prædesti- „ nationis, & Sanguine Christi, ut pro „ *credentibus* omnibus fusus sit, fideliter „ confirmat, & catholice decernit. „ Neque id ipsum diffitetur HINCMARUS Epist. 24. ad Egilonem.

61 Istis hunc in modum actis, alterum *de Prædestinatione* opus, quod adhuc integrum exstat, HINCMARUS composuit, Valentinis Canonibus oppositum, infelici plane successu, ut vel ipse agnoscit ALEXANDER §. XII. pag. 346. Nam & Prædestinatianam hæresin apud Massilienses originem habuisse asserit; cum hactenus tamen evictum sit, istos AUGUSTINO, & Prædestina-

ſtinatianis, ſi qui eo tempore in concavo Lunæ exſtiterunt, e diametro fuiſſe oppoſitos. Innititur auctoritati FAUSTI in epiſtola ad LUCIDUM, & hujus recantatione: Concilii ARELATENSIS, quod juſſu COELESTINI I. R. P. quadraginta annis antea defuncti, celebratum fuiſſe ait. S. FULGENTIUM ſibi adverſari recognoſcit, & ideo rejicit, quod ejus opera a S. GELASIO I. adprobata non fuerint, qui tamen ante Sancti hujus Scriptoris ætatem obierat: & ita porro hallucinatus. In eodem opere etiam carpit illam Hymni Eccleſiaſtici de Martyribus clauſulam: *Te Trina Deitas unaque poſcimus* &c. quæ ipſi hæreſin ſapere videbatur. Non ſolum autem GOTESCHALCUS, ſed & RATRAMNUS Corbejenſis Sabellianæ hæreſeos HINCMARUM viciſſim poſtularunt; quia etſi Deitas in *natura* una ſit, in *Perſonis* tamen trina eſſet. Hac occaſione novum opus HINCMARUS *de non Trina Deitate* conſcripſit, & novæ blaſphemiæ GOTESCHALCUM arguit. Atvero Monachi hujus meliorem hac in parte cauſam fuiſſe, Eccleſia cenſuit, quæ in hymno *Sacris ſolenniis* a D. THOMA Aquinate pro officio corporis Chriſti compoſito, priorem clauſulam, *Te Trina Deitas* &c. hodieque decantat. Atque hinc denuo Præſulis hujus ingenium, in Dogmatica Theologia haud ſatis verſatum, metiri licet: Indeque non mirum, ſi ejus

opera

opera Goteschalcus quidem condemnatus, crudeliter verberatus, in carcerem trufus, hærefeos tamen nunquam convictus fuerit; quippe qui illuftres nactus eft Patronos, in tribus Conciliis pro eodem æmulos fententiam ferentes, qui & conquefti fuerunt, in miferabili monacho Auguftinum, & Veritatem fuiffe damnatam.

Tabu-

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

Tabula Chronologica ad cauſam Goteſchalci.

Anno 846.	Goteſchalcus doctrinam de gemina prædeſtinatione ad gloriam & damnationem ſpargit.
847.	Apud Eberhardum comitem divertens, de eadem doctrina cum Notingo Epiſcopo Veronenſi confert. Rhabanus a Notingo monitus Goteſchalcum ſcripto impugnat.
848.	Goteſchalcus ſe defendit, & de tribus quæſtionibus Lupum Servatum, Marcaudum, & Jomam conſulit. Menſe Octobri in Concilio Moguntino damnatur, & ad Hincmarum Archi-Epiſcopum Rhemenſem cuſtodiendus transmittitur. A quo in Conventu Cariſiaco Presbyterii gradu depoſitus, & duriſſimis verberibus caſtigatus, arcto carceri in Monaſterio Altivillarenſi mancipatur. Hoc in ergaſtulo duas edidit fidei ſuæ profeſſiones, quas Hincmarus confutat, ſcripto ad Monachos ſuæ Diœceſeos opuſculo:
849.	Cui ſe opponunt Ratramnus Corbejenſis, & Prudentius Epiſcopus Trecenſis, ac Lupus Servatus. Abbas Ferrarienſis.
850.	Adverſus Goteſchalcum calamum denuo acuunt Hincmarus & Rhabanus. Lupus Tractatum ſcribit de tribus tunc famoſis quæſtionibus, de prædeſtinatione, de libertate, de morte Chriſti. Item epiſtolam ad Hincmarum & Pardulum Epiſcopum Laudunenſem, aliam ad Carolum Calvum de eadem materia. Ratramnus edit Tractatum de Prædeſtinatione. His omnibus Goteſchalci doctrinam propugnantibus, Hincmari juſſu contraria ſcripta opponunt Amalarius, & Joannes Scotus Erigena. Ex hujus poſterioris, quod ſolum ſupereſt, opere erroneas propoſitiones a Wenilone Archi-Epiſcopo Senonenſi extractas impugnant Prudentius, & Florus Diaconus nomine Eccleſiæ Lugdunenſis.
851.	Amolo Archi-Epiſcopus Lugdunenſis ab Hincmaro excitatus, ad- & contra Goteſchalcum ſcribit epiſtolam. Hincmarus quoque ad Eccleſiam Lugdunenſem.
852.	Cui in favorem Goteſchalci reſpondet Remigius Amolonis Succeſſor, edito nomine Eccleſiæ Lugdunenſis libro *de tribus epiſtolis*.
853.	Hincmarus in Conventu Cariſiaco famoſa quatuor promulgat capitula, Quibus quatuor alia opponit Prudentius.
854.	Eccleſia quoque Lugdunenſis per ſuum Archi-Epiſcopum Remigium illa refutat libro *de tenenda veritate ſcripturæ*.
855.	Concilium Valentinum III. editis ſex memorandis canonibus Cariſiaca reprehendit capitula.
856.	Hincmarus primo tractatu *de Prædeſtinatione & libero arbitrio* adverſus canones Valentinos, quatuor ſua capitula Cariſiaca tueri ſatagit.
859.	Canones Valentini in Concilio Lingonenſi & Tullenſi nova adprobatione firmantur.
860.	Prudentius Epiſcopus Trecenſis eorundem confirmationem Romæ apud Nicolaum I. ſolicitat & impetrat. Hincmarus ſecundo opere *de Prædeſtinatione* opinionem ſuam infeliciter defendit: Et propter clauſulam hymni, *Te Trina Deitas*, male improbatam Goteſchalco & Ratramno jure reprehenſus, Siniſtro ſucceſſu edit librum *de non Trina Deitate*.
867.	Goteſchalcus in carcere Doctrinæ ſuæ immoritur, Eccleſiaſtica ſepultura privatus, cujus miſerum fatum Divino Judicio reſervatum eſto.

TOMI I.

Errata Corrigenda

Pag.	Lin.	Errata		Corrigenda
4.	18.	infirmitatem	-	infinitatem
21.	4.	Eſſentiam	-	*adde* Perſonalitates
23.	29.	eſſe idem	-	non eſſe idem
66.	7.	duratione	-	durationi
68.	24.	tempore -	-	tempori
80.	19.	intrinſeco	-	extrinſeco
117.	penult.	liberales	-	liberas
118.	14.	ad Corinth.	-	I. ad Corinth.
136.	15.	ſperando -	-	ſpirando
-	20.	indignus -	-	indigus
144.	16.	decerneret	-	decernere
157.	20.	affectivus	-	effectivus
159.	17.	Nunc -	-	Hinc
-	18.	acceptis -	-	acceptatis
174.	17.	ita -	-	itaque
188.	17.	Cæterum univerſo &c.		*Hæc verba non ſuo loco poſita, referenda ſunt ad finem Reſponſionis.*
191.	penult.	præciſo	-	præviſo
193.	20.	amiſſio -	-	omiſſio
230.	30.	Henrico -	-	Hunnerico
231.	16.	complexionibus		*adde* eundem Verſiculum
232.	26.	authentica	-	authentia
240.	3.	enim -	-	etiam
243.	14.	Anomai -	-	Anomæi
261.	9.	dogmata -	-	dogmate
263.	8.	differte -	-	diſerte
264.	6.	MAMERUS	-	MAMERTUS
277.	2.	nulla -	-	una
286.	19.	reſolutione	-	*adde* ſequente
287.	ult.	poſitiva -	-	poſita
293.	penult.	Monologia		Monologio

Errata

Errata			Corrigenda
Pag.	*Lin.*		
297.	25.	principium -	proprium
299.	10.	imitante - -	incitante
314.	21.	natura - -	nomina
335.	17.	principium -	*adde* eſſe
338.	24.	melius quidem eſt	*adde* ſecundum vulgarem concipiendi modum
340.	18.	duplex - -	triplex
341.	8.	perſonarum -	perſonam
342.	12.	diviſum in ſe -	indiviſum in ſe
352.	3.	finita - -	infinita
366.	6.	ſigniculo - -	ſignaculo
382.	11.	attributorum -	attributum

Reliqua prudens Lector benevole excuſabit, emendabit.

1

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Scholliner, Hermann,

P. Hermanni Scholliner, Benedictini Oberaltacensis, Ss. Theol. Doctor. ...
Praelectiones Theologicae in XII. Tomos divisae, ...

Bd.: 1

Augustae Vindel. ; Oeniponti 1769

Dogm. 895-1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10399410-4
VD18 80212263